1545

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
Archivo de Loyola
Sección 3ª Serie 2ª Nº 95
Est. 13
Plut. 4

Lutheranus

Siglo 17 Año

I. H. S.

(Archivo)

Archivo de Loyola

Estante .....

Plúteo .....

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. H. S.

Assertionis Lutheranæ confutatio per R. P. Ioannem Roffensum Episcopum. Parisiis Apud C. Guillard.

Año 1545.

(Archivo de Loyola).

Vitrina C/4 S
17-1-1
1-1-19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Assertionis Lutheranae Confutatio, iuxta verum ac etiam originalem archetypum, nunc advnguem diligentissimè recognita, per Reuerendissimum Patrem Ioannem Roffensem Episcopum, academiæ Cantabrigien. Cancellarium.

EZECH. XIII.

Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil uident.

SOCIETATIS JESU BIBLIOTHECA

PARISIIS
Apud Carolam guillard, sub sole aureo. Via ad D. Iacobum.
M. D. XLV.

BIBLIOTHECÆ ONNIS SOCIETATIS JESU

Universidad de Deusto Biblioteca

INDEX ARTICVLORVM confutandorum.

¶Articulus primus.
Sacramenta non dare gratiam Folio.34.
¶Secundus articulus.
In pueris baptizatis manere peccatum 55
¶Tertius articulus.
Fomitem ab ingressu cæli remorari animam 83
¶Quartus articulus.
Timorem esse pœnam purgatorii 85
¶Quintus articulus.
Non esse tres pœnitentiæ partes 88
¶Sextus articulus.
Contritio facit magis peccatorem 99
¶Septimus articulus.
Optima pœnitentia noua vita 110
¶Octauus articulus.
Non cõfitendũ esse venialia nec mortalia omnia.113
¶Nonus articulus.
Confitentes omnia,nihil relinquere misericordiæ Dei 122
¶Decimus articulus.
Peccata manere,nisi remissa credantur 124.
¶Vndecimus articulus.
Quicquid de cõtritione fuerit,absolutus est quiverba crediderit 128
¶Duodecimus articulus.
Verissime absolutus est,quisquis se vere absolutum credit 130
¶Tertiusdecimus articulus.
Puer ac mulier iuxta absoluit atque Papa 133
¶Quartusdecimus articulus.
Ne q̃rat sacerdos à cõfitente,nũ sit contritus 139
¶Quintusdecimus articulus.
Sola fides dignũ facit qui suscipiat eucharistiam.143
¶Decimussextus articulus.
Laicis communicandum esse sub vtraq; specie 153
¶Decimusseptimus articulus.

Indulgentias non pẽdere ex Christi meritis & factorum 163
¶Decimusoctauus articulus.
Indulgentias esse pias fraudes fidelium 171
¶Decimusnonus articulus.
Indulgentias non valere ad remissionem pœnę.176
¶Vigesimus articulus.
Indulgentias non esse salutares 179
¶Vigesimusprimus articulus.
Solis publicè criminosis indulg. esse necessarias.180
¶Vigesimussecundus articulus.
Sex generib⁹ hominũ indulg.nihil conferre 188
¶Vigesimustertius articulus.
Excõmunicatiões esse pœnas externas dũtaxat. 191
¶Vigesimusquartus articulus.
Excõmunicationẽ plus diligẽdam esse,q̃ timẽdã.196
¶Vigesimusquintus articulus.
De primatu summi pontificis 197
¶Vigesimussextus articulus.
Verbum hoc, Quodcunque solueris, extenditur ad ligata duntaxat ab ipso Petro 235
¶Vigesimusseptimus articulus.
Nec articulos fidei, nec leges morum condere papa cum ecclesia potest 237
¶Vigesimusoctauus articulus.
Nõ est hæreticum dissentire à papa cum magna parte ecclesiæ 242
¶Vigesimusnonus articulus.
De conciliorum authoritate 247
¶Trigesimus articulus.
De condemnatione Ioannis Hus 252
¶Trigesimusprimus articulus.
In omni opere bono iustum peccare 256
¶Trigesimussecundus articulus.
Opus quantũuis bonum esse veniale peccatum. 271
¶Trigesimustertius articulus.
De non comburendis hæreticis 275
¶Trigesimusquartus articulus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX.

Non esse aduersus Turcas præliandum 283
¶ Trigesimusquintus articulus.
Neminẽ certũ esse se nõ semp peccare mortalit. 291.
¶ Trigesimussextus articulus.
De libero arbitrio 295
¶ Trigesimusseptimus articulus.
Purgatoriũ non posse probari ex sacris literis 338
¶ Trigesimusoctauus articulus.
In purgatorio non esse de salute securitatem 347
¶ Trigesimusnonus articulus.
Animas in purgat. sine intermissione peccare 353
¶ Quadragesimus articulus.
Animas quæ suffragiis viuentium à purgatorio liberantur, minus beari 355
¶ Quadragesimusprimus articulus.
Saccos mendicitatis delendos esse 356

IOANNES ROFFENSIS LECTORI S.

In Luthero resipiscẽtiæ spes omnino nulla.

Olim existimes lector, me tot verba prodegisse, q̃ iis confidam Lutherum aliquãdo reuocari posse. Nam si mihi fuisset huius rei vel tenuis aliqua spes, aliquanto maturius hoc opusculumprelo cõmisissem. Sed omnino diffisus sum illũ ad ecclesiã rediturũ, atq; id, cum ob alia plurima, tũ q̃ Paulus Lutheri similes, plane peruersos asserat, & suopte iudicio damnatos. Sic enim adTitũ cap. 3. scribit: Hęreticum hominem post vnam & alteram correptionẽ deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cũ sit ꝓprio iudicio condemnatus. EccePaulo quisquis hęreticus est, & maxime sectarũ author, posteaq̃ secundo fuerit de errore suo cõmonefactus, nec resipuerit, iã eius emendandi spes omnino nulla est, sed is à Christianis

Titum. 3.
Hæretici suopte iudicio damnati.

omnibus euitari debet, acverè peruersus haberi, cum sit omnino ipsius iudicio damnatus. Et hæc omnia sanè vel adamussim Luth. conquadrant. Primũ, si Luth. hęreticus non sit, nemo vnquam fuit hæreticus. Nam Luth. aduersus omnium orthodoxorũ patrum sententiam, sua dogmata statuere molitur. Et hoc qd aliud est q̃ sectã & hęresim introducere? Hęresis enim Græcis electio dicitur, ac proinde quisquis diuersum à cõmuni totius ecclesię sensu quod doceat eligit, is merito censetur hęreticus, & sectarũ author. Secat enim electione sua seipsum ab orthodoxis, hoc est ab iis, qui cum ecclesia recte sentiũt. Porro semper ecclesię pars magis eximia, fuerant patres, qui non solum eruditione, verumetiam vitæ sanctimonia velut sydera quædam effulserunt. Quando igitur cæteri fideles illis in sensu scripturarum vnice fidem habuerãt, quis non illum qui à patribus dissideat, diuersumq̃ue sentiat, seipsum ab ecclesia seiũgere fatebitur, hęreseósque & sectæ meritò dicendũ authorem? At Luth. non solum patres omnes, verumetiam concilia cõtemnit, atq; adeo totius ecclesię tot retro sęculis vsurpatam cõsuetudinem habet pro nihilo. Et quid non faciet ꝓ sua hæresi statuenda, qui scripturas etiã iugulat? An non epistolã D. Iacobi, quod hæresi suę palam aduersatur, modis omnibus extinguere nititur? Et tamẽ supiis à plerisq; cõmonitus, nunc lenius nunc asperius, quatenus ab insania resipiscat, nihil emendatior, imò deterior, pestilentior, pniciosior euasit. Quod & Paulus alibi de Lutheri similibus futurum asseruit. Mali, inquit, homines & seductores proficient in peius errantes, & in errorẽ mittentes. Errat hauddubie Luth. imò vehementer exorbitat, & alios vnã secum in parem trahit amentiam. Alioqui, quotquot retro fuerãt orthodoxi patres, errasse necessũ est, atq; vniuersam ꝓtinus ecclesiã, quam Paulus tamẽ firmamentũ & columnã veritatis appellat, vtpote quę spiritũ sanctum perpetuũ nacta sit instructorẽ. Sed aiet quispiã: Luth. ꝓ parte sua scripturas habet. At id falsum est. Non ha

Luth. hæreticus ter maximus.
Hæresis quid sit.
Ecclæ pars insignior sp fuere patres
Patres, cõcilia, consuetudo d Luth. repudiata.
D. Iacobi epist. d Lut. repudiata.
2. Tim. 3.
Exorbitat Luth.
Ecclia firmamentũ & columna veritatis.
De scripturis semp gloriati sunt.

Titum.3. Lutheranũ dogma cum patrum sententijs è diametro pugnat.

Qui bis commonitus non resipuerit, subuersus est

bet profecto, quanquam habere se prætexat. Et quis nõ hæreticorum pro suo dogmate scripturas habere se prætexuit? De scripturis semper gloriati sunt hæretici, sed perperam intellectis, & pro suo cerebro prauе pesimeq; contortis, quemadmodum & nunc Lutherus de scripturis ludit. At quid dementius cogitari potest, q̃ vt spretis tot & tam eximiorum interpretum commentariis, & iam reiecto sensu, quem tot sæculis vniuersa prorsus ecclesia verissimum censuit, fidem vni Luthero de scripturis adhibeamus? Absit hoc Christianorũ animis, & maxime cum Paul. eiusmodi hominem euersum esse dictauerit, vt fidẽ ipsius dogmatibus præbeamus vnquam. Et sane vel hic euersus esse conuincitur, ꝙ cum ea, quæ docet, cum sententia patrum ex diametro pugnent, neq; toties admonitus, redire tamẽ ad mentẽ parat. Id enim indicii, ceu normam quandã certitudinis infallibilis Paul. ipse nobis dedit, ꝙ cũ videremus quẽquã in materia fidei dissidẽtem ab ecclesia, neq; bis admonitũ resipiscere, sed magis in secta sua pergere, certũ haberem⁹ hunc esse subuersum. Sciens, inquit, quia subuersus est, qui eiusmodi est. Ob id nimirum subuersus asseritur, ꝙ secundo cõmonefact⁹ ad ecclesiam in rectæ fidei vnionem redire contemnit. At dicet adhuc quispiã, Lutherum certo credere se manere per fidem in ecclesia, solósque illos ad ecclesiam pertinere, qui cum eo sentiũt. Quid si Luth. ad hunc modum credat? Nunquid non ita credidit Nouatus, Arrius, Donatus, ac cæteri complures hęreseorũ & sectarũ authores? An non omnes isti, neminem ad ecclesiã orthodoxã pertinere cõtendebant, nisi qui similem ipsis fidem profitebãtur? Sed vt isti insaniebant plus q̃ mente capti, sic & Luth. iam nihilo minori percitus amẽtia furit. Quis enim non certus est ecclesiam fuisse priusquam Lutherus natus esset, atque ita credidisse, quẽadmodum & iã credit? Quando igitur alia quędã noua dogmata, cõtra communem ecclesiæ fidem introduxerit Lutherus, quis non plane perspicit, eum ab ecclesia spõte dissensisse, & ab eadem exemisse seipsum. At adhuc nõ deesse quod cauilletur, nimirũ se cum primitiua ecclesia penitus cõquadrare, quanq̃ ab ista quæ nunc est dissentiat? Quid ergo? Duæ sunt ecclesiæ? aut non eodẽ spiritu, ea quæ nunc est, & eruditur & regitur, atque illa quæ primitiua fuerat? Absit. Vtrunq; sanè falsum est. Nam scriptum est: Vna est columba mea: ad quam & Christus spiritum suum misit, qui eam omnem doceret veritatem, & apud eã maneret in æternũ. Et quanquam pro temporum varietate, diuersa fidelibus tradita sint, vnus tamen & idem spiritus ita ipsa tradidit prout sibi visum erat ecclesiæ fore cõducibili⁹. Quisquis igitur cum ecclesia nõ sentit, alienum à veritate se facit, & hęreticum esse sese plane cõuincit. Propter quod & Paulus talẽ affirmat suo iudicio damnatum, vel (vt Gręcis est) per se damnatum esse. Verum forte percõtaberis: Quomodo per se damnatus est, cum sit nullius erroris sibi cõscius? Paucis respondeo. Fornicator, adulter, homicida, sacrilegus, & id gen⁹ alii, per episcopos ab ecclesia separantur. At hęreticus, qui ꝙ mera sui capitis phrenesi, contra totius ecclesiæ sensum, scripturas contorquet ad suum dogma statuendum, ipse (quasi cõtra seipsum lata sentẽtia) seipsum eximit ab ecclesia, & quasi per se damnatus habẽdus est. Recessit enim spõtaneus à communi patrum sensu, & hæc recessio proprię cõscientię damnatio quędam est. Nulla igitur (si Paulo credimus) spes est, vt vllis admonitionibus Lutherus aliquando resipiscat. Quamobrem & frustra conabitur, quisquis illum reuocare studuerit. Non igitur ꝙ sperauerim illum ab errore posse reuocari, meam hanc opellam impartii, sed vt succurrerem infirmioribus animis, quorum fides, quasi super acie nouaculę, iam diu stetit anceps, & ambigua, cui parti sit inclinatura magis. Legunt enim plerique Lutheri dogmata, qui non intelligunt, quid sub eis veneni delitescat. Audiũtq; multos eum habere fautores, & à pluribus mirificè commendari, ob quod vacillãtes animo secum hæsitant, vtri parti,

Nouatus. Arrius. Donatus.

Ecclesiarum spũs vn⁹, ad ecclesiam à Christo missus.

Hæreti per se damnatus

Laterem lauat, qui Lutherum reuocare studet.

Vacillãtib⁹ animis & infirmioribus hoc opus editũ.

Mellitũ venenum Lutheranum dogma.

Universidad de Deusto

Universidad de Deusto Biblioteca

hoc est, an Lutheranis omnia temerantibus, an ecclesiæ patrib⁹ orthodoxis, assensuri sint potius. Ob istos nimirum labor aliquis, à viris nostri notissimum ordinis, examinandus fuit, quum dicat nobis Paulus: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos, ad regendum ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Nunquam enim ampliorem fuisse necessitatẽ opinor, quàm nũc sit prospiciendi Christiano gregi. Nã vereor ne tẽpora spectet ista, ꝙ Christus apud Marc. ait: Initia dolorũ hęc. Nam gentẽ aduersus gentẽ insurgere, regnũq; aduersus regnũ, pestẽ quoq; & rerũ caristiã, pluribus in locis vigere scimus, sed & pseudochristos ac pseudoprophetas exortos, qui multis imposuerunt, haud ignoramus. Euigilandũ igitur aliquãdo nobis est, quib⁹ tam pretiosi gregis cura cõmittitur, quatenus eum à lupina rabie (quæ iam sæuit) pro virib⁹ tutemur, ne si nostra negligentia (ꝙ absit) depereat, sanguis illius è nostra manu requiratur. Et sanè confido, ꝙ hęc nostra, quisquis attentè legerit (nisi filius omnino sit perditionis) plane perspiciet q̃ alienus à veritate sit Lutherus. Singulos enim per ordinem articulos, quos aduersus pontificis bullam, illum asserere non puduit, sic excussimus, vt opinemur nihil, quod pro illis asserendis Lutherus attulerit, non esse penitus à nobis hoc opusculo conuulsum. Auersetur igitur orthodoxus quisque iuxta Pauli doctrinam, hominem istum, cum sit sectarum author, & noui dogmatis aduersus communem totius ecclesię hęreticus. Hunc, inquam, auersetur, & fugiat, quisquis orthodox⁹ fuerit, sciens quod euersus sit, cum nullis velit commonitionibus resipiscere, sed & per se quoq; sit damnatus. Nam vltro recessit à patrum communione, simul & ab ecclesia, quam Paulus (vt diximus) columnã vocat & firmamentum veritatis. Quod & idcircò inculcamus lector, vt tibi (quisquis Christianus es) ceu sacra quædam anchora, sit communis ecclesię fides, cui firmiter adhęreas. Neq; enim periculum est, nec ecclesia (quę

Act. 20.

Marc. 18.

Det opam pastores lupinas ĩsidias à gregibus depellere.

Ezech. 3.

Lutbe. auersandus vt fidei subuersor

Ecclesia secum nunquã dissidet.

Ecclesiæ fides anchora sacra.

quantum ad fidei veritatem attinet, spiritu sancto regitur) à seipsa discedat, quanquam ab ea recesserint alij. Cæterum qui recedunt, à veritate recedunt, at hi sunt quos velut pestilentes, & perniciosos, Paulus auersari iubet. Bene vale.

PRAEFATIO.

QVando iam tandem, quũ ex aliis, tum ex duobus præsertim libellis, quos Martinus Lutherus edidit, altero de captiuitate Babylonica, altero de assertionibus omniũ suorũ articulorũ, sese prodidit hæreticũ esse manifestarium, ac totius ecclesiæ catholicæ cõmunem hostem, ad cunctos attinere Christianos arbitror, vt quibuslibet armis possent, illius oppugnent hæreses. Id quod fecit (quantum ad priorem libellũ spectat) rex noster illustrissimus, rex (inquam) Angliæ Henricus octauus, is qui dudũ gladio Romanã protexit ecclesiam, idem iam calamo totius ecclesiæ fidẽ tutatus est orthodoxam, atq; id tam splendidè, tamq; copiose fecit, vt nescias quod primũ in eo mireris, ingenium, eruditionem, an facundiam? vt de cæteris (ne captare gratiam eius videar) silea penitus. Neq; solum oppugnauit, verumetiam expugnauit, euicit, euertit funditus. Nos igitur posteriorẽ ipsius Martini libellum, Deo (quod cõfidimus) auspice, suscepimus cõuellendum. Puderet enim me (qui qualiscunque sum episcopus) aure surda transire tot iniurias, per vnum fraterculum nõ modo summo põtifici, vicario Christi passim illatas, verumetiam scripturis quoque sacris perperã obtortis sanctissimorũ patrum generalibus cõciliis ab eodẽ cõtemptis: spretis insuper interpretibus tam vita q̃ eruditione clarissimis, venerãdis ecclesiæ sacramentis fœdissime dilaceratis, traditionibus demũ apostolicis, ac cæteris ecclesiæ cõsuetudinibus, tot seculorum vsu receptissimis, pro nihilo iam habitis. Puderet (inquã) me delitiis ex otio literario partis frui, quum cernã ob has iniurias vindicandas Regem meum illustrissimum, in sua ipsius persona bellũ hoc tam potẽter aggressum.

Hẽricus 8. Angliæ rex septẽ sacramentorũ assertionem aduersus Lutherum edidit.

A Luth. contemptus summus põtifex, vitiatæ scripturæ, spreta cõcilia, interpretes, sacramenta traditiones, cõsuetudines, & quid non? Lutheranã ad conuitia & maledicta paratissimi.

A malis vituperari laus est.

Universidad de Deusto Biblioteca

Israel,& Iudam,atque ipsam adeo Dei arcam sub papilionibus agere.Nec me tamen fugit,quantis meipsum conuitiis lacerandũ obiicio, qui Lutheranas assertiones aggressus sum confutare. Sat enim scio, nõ defuturos ex iis qui Luthero student, quique in eius iurarint verba,qui nostros labores canino dente rodere non verebuntur .Sed istud dico,præueniẽs eorum latratus.Id mihi gloriæ futurum quicquid in me cõuitiati fuerint.Nam cum eodem ore me lacerabũt, quo patribus,quo pontifici,quo cunctis orthodoxis, quo demũ ecclesiæ,spiritu sancto gubernatæ,iampridẽ oblatrarint,quis nõ gloriæ ducet quicquid in me contumeliarum, conuitiorum & maledicentiæ congesserint?De iis calumniatoribus ipse Paulus apertissime nos præmonet ad Timotheũ scribens:In extremis diebus instabũt tempora periculosa.Erunt enim homines sui amantes,auari,fastuosi, superbi,maledici,parentibus immorigeri,ingrati,impij, carentes affectu,nescij fœderis,calumniatores.Hactenũ ex Paulo.Cæteraque respondent omnia quæcunque in ipso capite scripta sunt.Nullum vnquam genus hæreticorum maledictis & calumniis abundabat magis, his enim vel solis,confidunt orthodoxorum ora se frenaturos.Ob quod & toties habent in ore, Sophistas, cum sint ipsi sophisticissimi.Et hi præcipue sui amãtes sunt.Nam omnes præ se contemnunt, quantumuis bonos, quantumuis eruditos, sibi vnice placent, suisq; sunt erroribus addictissimi.Et cur nõ dixerim auaros?qui pro pecunia, quam Germani pro consequendis indulgentiis quotannis erogant, tantopere digladiãtur,vt malint omnia peruertere, quàm sinere tantæ pecuniæ fieri iacturam.Fastuosos,superbos, maledicos se plane demonstrant, quum fastu, superbia,maledicentia,cunctos, qui suis hæresibus aduersantur, pessundare studeant. Parentibus immorigeros esse,quis non aduertit,quum sanctissimis simul & eruditissimis eccclesiæ patribus reluctentur, & ipsi cum primis patrũ,pontifici maximo vsqueadeo cõtu-

2.Tim.3. *Aduerte lector quàm graphice Lutheranos depinxit Paulus Lutherani sophisticissimi, sui amãtes, auari,fastuosi,superbi,maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij,affectu carentes, nescij fœderis.*

meliosos exhibeant sese.Adde,quòd in eosdẽ ingrati sunt,& impii,atque affectu carentes, quum tot ab eisdem acceperint beneficia,nimirum sacrarum literarum interpretationes,quas tam fœde lacerant.Porrò nescios fœderis eos esse quisnõ omnino perspicit, qui Lutherũ tot rationibus pontifici deuinctũ, nempè voto,professione,iureiurãdo prorsusque astrictũ intelligit.Acuant igitur hi calumniatores quantũ velint,seu gladios,linguas suas,bonosquosq; cõtumeliis ficiant,probris insultent,cõspurcent maledictis, conuitia cõgerant,quando Paulus nobis præceperit eos auersari,nihilo pluris à nobis illorũ latratus,q̃ canũ, æstimabuntur.Opinantur equidẽ se posse quosuis à dicenda veritate suis maledicis infamationibus deterrere.Sed pusillus admodũ noster in Christum affectus esset,si verbis deterreremur solis, quum ipse iubeat,etiam verbera nihil metuere.Ne terreamini,inquit,ab iis qui occidunt corpus,& post hæc nõ habẽt quod faciant amplius.Illi sane quum insanam rabiẽ, ac tabidam insaniã euomuerint,nihil habent,quo noceant amplius,quanquam nec illa tantillum nocere queãt.Nã pro nostra parte scripturæ sanctæ gladios vibrant,stant in acie sacri patrum cõmentarij.Canones & concilia pro nobis dimicant, apostolicæ traditiones aperte decertant, patrocinatur demum & ecclesiæ diuturna consuetudo.Illi contra, pro suo sensu aut scripturas inuertũt,aut inficiantur, sacros interpretes contemnunt,canones & concilia damnant, traditiones spernunt apostolicas, diuturnas ecclesiæ consuetudines pro nihilo ducunt, perinde ac si non permaneret in ecclesia spiritus, qui de credẽdis omnibus eã efficaciter instruat.Quid multis moror?Omnia subuertere Christũq; simul & spiritũ eius ab ecclesia tollere moliũt. Negãt enĩ illic esse Christũ vbi reuera Christus est,hoc est in ecclesia quæ à B.Petro dimanauit,sed iam vel in conciliabulũ Bohœmicum, vel in VVittenbergicum se Christum transtulisse contendunt,quum tamẽ ipse plane testatus sit: Ecce ego

Timo.3.

Mat.10.

Pro nobis militant scripturæ,patrũ cõmentarij, canones,concilia, apostolicæ traditiones, assuetudines,ęq; vsitatissimæ. Luth.cõtra pro suorum capitũ somnio, hæc oia inuertunt, negant,aut spernunt.

vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Cæterum idem, nec pseudoprophetis istis fideremus, palam. 24. Matth. præmonuit dicens: Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducãtur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, aut in penetralibus, nolite credere. Quis hic nõ videt, q̃ graphicè Christus hoc loco depinxerit Lutheranos, qui multos in errorem, etiam si fieri posset, electos induxerunt, asserentes, vel in deserto Bohœmiæ Christum esse, vel in VVittenbergæ penetralibus? Nos igitur per Christum & Paulũ tam apertè præmoniti Lutherũ cum suis, velut pseudochristos, & pseudoprophetas auersemur. Satis enim seipsos produnt, quales nam sint, quũ à cœlibatu sacerdotes eximant, laicis eucharistiæ consecrationem permittant, mulierculis idẽtidem voto constrictis licentiam indulgeant lasciuiendi. An non ex his eorũ amentia cunctis innotescit, quod & Paulus ipse prędixit futurum? Nã & totum illud caput ad Timotheũ, eos adamussim exprimit. An non hoc dogmate mulierculas (quæ variis ducũtur desideriis) captiuas reddunt, maioribusque peccatis onerãt? Et num hoc nõ semper discere, & nunquam ad scientiam veritatis peruenire? Adde, quod hi resistunt veritati, quemadmodum Iambres & Mambres restiterunt Mosi. Cæterum sinamus impostores istos homines mente corruptos, vt diuus Paulus ait, & circa fidei doctrinam reprobos, in peius proficere, dum & in errorem adducunt, & errant ipsi. Nos vero iuxta diui Pauli consiliũ permaneamus in his quæ didicerimus, & quæ credita sunt nobis, scientes quod à patribus non minori vitæ sanctimonia, quàm eruditione præstantibus, ea didicerimus, & scripturarum interpretationes, nõ iuxta peruersionem à Luthero traditam, sed quas illi sancte fidelissimeque nobis reliquerunt, totis præ-

De Lutheranis præmonuit Christus.

Sacrosancta Lutheri dogmata.

2. Tim. 3.

Exod. 7.

Permanendum in iis quæ à patribus accepimus.

cordiis amplectamur. Cæterum vt ad institutum aliquando redeamus. Quum rex noster inclitissimus, qui suis meritis, fidei defensor iure cognominatur, iã in acie stat aduersum Lutheranos, nos etiam periculum faciemus, si quid in hoc negotio, nostra posset imbecillitas opitulari. Quoniam itaque Luther⁹ priusquam articulorum suorum cõprobationem aggreditur, prolixa satis præfatione præscribere molitur, quibus armis nos velit secum congredi, simul & præstituere nititur, nihil aduersum articulos suos, præter sacras scripturas à quoquam afferri debere: nos, quæ telorũ genera nemini Christiano, qui de rebus fidei disceptare velit, recusanda sint, mox decẽ iactis fundamentis, ostendere conabimur. Sed interea Lutherum ipsum loquentem audiamus.

Rex Henricus. 8. fidei defensor in acie stat aduersum Lutherum. Luth. quib⁹ armis secũ velit hostem cõgredi præscribit.

PROOEMIVM.

¶ Assertio omnium articulorum Martini Luther per bullam Leonis decimi nouissimam damnatorum.

QVanquã abundè satis prioribus libellis meis rationem reddiderim, de articulis istis, nouissima Leonis decimi (vt vel fingitur, vel fertur, bulla damnatis, & ipsi quicunque authores eius fuerint, suæ damnationis prorsus nullã caussam reddiderit, ne iota quidẽ è sacris scripturis adducto. Video tamẽ passim à multis desiderari, alteram, & propriam super eosdem omnes & singulos declarationẽ, forte quod speciem illam detrahi necesse sit, qua per titulum Rom. pontificis, & nomina aliquot doctorũ adornata bulla, apud vulgum nonnihil authoritatis inuenire posset, qui vanissima persuasione deceptus, quicquid nomine papæ prodit, statim credit à Deo prodire, frustra tot in contrarium exemplis, & quotidianis monstris eum fidelissime monentibus. Quibusdam & meæ fiduciæ, magis quàm popularis illius ruditatis rationem habuisse videor, dum contempta bullæ iustitia, pauculos nuper articulos defẽdi, quod illis factum videri posit, conscientia exhaustæ vel

Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

impotentis eruditionis. Aggredior ergo illorum votis obsequuturus, & non quid mihi, sed quid illis cómodum sit spectaturus denuo resolutiones scribere, forte non inutiliter, quum hic tractare necesse sit, fidei & religionis nostræ summa sacramenta, quæ vt impium est ignorarent, ita Christianissimum est, sic nosse, vt non modo confiteri, sed & tueri possis, in quam rem (si Christus aspiret) sedulam hoc libello dabo operam, quando hoc temporis, quo tyrannidis sophisticæ nouissima omniumque nocentissima persequutio seuit, non satis est nosse Christum, sed diuéditis pera & tunica propter gladium emédum, instructis armaturis etiam tueri oportet. Quod vt liberius & fœlicius efficiam, visum est præuenire aduersarios, & præmonere, quo campo, quib' armis, & signis, mihi velim eos congredi.

Episc. Cauillis & cõuitiis instructior Lut. & efficacibus vsqpiam rationibus.

¶ Ne mireris hic lector, & hoc principio, nihil istis Lutheri conuitiis respondeamus. Totus enim fermè libellus eiusmodi flosculis vbiq; refertus est, vt facile maioré horum, q̃ argumentorũ vsquam efficaciũ inuenies copiã. Experire, num verum sit, & dico. Et ni fallor, vix aliud occurret tibi crebrius, quàm probra, cõtumeliæ conuitiaq; in pontificem. In qua sanè re Lutherus suã potius malitiam prodit, q̃ pontificé lædat vel tantillum. Quid enim Christus eo deterior euasit, & pharisæi tot in illum maledicta congesserũt? Nihil profecto. Quinimo potius in ipsorũ malum, cũ cta reuertebantur. Sic neq; summus ipse pontifex ex Lutheri cõtumeliis, detrimenti quicquã accipit, quin Lutherus magis, more expuẽtis (vt aiunt) in cælũ, facit, vt in suũ ipsius caput recidat, quod expuerit. Osté dit enim planè se maledictis istis, ad ecclesiæ gremiũ haud quaquã pertinere, qui vsqueadeo cõtumeliose totius ecclesiæ principé insectatur. Scriptũ est enim: Principé populi tui non maledices. Neq; enim Paulus synagogæ principé (si fuisset ei cognitus) conuiciis incessisset. At multo minus ecclesiæ principé, & totius Christianitatis patré, probris tam indignis Lu-

Lut. in cælũ expuit.

Exod. 22. Summus põtifex pater & caput totius ecclesiæ.

therus afficeret, maxime cum diuino ipsius ore maledictus habetur, & morte dignus, qui vel patri, vel matri suæ maledixerit. At esto Lutherus nolit hũc agnoscere patré, nos certè non dubitamus eũ, & patrem & caput totius ecclesiæ nũcupare, & inferius opinor dilucide monstrabimus. Prætermissis igitur iis conuiciis, re potius aggrediamur, & istud saltè vel paucis attingam' quod præscribere nobis cãpum Lutherus velit, & arma, quibus cum illo cõgrediamur. Istud nimirum è re Lutheri foret, si tamen id liceret. Cætè rum licere nequaquã opinor. Nam sic facillime quiuis bellator, vel imbecillimus, victor euadet: modo sibi liceat, & certaminis locum deligere, & arma secũ concertaturo deputare. Rem ergo parum æquã postulat, quod & omnibus (qui vel scholasticis, vel militaribus cõcertationibus exercitati sunt) patere nõ dubito. Nam vt ei qui se cuiuslibet Reip. constituit hostem, pa rum conuenit decernere, quo quis illum petat telorum genere. Sed vniuersi protinus in eum insurgunt, & quibus possunt arreptis iaculis, illum confodere nituntur. Quòd si dixerit ille gladiis dũtaxat aduersum se velle dimicari, nemo hominem audit: sed vnus arrepta fuste, alius gladio, alius hasta, alius sagitta & arcu, alius funda & lapide, aut demum quicquid ad manum citius occurrit, eodem ferire cõmunem studet hostem. Sic pariter & nobis factitandum est, cum iam emersit Lutherus, Christianæ Reipub. perniciosissimus hostis, cuius sermo velut cancer, in perniciem serpit auditorum: hũc par est ab omnibus (quocunque id fieri potest telorum genere) celerrimè prosterni. Nosq; nimis quàm stolidi merito putaremur, si iaculis vllis quibus ille deiici posset quouis abstineremus pacto. Nõ est igitur æquum, vt Luth. nobis præscribat, quibus cum illo congrediamur armis. Nos enim potius Luthero præscribemus, quum priscus author Tertullianus de præscriptionibus hæreticorũ librũ ediderit, quo planè docet arcendos eos à scripturis disputandis. Hunc, inquit, po-

Ignauæ satis Lut. secum concertaturo arma decernit.

Apta comparatio.

Lut. Christianæ reip. hostis infestissimus.

Lut. potius arma præscribenda.

Tertul. hæreticos à sacris literis arcet.

Universidad de Deusto Biblioteca

Apostol. prohibet cũ hæreticis quæstiones inire. Tit. 3.

tissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad illam de scripturis disputationem, si hæ sunt illæ vires eorũ, vti ne eas habere possint. Dispici debet cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Hoc de consilio diffidentię, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit, imprimis illa, ꝓ fides nostra obsequium apostolo debeat, prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem. Adeò interdixit disputationem, correptionem designans caussa hæretici conueniendi. Et hoc vnam scilicet, quia non est Christianus. Ne more Christiani semel & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur: quum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè vt aut stomachi quis ineat versionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad disputationem instituti sui interuertit. Etsi recipit, nõ recipit integras. Et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones cõmentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantũ & corruptor stilus variæ præsumptionis necessario volũt agnoscere ea per quæ reuincũtur. His nitũtur, quæ ex falso cõposuerunt, & quæ de ambiguitate cœperũt. Hæc Tertul. Nos igitur hoc principio paucis (vt diximus) firmatis veritatibus, edocere conabimur, quibus armis velit nolit reuincẽdus est, quæ nec ipse, nec alius quiuis (qui se Christianum dici velit) refutare poterit. Sed iam primam ex iis veritatem statuamus.

Hæresis quasdã scripturas non recipit.

IN SACRARVM LITERARVM INTERPRETATIONE, PLEROSQVE SVIS INGENIIS CONFISOS, TVRPITER ABerrasse compertissimum est.

Nihil magis hanc veritatẽ stabilire potest, quàm priorum hæreticorum exempla, quot-quot retro seculis nos præcesserunt, quorũ errores ex scripturis perperam intellectis, ortũ habuerunt semper. Fuit enim Arrius vir alioqui doctissimus, & acerrimo præditus ingenio, ipecieque religiosus, verum sui spiritus ductum sequens, in hæresim prolapsus est. In quam (opinione suæ doctrinæ probatisque vitæ) multos secum traxit, tã episcopos quàm seculares principes, neque paucos annos huius hominis hæresis Ecclesiã infestauit, donec tandem per tot orthodoxos patres opitulante spiritu sancto, funditus erat euersa. Post hunc surrexit Macedoni⁹, qui suo quoque nixus spiritu, nouam hæresim, & ex scripturis haud sanè intellectis suscitauit. Post hos & alij, per series temporum orti sunt Nestorius, Eutices, Eluidius, Iouinian⁹, Donatus, Pelagius, Vviclefus, ac cæteri ingenti numero, qui contortis ad suum sensum scripturis pestilentissimas hæreses disseminauerunt, quibus ingentem fecerunt animarum stragem. Hæc Luthere, quanquã in sacris literis minimè prodita sint, nõ es tam perfrictæ frontis, vt negare possis. Sed quia vis, vt tecũ ex scripturis agamus, scripturas iam audi. Beatus Petrus de Paulinis epistolis sermonem faciens: In quibus, inquit, sunt quædam intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauãt, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Ecce quosdã hic scripturas ob earum difficultatẽ, haud satis intellectas,

Hæreses sp̃ è scripturis perperam intellectis ortæ.

Macedoni⁹

Nestorius.
Eutices.
Eluidius.
Iouinianus
Donatus.
Pelagius.
VViclefus
2. Pet. 3.

In sacris literis quædã intellectu difficilia.

ad suam perditionē deprauasse, Petrus affirmat. Quo certè liquet, nonnullos suos confisos ingenio, turpiter in sacris literis hallucinatos fuisse, sed & Paulus ad Timoth. de similibus loquens ait, eos nō intelligere, neque quę loquuntur, neque de quibus affirmāt. Et ad Corinthios affirmat suum Euāgelium, in iis opertum esse qui pereunt. Et quid aliud de Iudæis intelligi voluit Christus, quū dixit: Quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt? Quod si scripturæ tam apertę sunt, (vt tu videri vis) quomodo prolapsi sunt in hæresim, Hymenę° & Alexander, de quibus Paulus testatur, quod circa fidem naufragauerunt. Quo modo rursum propter Ebionem & Cerinthum negantes Christi diuinitatem Ioannes Euangelista cōpulsus sit quartum Euangeliū scribere. Sed & nisi tales futuros, qui perperam scripturas interpretarentur, Petrus fuisset suspicatus, nō dixisset certè, futuros in Ecclesia quosdā, magistros mendaces qui perditionis sectas introducerent, neque Paulus tāto admonuisset studio, quatenus hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionē, deuitaremus. Ex iis iam cunctis compertum esse puto, primam istam veritatem satis lucidam esse, nempe quod in sacrarum scripturarum interpretatione, plerique suis ingeniis confisi, turpiter aberrarūt, & hallucinati sunt non mediocriter.

5. Tim. 2.
2. Cor. 4.
Luca. 8.
Lapsi in hæresim Hymeneus & Alexander. Quare Io. Euāgel. quartū euāgel. scripsit.
2. Petr. 2.
Magistri mendaces.
Tit. 3.
Hæreticus post vnam aut alteram correptionē vitandus.

SECVNDA VERITAS.

Idipsum hodie quoque fieri potest, vt si quis in scripturarum interpretatione, suo spiritu nitatur, is facile dilabatur in errorem.

Quid cōmune modernis cū antiquis. Ecclesiæ sēp adest spiritus.

PAtēre potest & hæc, quando præter Cōcilia patrum, & commentarios orthodoxorum authorū, ac receptas ab Ecclesia consuetudines, nos (qui iam hac ætate sumus) nihil habeamus adiumenti, qd̄ non potuit illis fuisse cōmune. Nam fuit communis Deus gratiæ largitor, omnib° qui se rite prępararūt. Nec defuit vnquam Ecclesiæ sacer spirit°, citra quā fuerat missus, ad docendam nos omnem veritatem.

Antiquorum præstantia.

Ingenio pollebant illi, præstabant eruditione, literis omnibus & linguis efflorebant, ac demum multo q̄ nos viciniores erant ad Apostolorū tempora. In qua iam altera, quæso, re, præcellimus eos, præterquam in ijs, quæ nobis relicta sunt ex concilijs patrum, ex proborum authorum commentariis, & ex consuetudine, per vniuersalis Ecclesiæ consensum receptissima. Quamobrē ijs posthabitis, & cōtemptis, quisquis aggreditur scripturam sacram, suo cerebro confisus, proprijsque spiritus ductum sequens, facillimè poterit his temporibus, in eis hallucinari, quemadmodū & prioribus hæreticis contigit, nisi tumore animi deposito, maxima cum humilitate, se patrum orthodoxorum sententijs, & totius Ecclesiæ consuetis mysterijs conformarit. Quamobrem & horum potius fidei standum esse Tertullianus consulit, quàm de scripturis disceptandum. Sic enim in lib. de præscriptionibus hæreticorum vbi vetat curiositatem inquirendi scripturas, ait: Semper quæremus, & nunquam omnino credemus? Vbi enim erit finis quęrendi? vbi statio credendi? vbi expūctio inueniendi? apud Martionē, sed & Valentinus proponit. Quærite & inuenietis, Apud Valentinum, sed & Appelles hac me pronunciatione pulsauit, & Hebion, & Simō, & omnes ex ordine nō habent aliud quo se mihi insinuantes me sibi adducant. Et rursum in eodem libro, vbi, inquit, apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianorum. Hec Tertullianus. Ex quibus liquet, quod non sit nouis scripturarum excussionibus auris adhibenda, sed patrum orthodoxorum sententijs, & consuetis Ecclesiæ mysterijs inhærendum est.

Quibus rebus ātiquos præcellim°.

Suo cerebro quispiam cōfisus facillimè hallucinatur.

Nouis scripturarū excussionibus non est auris adhibēda.

TERTIA VERITAS.

Vbi de scripturis sacris, aut de veritate quauis ad Ecclesiam catholicam pertinente, controuersia suboritur, conuenit vt aliquo iudice, lis ea posset dirimi.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

ERit & hæc cunctis perspicua, modo spectét intentissimam curam, quam agit de Ecclesia tua Christus. Neq; enim nostra conditio deterior esse potest, quàm fuerat olim Synagogæ. Porro synagogæ prouidit Moyses, vt quoties nata fuisset inter iudices controuersia, super ambiguitate sanguinis, causæ, aut lepræ, mox negotium ad sacerdotes & Leuitici generis, & ad supremum inter eos iudicem deferretur, cuius iudicio standũ esset penitus. Sic enim in Deuteronomio scribitur: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, leprã & non leprã, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locũ quem elegerit dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tẽpore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit dominus & docuerint te, iuxta legem eius. Sic synagogæ prouidit Moses, & Christus Ecclesiæ suæ (pro qua & sanguinem proprium fudit) nullum ad cõtrouersias dirimendas (quas tamen innumeras præsciuit orituras) dereliquit iudicem? Adest ergo, nemini dubium est, in Ecclesia potestas iudiciaria, sufficiens ad omnẽ controuersiam, siue quæ de scripturis, seu quę de veritate quauis alia, ad catholicam Ecclesiam spectante nascitur, dissoluendam & rescindendam penitus. Is Iudex (quod tamen tu moliris) non potest esse scriptura sacra, quemadmodũ inferius ostendemus. Neque enim apud Iudæos lex ipsa iudex erat, & maximè cùm de verbis legis agebatur contentio, sed vt figuræ suæ respondeat veritas, locus adeũdus est, quẽ elegit dominus, qui nimirum apud nos, Cathedra Petri iure censetur. Nam vt apud Moseos cathedram, Iudæis iudices erant quærendi, ita & nobis Christianis ad Petri cathedram, pro dirimẽdis controuersijs confugiendum est ad hunc modum ante nos fecerũt maiores nostri, tam doctrina, quàm vitæ sanctimonia

In Synagogalis orta ad iudicem deferebatur. Deut. 17.

Moses Synagogæ, Christus ecclesiæ prouidit.

Adest Ecclesiæ iudiciaria potestas.

Scriptura non potest esse in Ecclesia iudex

Ad Petri cathedrã ꝓ dirimẽdis cõtrouersiis fugiendum.

spectatissimi. Sic Hieronymus fecit ad Damasum scribens: Quoniam, inquit, vetusto oriens inter se populorum furore collisus indiscissam domini tunicam & desuper textã, minutatim discerpit, ideo mihi cathedram & fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. Et rursus ad eundẽ: Beatitudini, inquit, tuæ: id est: Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatã Ecclesiam scio. Et iterum ad eundem, Emendari cupimus à te, qui Petri sedem tenes & fidem. Et alibi, Si quis Cathedræ Petri iũgitur, meus est. Quamobrem & dicit se vitalem non nosse. Meletum respuere. Paulinum ignorare, quippe qui sedis huius & cathedræ fuerant aduersarij, sed & demum cunctos affirmat spargere, hoc est schismaticos esse, & extra Ecclesiam, qui cum successore Petri non colligunt. Vides hic, quãtum Hieronymus Cathedræ Petri censet tribuendum. Tribuit Augustinus quoq; quæstione. 100. veteris & noui testamenti. Cathedrã pestilentiæ vocans eorum, qui vel extra Ecclesiam, vel contra Ecclesiam, sedes sibi instituerunt, & sedẽ asserit eos vsurpare Petri, cuius tamen traditionem corrumpunt. Nam & ordinẽ, inquit, ab Apostolo Petro cœptum & vsque ad tempus per traducem succedentium episcoporum seruatum perturbant, ordinẽ sibi sine origine vendicantes, hoc est corpus sine capite profitentes. Vnde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiæ appellare. Hæc Augustinus. Cyprianus item Cornelio summo pontifici scribens, eundẽ animat ad perferẽdas minas & terrores, quos incussere Nouatiani, citansque præfatum testimonium quod paulo antè ex Deuteronomio attulimus, tandem subdit. Neque enim aliunde hæreses obortę sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diui-

Hierony.

Qui Petri Cathedræ aduersantur schismatici sunt.

Augusti. Cathedra pestilentiæ.

Cyprianus

Hæresum & schismatum origo.

Universidad de Deusto Biblioteca

Vnius Ecclesia vice Christi sacerdos. Leo.

num iudicium,post populi suffragium,post coepiscoporum consensum,iudicem se non iam episcopi, sed Dei faceret, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiã scinderet,nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris nouã hæresim conderet.Hæc Cyprianus. Ex quibus apertè datur intelligi quòd debeat vnus ad tempus in Ecclesia sacerdos esse, qui sit iudex habendus vice Christi,quum sit diuino firmatus iudicio, populique suffragio,ac demum Coepiscoporum cõsensu. Huic si cæteri obtemperarent, nullæ hæreses, nulla schismata,nullaque intra Ecclesiam nata dissidia durarent diu.Et Leo papa ad Anastasiũ episcopũ Thessalonicensem de corpore Ecclesiæ loquens: Hæc inquit,connexio totius quidem corporis vnanimitatẽ requirit,sed pręcipuè exigit concordiam sacerdotũ. Quibus cum dignitas sit cõmunis, non est tamen ordo generalis.Quoniam & inter beatissimos Apostolos,in similitudine honoris,fuit quædã discretio potestatis,& quum omnium par esset electio,vni tamen datum est,vt cæteris præemineret.De qua forma,episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent,sed essent in singulis prouinciis singuli, quorũ inter fratres haberetur prima sentẽtia. Et rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem,per quos ad vnam Petri sedẽ vniuersalis Ecclesiæ cura cõflueret.Hæc Leo. Quid Ambrosium memorem,qui magistram in omnibus se profitetur sequi Romanam Ecclesiam? Itaque vides ex Latinis probatissimis,quid de sede Romana & Petri cathedra sentiant.Astipulantur & Græci,ꝙ quum ex alijs,tum ex Athanasio testatissimũ est. Is enim nostræ sententiæ ad Marcum Romanæ vrbis episcopũ sic ait:Optamus vt à vestræ sanctæ sedis Ecclesiæ authoritate,(quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum) ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere,per præsentes legatos mereamur,quatenꝰ vestra fulti authoritate, vtriusq; pci

Inter Apostolos discretio potestatis. Distinctio Episcoporum.

Ambrosiꝰ. Ro.Ecclia omnibus magistra.

Athanasiꝰ Ro.Ecclia mater & caput omniũ Ecclarum.

bus roborati, illęsi à memoratis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris,euadere,nobisque commissos eruere valeamus.Hactenus ille.Mirum est Luthere, cum ista non ignores, aut saltem nosse debueras,quod tãtum tribuis Romano pontifici, quum vel apertissimum sit ex euangelio Ioannis, Caipham tametsi pessimum,& qui pecunia pontificatum sibi comparat,tamen quia pontifex fuerat illius anni, verum iudicium protulisse: Vos,inquit,nescitis quicquam,neque cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc inquit Ioannes, à semetipso non dixit, sed quum esset Pontifex anni illius, prophetauit quia Iesus moriturus erat pro gente,& non tantum pro gente,sed vt filius Dei,qui erant dispersi,congregaret in vnum. Ecce qui Moseos cathedram occupauit,quanquam auaritia,& ambitione,ac symonia, corruptissimꝰ fuerat, tamen quia summus erat illius anni pontifex.Iudæis protulit iudicij veritatem.Et qui Petri cathedram legitime sortitus,nõ potest hoc facere Christianis?Absit.Et maximè cum Petro dictũ sit,Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,& portæ inferi(hoc est hæreses)non prẹualebunt aduersus eam.Propter quod & Augustinus inter cętera,quibus memorat se retẽtum in Ecclesiæ gremio,dicit:Tenet me, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem dominus commendauit,vsque ad præsentem episcopatum,successio sacerdotum. Tenet & ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit. Hæc Augustinus aduersus epistolam Manichæi. Cęterum quoniam inferius habes articulum de Romani pontificis authoritate peculiarem, illic fusius hac de re tecum disseremus.Et hæc iam sufficiant pro tertia veritate.

Caiphas qd pontifex ꝙ tulit verum iudicium. Ioannis.11.

Matth.16. Portæ inferi Tenuit Augustinum gremio Ecclie succeßio Ro. pontificis.

Ca.4.ar.15

QVARTA VERITAS.

Non semper quæque conuersia sic exorta, sola sacrarum literarum auxilio dissolui poterit,ac reuelli.

Universidad de Deusto Biblioteca

Luth. purgatorium non fatetur & credit.

ET ad hanc ſtatuendam (ne petamus aliunde ſubſidium) tua Luthere nobis abunde ſufficiet aſſertio. Aſſeris enim inferius in declaratione articuli.37.te credere purgatoriũ eſſe, & idipſum alijs conſulere, ſuadereque credendum. Sed & multo apertius inter concluſiones, cõcluſione. 15, Mihi, inquis, certiſsimum eſt purgatorium eſſe, nec multum me mouet, quid blaterét hæretici. Et paulopoſt, Nun quid ideo credendum eſt hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot ſæculorum, falſam fuiſſe contendendum? Catholicè nimirum iſta ſcripſiſti, atque vtinam ita perſeuerasſes. Sed ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Negas tamen ex ſcripturis ſacris probari poſſe purgatorium. Sic enim habet aſſertio tua.37, Purgatorium nõ poteſt probari ex ſcriptura ſacra, quæ ſit in canone. Nunc cernis Luthere in hac controuerſia (quæ nobis de purgatorio cum hæreticis eſt) non poſſe ſcripturam ſacram pro nobis iudicem eſſe. Sed & erit potius, ſi te ſequamur interpretem, aduerſaria nobis. Sic enim in commentarijs tuis ſuper epiſtola ad Galatas, explicans illud Pauli: Dum tempus habemus operemur bonũ. Scribis monere Hieronymum, quod vbi Apoſtolus dicit, dum tẽpus habemus?, vitã præſentem eſſe tempus ſementis, ſicut & Chriſtus dicit: Operemini dum dies eſt, veniet nox quãdo nemo poteſt operari. Et ſubdens ipſe: Quæ cõtra purgatorium, inquis, videntur pugnare. Sed & quod poſſet obijci conſequenter diluere ſtudes. Licet enim, inquis, doctores dicãt, in purgatorio non niſi ſatiſfactionem, ſeu nouo reperto vocabulo, ſatiſpaſsionem eſſe, ego tamen non video quomodo ſatiſfactio vel ſatiſpaſsio nõ ſit operatio bona. Quid ijs verbis aliud inſinuas Luthere, quàm ex ijs videri tibi, non eſſe purgatorium? Quid ergo relinquis nobis armorum aduerſum hæreticos, qui purgatorium negant, cum tuo iudicio, ſcriptura tam Chriſti quàm Pauli nobis aduerſetur, & nullam omnino ſinis pro noſtra parte militare? Contendentibus itaque nobiſ-

Vbi ſacra ſcriptura nõ poteſt eſſe iudex.

Alio ſubſidio ꝗs ſcripturarũ aliquãdo licet vti.

cum hæreticis, nos alio ſubſidio noſtrã oportet tueri cauſam, quàm ſcripturæ ſacræ. Quæ res etiam vel ex alio poteſt loco fieri perſpicua. Viſus es propemodũ negare epiſtolam D. Iacobo inſcriptam ipſius fuiſſe, nimirum quòd tuis opinionibus aduerſatur. Verùm hanc, ſi tu aut quiſquam alius repudiare ſit conatus, quibus armis, quæſo, nos ad eam tuendã vtemur? Neque enim ea poteſt ex ſcripturis firmari, quamobrem ad alia remedia neceſſario fugiendum eſt. Ad hæc Eluidius perpetuam diuæ virginis integritatem impugnans, plurimas & ipſa prima fronte perſpicuas, adducit pro ſua parte ſcripturas. Et primum ex Matheo narrante, Quòd quum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto, vbi tria notat. Primùm deſpõſationem, ſecundum, quòd reperta eſt in vtero habere, priuſquam conuenirent, & tertium, quod poſtea re ipſa cõuenerunt. Subinde producit, quod in eodem Matthæo ſcribitur: Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Ex quibus verbis (quãtum ad ſenſum grãmaticum pertinet) ſatis aperte colligit, Ioſeph poſtea cognouiſſe Mariã. Tertio loco profert ex Luca, Impletos eſſe dies Mariæ. vt pareret filium ſuum primogenitum. Vnde ſubinde ſubinfert Eluidius, eã habuiſſe ſecundogenitum, propter cõparationem primogeniti. Et hoc teſtimonium iunctum prioribus, nonnihil ad rem facit. Poſtremo, quod toties in Euangelijs aſſeritur, Ieſum habuiſſe fratres. Primum Lucæ octauo: Ecce mater tua, & fratres tui ſtant quærentes te. Et Matthæi duodecimo: Ecce mater tua, & fratres tui, foris ſtant quærentes loqui tibi. Ioannes item ait: Neque enim fratres eius tunc credebant in eum. Et Marcus ſcribit dixiſſe turbam, vnde huic omnis hæc ſapientia & virtutes? Nonne hic eſt faber ille filius Mariæ, & frater Iacobi & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & ſorores eius, hic nobiſcum ſunt? Hæc & alia profert Eluidius pro ſua parte teſtimonia, quod Maria plures

Epſtam. D. Iacobi Luth. carbone notat.

Ad nouos morbos nouæ quærẽda remedia.

Eluidius.

Mariæ mãſtix.

Matth. 1.

Lucæ. 2.

Ioan. 7.

Mar. 6.

Eluidij errores ſcripturis facilè nõ poſſe refelli.

Universidad de Deusto Biblioteca

In varios sensus scriptura flexibilis.

præter Christum accepisset filios. Nos contra, ne verbum quidem vnũ, ex scripturis afferre possumus, & tamen certò credimus, eam perpetuò fuisse virginẽ. Quo nam igitur modo (te quæso Luthere) scriptura poterit hanc dirimere controuersiam? imò nõ augere magis, si quis proximo spiritu sensum (quẽ ex mera grammatica colligimus) sequi nitatur. Accedit ad hæc, quod scriptura sæpe trahi potest ad varium sensum, quemadmodum vsu videmus ab hæreticis fieri, qui sensum, quem semel imbiberunt, adeò mordicus tenent vt nullius alterius iudicio stare velint, sed totius Euangelij textũ rumpi sinent potius, quàm sensum (quem extorserunt) auelli sibi patiantur. Prohibet igitur & Tertullianus cum hisce de scripturis conflictari, libro de præscriptionibus hæreticorum, sic inquiens: Quid promouebis exercitatissime scripturarum? quum si quid defenderis, negetur ex diuerso. Siquid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentionem. Nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Ille verò si quis est, cuius causa, in congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse æquo gradu negãdi & defendendi, diuersa parte statutum, certè & pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet. Hæc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere nobis potius adulteria scripturarum, & expositionem eorum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Hæc Tertullianus.

Hæretico orthodoxóque de scriptura disceptantibus, quis adhibẽdus iudex.

Quid ergo fiet, duobus de scriptura quapiam contẽdentibus, altero catholico patrũ sentẽtiam defendẽte, altero hæretico, qui proprio sensui pertinaciter adhæret? Quomodo, inquam, lis ista sopietur, præsertim cũ nihil ex scripturis afferri posset, quod vterque

non vertat in partem suam. Quem iudicem hic adibimus, nisi Petri cathedram? quæ profecto dubiis in rebus, & ad fidem præcipuè spectantibus, nunquam non erit adiuta diuinitus, vt certam nobis depromat veritatem.

QVINTA VERITAS.

Propterea missus fuerat Spiritus sanctus, vt in ecclesia perpetuò maneret, quatenus, quum huiusmodi suborirẽtur errores, semper de veritate certiorem eam redderet.

5. Christi de Spiritu sancto promissa.

CHristus quantũ ad hunc spiritum attinet, quinque nobis erat pollicitus. Primùm quòd esset Paracletus, hoc est, consolator Ecclesiæ suæ. Deinde, quòd in æternum apud nos maneret. Tertium, quòd quæ futura essent, nobis annunciaret. Quartũ, quòd verba Christi nobis interpretaretur. Quintum, quòd esset nobis spiritus veritatis, nosque duceret in omnem veritatem. Nihil ex iis obscurum esse reor, præter quartum, cum cætera verbis apertissimis Christus ipse testatus sit, vt ex Euãgelio D. Ioã. liquet: de quarto verò dicit, Docebit omnia, suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis. Sic enim habetur Græce, non dixero. Sed & inferius de eodem spiritu loquens, ait: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Clarificauit filius patrem, quum ea, quæ per prophetas loquutus sit pater vera fuisse declarauit. Clarificauit & filium spiritus, quando ad filij doctrinam populo communicãdam, doctorum corda secretis inspirationibus illustrauit. Quæcunque igitur Christus dixit & docuit, spiritus ille sanctus (si quid obscurum fuerit) luculentius erat interpretaturus. Cæterum aiet fortè Lutherus, Christum hæc præsentibus Apostolis fuisse pollicitum. Neque istud negauerimus. At non solis, qui tũ præsentes erãt, exhibita hæc fuisse, manifestissimum est. Paulus enim tunc non aderat, quippe qui nondũ fuerat conuersus, & tamen is ad Timoth. dicit: Spiritus manifestè loquitur. Non solum itaque propter apostolos, qui tũ præsentes erant, sed propter omnes

Ioan. 14.

Ioan. 16.

Clarificauit filius patrem, clarificauit filium spiritus.

1. Tim. 4.

Universidad de Deusto Biblioteca

In Eccl'ia residet spūs sanctus.

Christianos, quotquot essent futuri, quandiu militat hic in terris Ecclesia, pollicitationem hanc à Christo factam fuisse dilucidum est. Ad quid enim in Ecclesia spiritus ille sacer perpetuò residet, si non subortis hæresum tempestatibus (quæ fluctuantem eam reddiderint) protinus occurreret consolatione sua, claramque veritatis suæ lucem, in rebus controuersis, ac dubijs exhiberet? Neque enim otiosus esse potest, qui ad tantum negotium, tam inclytus, à tam eximijs personis, patre videlicet & filio, missus esse non ambigitur, sed indefesse negotium (ob quod missus fuerat) agere credendus est. Et quanquam ipsius trinitatis opera sint indiuisa, Patris inquā, & Filij, & spiritus sancti. Scriptura tamen horum cuique suum, & quasi peculiare tempus ob erudiendam Ecclesiā tribuit. De patre enim diuus Paulus tradit, quòd olim patribus per Prophetas multifariam multisque modis loquutus sit. De filio subinde referunt Euāgelia, quomodo per Apostolos erudiuerit Ecclesiā. Et spiritum denique sanctum, eatenus à patre, filioque missum, Christus ipse testatur, quatenus apud nos in æternum maneret, docturus Ecclesiam in cunctis, quæ ad fidei necessitatem attinerent. Quo fit, vt propter perpetuam huius spiritus præsentiam, Ecclesia apud Paulum columna dicitur, & firmamentum veritatis, nimirum quod hoc spiritu veritatis, tam solidè fulciatur, vt nequeat in errores aliquos impingens, diutius in eis perseuerare.

Hebr. 1.

1. Timo. 3.

SEXTA VERITAS.

Spiritus ille sacer orthodoxorum patrum linguis ad hæresum extirpationem, & ad plenam Ecclesiæ super rebus dubijs instructionē, hactenus vsus est, & vtetur semp.

Aliorū linguis sacer spūs Ecclia hactenus instruxit.

Constat & hæc ex præcedenti. Nam si non fuerit otiosus in Ecclesia diuinus ille spiritus, per aliquos necesse est Ecclesiam erudiuit. Neque enim sermo eius palàm cunctis innotuit, sed aliorum linguis ad instruendam Ecclesiam vsus est, quemad-

admodū & de Deo patre D. Paulus ad Hebræos scribit illum fuisse maiorib⁹ nostris loquutum olim per Prophetas. Filium autem eius idemtidem per Apostolos suos, totum orbem docuisse compertissimum est. Euntes, inquit, docete omnes gentes. Sic & tertio loco: Spiritum sanctum per Apostolicos viros (Apostolis è medio iam sublatis) Ecclesiā in cunctis quæ necessaria forent, deinceps edocere par fuit, ac omnia potius agere, quàm vt diutius in rebus vehementer ambiguis ipsa fluctuaret. Non ꝓ sacrosanctæ Trinitatis huius opera, sicut antè diximus, sint diuisa, sed quòd singulis horum suum tempus in scripturis accōmodatur: quāquam omnes indiuisim, & semper operati sint. Tunc enim quādo patri negotium tribuitur erudiendæ plebis per Prophetas, spiritus etiam eosdem inspirauit, quemadmodum & D. Petrus testatur, Spiritu, inquit, sancto inspirati locuti sunt Dei homines. Quòd si tunc in Prophetis loquutus sit spiritus, quum nō erat adhuc datus: quanto magis hoc suo tēpore, quum sit iam particulariter in hoc negotiū missus, per pontifices & doctores, credendus est fuisse loquutus. Testantur historiæ, quod cum sacri baptismatis vnda, Basilius & Eubolus abluerētur, venit super eos lux immensa sicut fulgur, & columba ex fulgure descendens, turbauit aquam & euolauit. Et quū Ambrosius psalmū. 43. dictaret, vidit eius notarius ignē, caput eius in modum sicuti operientem, & per os eiꝰ intrantem, quo facies eius ad instar niuis enituit. Sed & D. Gregorius, quum electus in summum pontificē, dignitatem tantam fugijsset, quiddam in modū igneę columnæ super eum in cauerna delitescentem emicuit, cuius indicio deprehensus est. Hæc nimirum erant præsentiæ ipsius spiritus signa manifestissima. Et hoc est, quod Damascenus testatur, dicens: Simili quoque pacto, & apostolicæ gratiæ, & dignitatis successores, pastoresque & doctores illuminatricem spiritus gratiam adepti, tum miraculorum virtute, tum sermonis gratia obscuratos illuminarunt, & errore

Hebr. 1.

Pater per Prophetas.

Filius per Apl̄os orbem docuit.

Matt. vlt.

2. Petr. 1.

Præsentiæ S. Spiritus signa manifestissima.

Basilius.

Eubolus.

Ambrosi.

Gregorius.

Damascenus

Viri apl̄ici spūs gratiā adepti signis claruerunt.

Per spiritũ qui sunt loquuti.
Matth.10.
Ephe.4.
Christus præter Apostolos pastores etiam atque doctores instituit, qui ecclesiã ædificarẽt.

deuios conuerterunt. Et alibi rursum. Per spiritum igitur sanctum & lex & prophetæ, & Euangelistæ, & Apostoli,& pastores locuti sunt,& doctores.Id quod ex ipso Christo patet. An ad solos Apostolos dixit Christus,Non vos estis qui loquimini,sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.An non præter Apostolos,quosdam(vt ait Paulus)prophetas instituit, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores,ad instaurationem, seu magis ad consummationẽ sanctorum,quibus Christus inchoationẽ nouæ creaturæ dedit?Hos nimirum pastores & doctores, ac cęteros instituit(vt illic docet Paulus)in opus ministerij,in ædificationem corporis Christi, hoc est, vt ministrent hunc spiritũ cæteris, & ecclesiam verbo spiritus ædificent.Sed & istud institutum,non solum ad Apostolorum tempora spectat,verumetiam ad finem vsque seculi perdurabit, nempe donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei,in virum perfectum,in mensurã ætatis plenitudinis Christi.Sed & istud expendamus, quod iam tandem subinfert Paulus.Scopum videlicet,quẽ prospexit Christus, hæc instituens, nimirum vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ,in nequitia hominum,in astutia, ad circunuẽtionem erroris.Ecce cur pastores & doctores, ac cæteri ministri dati sunt ecclesiæ, nimirum vt his fidem habeamus, verẽque credamus in eis spiritum sanctũ loqui,vitemusque cæteros,qui doceant iis contraria, quales aliquot futuros Paulus insinuat, quum versutiam hominum memorat & astutiam qua nos adoriũtur,vt imponant nobis, ac circumueniant in errore. Quisquis itaque, quod doctrinæ patrum aduersatur docuerit quicquam, is modis omnibus vitandus est, ni velimus potius semper esse tanquã paruuli semper discentes, & nunquam ad scientiæ veritatem peruenientes,semper fluctuantes, & omni vento doctrinæ circumacti.

Pastores & doctores, cur ecclesiæ dati.

Prorsus vitandus qui patrum dogmatis aduersantia docet.

Universidad de Deusto Biblioteca

SEPTIMA VERITAS.

¶ *Qui squis orthodoxos patres non recipit, hanc doctrinam sancti spiritus contemnere, neque spiritum illum habere manifestum est.*

TAnta nimirum est vnitas corporis huius mystici(quod est Ecclesia)vt nõ modò corpus vnũ, omnes Cristiani dicamur, & simus, verumetiã spiritus vnus,propter inhabitantem spiritum sanctũ in nobis.Vnum corpus,inquit,D.Paulus,& vnus spiritus sumus.Colligatur enim Christianus Christiano, nexibus quibusdam inuisibilibus, & quidem multo validioribus,quàm in corpore naturali membro mẽbrum compaginatur. Et vt in iis, vitalis quidam spiritus discurrens,arcanum quendam instinctum operatur, ita vt membrum quodque norit sibi congenitum membrum, paratúmque sit pro eius defensione seipsum exponere discrimini, velut agnoscens communem in vtroque spiritum.Sic & in mystico totius Ecclesiæ corpore quisque Christianus (qui studet vnitati spiritus) secreta quadam vnctione, mox, vt audit proximum Crhistianẽ loquentem, agnoscit communem spiritum, qui in seipso loquitur. Sic est (inquit Christus) omnis qui natus est ex spiritu, nẽpe quòd intima quadam persuasione, vocem spiritus agnoscit,& eidem condelectatur.Sed alibi de suis ouibus testatur Christus, quod suam vocem sint audituræ, neque cognituræ sint alienorum.Quoniam igitur eadem est vox Christi, quæ & spiritus eius,oues Christi, hoc est, fideles Christiani libenter huic voci obtemperant à quocunque proferatur. Et qui recusant hanc vocem,ad hoc ouile non spectare,neque in hoc corpore locum habere,credendi sunt. Alieni profecto sunt, & iidem vocem audiunt alienorũ,hoc est, hæreticorum peruersa docentium. Quisquis igitur patres orthodoxos (in quibus sacer ille spiritus loquitur) respuit,neque vocẽ spiritus in eis loquentis recipit, is prorsus indicat se spiritus illius expertẽ esse, neq; Paulũ audit iubẽtẽ,vt solicite ser-

Ephe.4.
Mystici ecclesiæ corporis & naturalis conueniencia.

Ioan.3.
Ioan.10.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ephe. 4.

uemus vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Nam qui fieri poteſt, vt is vnitatem ſeruet ſpiritus, qui docere non veretur, ijs quæ ſpiritus olim docuit, manifeſte pugnantia? Docuit autem ſpiritus ille ſanctus eccleſiam per priores patres, paſtores videlicet & doctores, cæterosque miniſtros, vt ex ꝓxime ſuperiori conſtitit. Quamobrem qui iam cõtrarium dogma ſtatuere molitur, is apertiſsimè diſſoluit vnitatem ſpiritus & vinculum pacis, ac denique totius corporis Eccleſiæ compagem. Cæterùm dicet Lutherus, priores patres nonnunquam aberraſſe. Neque iſtud ipſe negauerim. Errauerunt interdum, atque ob id errare permiſsi ſunt, vt homines eos fuiſſe cognoſceremus. Sed quid, ſi permiſsi fuerint aliquoties errare, num propterea cæteris, qui recte dixerunt, nihil authoritatis erit relictum? Abſit. Errarunt aliquando Prophetæ, errarunt & Apoſtoli, neque tamẽ de cæteris, quæ docuerunt, quicquam dubitamus. Nathan (vt non ignoras) Propheta fuit, is tamen conſultus à Dauid rege, ſuper opere, quod rex animo meditabatur, num eſſet ipſum completurus, reſpondit: Omne quod eſt in corde tuo, vade fac, quia dominus tecum eſt. Sic haud dubiè reſpondit, & nihilominus eum erraſſe cunctis ꝓſpicuum eſt. Similiter & alios Prophetas aliquando feciſſe ſcripturæ teſtantur. Quid igitur? Num ꝓpter hos errores, nulla cæteris quæ dixerint, fides adhibebitur? Abſit. Sed diuinæ pietatis diſpenſatione factũ eſt, vt ad hunc modum, tã nos quàm illi, ſe cognoſcerent homines eſſe, & à Deo, quicquid recte dixerint, accepiſſe: à ſeipſo verò, quicquid aberrauerint. D. Petrus quoque quum (accepta prius à Deo patre reuelatione) Chriſtum confiteretur eſſe filium Dei, veriſsima dixit. At paulopoſt, quum eundem à morte ſtuduit auerſari dicens: Abſit hoc à te domine, num mediocriter aberrauit. Quid ergo? Num ob id priorem confeſsionem eius reijciemus? Nequaquam. Sed iam vt hominem ſibi derelictum, humano more fuiſſe laꝑſum agnoſcimus, tũc vero diuinitus adiutum ſuper

Spũs ſeruãda vnitas ĩ vinculo pacis.

Quare patres erraſſe permiſsi.

Errarũt aliquãdo Prophetæ & Apoſtoli.

Lapſus Nathan.

2. Regũ. 7.

Humanum errare.

Petrus ſibi derelictus errauit.

Matth. 16.

Doctores ſuis ingenijs relicti interdum lapſi.

captum hominis, diuinitatem Chriſti fuiſſe cõtuitum, haudquaquam dubitamus. Sic pariter & de ſacris Eccleſiæ doctoribus contigit, haud abſque diuina diſpenſatione, nempe vt ſuis ingeniis relicti, nonnunquam in errores inciderint, cum tamen certum ſit, ꝓ in cæteris fulgore diuini ſpiritus illuſtrati, non niſi ſaluberrima dogmata ad maximum Eccleſiæ commodum prodiderunt. At obiectabit adhuc Lutherus. Si potuit interim cæcutire, & errore teneri interpres, quomodo nobis, inquit, erit exploratum, quando verum dixerit? Id nimirum fiet, mutua vel ſcripturarum ad ipſum, vel cæterorum interpretum, vel Apoſtolicarum traditionum, vel generalium conciliorum, vel Eccleſiæ catholicæ conſuetudinum, vel demum horum omnium in ſimul facta collatione. Nam hæc ita ſe mutuo fulciunt, vt quicquid ab aliquo ſcriptum fuerit interprete, modo vigilanter hæc omnia ſibi mutuo conferamus, facillimè deprehendi poſſet, an verum an falſum fuerat, vt nihil oporteat propter aliquos in eis repertos errores, cætera contemnere, quæ alioqui verè catholiceque tradiderunt.

Quõ deprehendi poteſt interpretem ſemel lapſũ in alijs tamẽ verũ dicere.

OCTAVA VERITAS.

Si per ſingulorum patrum ora ſpiritus ob eruditionem Eccleſiæ loquutus ſit, multo magis in concilijs patrũ generalibus id feciſſe putandus eſt.

HÆc quãquam de ſe manifeſtiſſima ſit, ex ſcripturis tamen afferre teſtimonium haud grauabimur. In Actis apoſtolorum traditur, quod quum ſuborta fuiſſet inter Chriſtianos ſuper legaliũ obſeruatione controuerſia, mox Apoſtoli, cæterique Iudæi ſeniores (qui tum ad Chriſtum conuertebantur) eius rei gratia Hieroſolymis concilium habuerunt, & tandem vltro citroque rationibus auditis, vnanimi conſenſu, cæteris (qui tamen aberant) gentibus decretum ſuum per Paulum & Barnabam miſerunt, affirmantes id ſpiritui ſancto, ſimul & ſibi fuiſſe viſum: quum tamen ſpiritus ille nullo ſenſibili

Act. 14.

Cõciliũ Hieroſolymitanum ſpiritu ſancto iſtructum.

Universidad de Deusto Biblioteca

signo (quemadmodum prius in die Pẽtecostes fecit) se præsentẽ exhibuit. Quoniã igitur idẽ spiritus adhuc in Ecclesia neq; penitus otiosus residet, quis dubitare potest, cum ex omni orbis parte maximus episcoporum conuenerit numerus, vsqueadeo, vt cõstet aliquando fuisse ducentos, aliquando trecentos, sed & sexcentos nonnunquam: quis, inquã, ambigere potest, quin inter tot patres, tam eruditione q̃ vitæ sanctimonia spectatissimos, tantoq; charitatis ac pietatis studio congregatos, non medius affulserit spiritus ille sanctus? Præsertim cum Christus ante sit pollicitus in medio se futurum, vbi duo vel tres forent in eius nomine cõgregati. Et cui dubium esse poterit, illic vbi Christus est, adesse pariter & Christi spiritũ? Quando igitur Christus duobus aut tribus in eius noie cõgregatis, affuturũ se ꝓmisit, tot cẽtenariis patrũ ꝓ salubri totius Ecclesię statu coadunatis, Christi spiritũ (qui in id negocii missus erat) putabim⁹ defuturum? Absit, nevel istud leuiuscule suspicemur. Cęterum iis obiiciet Lutherus, concilia quædam inter se pugnare mutuo: quemadmodum, exempli gratia, Nicenum & Africanum, Constantiensi concilio docet aduersari, quamobrem nec putat ab eodem spiritu, singula fuisse profecta. Dicit enim in resolutione super disputatione Lypsica, Nicenum concilium decreuisse, vt Ro. põtifex curam haberet Ecclesiarum suburbanarum, sicut Alexandrinus habuit Ægypti Quibus nimirum verbis Ro. pontifici conatur auferre primatũ potestatis, quam tamen ei tribuisse dicit cõcilium Cõstantien. Cæterum, cum Eckius respondit, id Niceni concilii decretum consensu Rom. pontificis, & pro bono tranquillitatis factum fuisse, Lutherus insurgit, contendens hæreticissime, tam concilium, q̃ pontificem fecisse, si vel is permitteret, vel illud statueret quicquam quod contra ius diuinum esset quouis pacto. Nam vt inquit, si ius diuinum est, Ro. pontificem omnia in omnibus Ecclesiis posse, non est in eius potestate permittere cõtrarium vel vna hora fieri. Sed hic

Tot patrib⁹ spiritus adesse putandus

Lut. de diuino iure ratio prorsus ridicula.

aberrasse Lutherum non dubito. Nam & constat Paulum iure diuino potuisse victum à Corinthiis vendicare, quibus ipse prædicabat, quemadmodum & multis argumentis illic docet. Quis, inquit, militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptũ est in lege Mosi, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Hæc Paulus &c. quæ sequuntur, quibus manifestè docet sibi iure diuino licere, quatenus à Corinthiis victum accipiat temporarium. Et tamen subdit, se vsum hac potestate fuisse. Sic nimirum & Roma. pontifex, quanquam ei iure diuino potestas quędam in omnes competeret Ecclesias, potuit nihilominus ob suam & Ecclesiæ quietẽ aliquid sui iuris, citra tamen omnem offensam, ad tempus remittere. Sed iam veniamus ad concilium Affricanum, quod & citat ex. 99. distin. ca. primo, Vbi dicit, concilium illud prohibuisse Roma. pontificem, appellari pontificem vniuersalem. Sic enim habent ipsius concilii verba. Vniuersalis autem pontifex nec Romanus appelletur. Quibus verbis molitur Lutherus, vt Ro. pontifex non sit vniuersalis, neque primatum potestatis habeat. Verum istud ex ipsis inferre nequit. Nam quis non videt earum validam esse consequutionem hanc. Non placet concilio, vt Rom. pontifex appelletur vniuersalis, idcirco Ro. pontifex non est vniuersalis. Studuit nimirum ęqtas illa, quippe (quæ vicina fuerat Apostolorum temporibus) modestię simul & humilitati. Recens enim adhuc spirabat in eis CHRISTI verbum. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini tanquam paruuli. Quamobrẽ & hos gloriosos titulos (vnde vel superbiendi leuis occasio nasci potuerit) conati sunt amputare, id quod liquet ex verbis ꝓxime pręcedẽtibus eodẽ cap. quæ sic habent. Primę sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacer-

1. Cor. 9.

Ro. pont. aliquid sui iuris potuit deponere.

Affric. concilii Rom. põt. authoritatem nihil diminuit.

Quare eodẽ cõcilio cautũ est, ne Ro. episc. vniuersalis diceret.

Modestia ãtiquorũ gloriosos aduersabat titulos

dos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus. Ecce non placuit concilio, titulus iste tam gloriosus, vt appellaretur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, is qui reuera fuerat, & princeps sacerdotum & summus sacerdos: hoc est, primæ sedis episcopus. Ex iis itaque frustra conatur Lutherus ostendere, Constantiense concilium à Niceno & Affricano dissidere. Cæterùm donemus hoc Luthero, vt vnum aliquod ex postremis conciliis ab altero dissentiat, num proinde cæteris omnibus fides abolebitur? Haudquaquam. Sed quemadmodum de Prophetis & Apostolis ac sacris doctoribus antè diximus eos sibi derelictos nonnunquam aberrasse, sic & de conciliis, præsertim postremis, quæ tempore schismatis erant coacta, vbi non summa forte fuerat animorum concordia, neque syncera mentium simplicitas, sed quidam suis factionibus & priuatis affectibus, quidam captandæ summi pontificis gratiæ studuerunt. Hi quid mirum est, si in articulo quopiam ad rem nõ magnopere pertinere cæcutierint, vtpote quiddam humanum passi? At nihil ob id oportet fidem cæteris conciliis derogari, præsertim cum talis error, si decreta superiorum conciliorum vna cum scripturis sacris & sacrorum interpretum commentariis mutuo conferantur, facile deprehendi queat. Atque hactenus pro octaua veritate sit dictum.

Veritate 7. Fieri potuit vt cõcilia tẽpore schismatis dissẽtirẽt in rebus leuiculis.

NONA VERITAS.

Traditiones Apostolicas quanquam in scriptura nequaquam proditæ sint, nihilominus à vere Christianis obseruandas esse.

PAucis istam statuemus. Nam Paulus epistola secunda ad Thessalonicen. ait: State & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ecce Paulus hic mandat, vt constanter teneant traditiones, quas ipse docuit, aut oreten⁹ per sermonẽ, aut calamo per epistolã. Quòd si Paulus (qui prę cęteris apostolis tot reliquit epistolas) traditiones etiã à se nõ scriptas, voluit obseruari,

2. Thess. 2. Quascunque traditiones mõ bonas, tenendas iubet Paulus.

nõ negari debet hoc ã cæteris, qui, quo minora scripserint, eo verisimilius est plura tradidisse. Quid enim ex Petro, qui post Christum superuixit in ecclesia citiz annos. 37. Quid, inquã, in eius literis habemus Ecclesiæ relictum præter duas breues epistolas? An non putabimus eum alia pleraque & saluberrima tradidisse dogmata, quæ literis minimè cõmẽdauit? præsertim cum tã familiariter cunctis interfuit, quę Christus vel docuit, vel mirificè fecit. Sed & de Iacobo, & Iuda, quid præter vnicã vtriusq; epistolã accepimus? De cæteris vero (si subduxeris Euangelistas) nihil, ne verbum quidem habem⁹ scriptum, & tamen singulos salutaria reliquisse documenta, nemini potest obscurum esse. Meminit D. Ioannes in calce Euangelii sui, pleraque quæ ad Christum pertinebant, neutiquã literis fuisse cõmendata. Sunt, inquit, & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundũ capere posse, eos qui scribendi sunt libros. Patet igitur ex iis, nec omnia fuisse scripta, sed multa per sermonem, & ore duntaxat ꝓdita, de quibus sacri doctores nos crebrius admonent. Et inter vetustiores sic Origenes ait Homelia. 5. super Nume. Sed in ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla, quæ omnibus facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nã quod (verbi gratia) genua flectimus orantes, & ꝓ ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conuersi fundimus orationem, non facile puto cuiquam esse ratione compertum. Sed & Eucharistiæ, seu percipiẽdæ, seu quo ritu geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumq;, & ordinum atque interrogationũ, & respõsionũ, quis facile explicet rationem? Et tamẽ hęc oia, operta licet & velata, portamus sup humeros, cũ ita implemus ea, & exequimur, vt à magno põtifice Christo, & à filiis eius tradita, & cõmendata suscepim⁹. Ecce qd fecit Origenes? nos dictas obseruationes ecclesiasticas implere simul & exequi, sicut à magno põtifice Christo, atq; filiis eius nimirũ Aposto

Ioan. vlt. Multa quæ Christus fecit, chartis nunquam mandata.

Origenes. Multa sciamus necessum est, quorũ ratio non omnibus patet. Ratio multorũ qbus & in Eucharistia pcipienda & baptismo vtimur, non facile peruia.

Damasce. lis tradita,& cõmendata suscepimus.Et Damasc. astipulatur lib.4. cap.13. de adoratione ad Orientẽ scribens.Non scripta est,inquit,hęc apostolorũ traditio. Nam multa sine scripto nobis tradita sunt. Hæc ille. Et.j.cap.17.vbi de imaginibus sanctorum adorandis tradit.Quod plurima inquit,sancti apostoli tradiderunt sine scripto,scribit Paulus gẽtium apostolus. Ergo fratres state & tenete traditiões nostras quas edocti estis, siue per sermonẽ, siue per epistolã nostram. Et ad Corinth.Laudo vos fratres,quia per omnia mei meministis, & sicut tradidi vobis traditiones tenetis. Hæc Damasce.Et sacer Dionys.cap.1.Eccl.hierar.de ducibus & præceptoribus Christianæ fidei tradit, ꝓhi multa, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis,iuxta quod sacras diffiniunt leges, nobis tradiderunt.Hæc Dionysius.Et Cyprianus his accedit,sermone de ablutione pedum. Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & author,in cæteris,homines spiritum sanctum habuere doctorẽ,& sicut par est, spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est authoritas & potestas, nec minus ratum est quod dictante spiritu sancto, Apostoli tradiderunt,q̃ quod ipse tradidit,& in sui cõmemorationem fieri præcepit.Manet singulis propria dignitas,& vniformis in suo genere stat actio omnium,nihil subtrahi,nihil potest corrigi vel mutari.Hæc Cypria.Hilar.quoq; lib.6.de Trinit. postq̃ de Apostolis mentionem fecerit,subdit in hunc modum.Ab his ergo quę teneo edoctus sum,his immedicabiliter imbutus sum,& ignosce omnipotens Deus,quia in his nec emendari possum,sed cõmori possum. Hæc Hilar. Et Vulgarius item super illud Pauli : Fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostrã. Hinc sanè perspicuum est, pleraq; Paulum sine scriptis, sermone duntaxat, hoc est,viua voce non epistolis solum his tradidisse, non enim secus illa atq; hæc fide sunt digna. Itaque & Ecclesiæ traditionem dignã existimemus cui prestanda

Dionysius.

Cyprianus. Sũm⁹ sacerdos sui sacri est ĩstitutor & author.

Hilarius.

Vulgarius.

Multa ab apostolo sine scripto nobis traduntur.

2.Thess. 2.

Paul. pleraque viua tũ tũ voce tradidit.

Ecclesiasticæ traditiõi fides adhibenda.

Universidad de Deusto Biblioteca

sit fides,vt si quid ab ea sit traditũ,nihil vltra perquiras.Hæc Vulgari.Atque hactenus pro veritate nona.

DECIMA VERITAS.

¶ *Sed & præter traditiones, consuetudines etiam quæ ab vniuersali Ecclesia receptæ sunt, nemini Christiano respuendas esse.*

HAnc & diuus Paulus firmat, qui posteaquam Corinthios docuerat,vt mulieres non nisi velato capite,viri cõtrà, capite aperto Deum in Ecclesiis precarentur.Tandem subdit: Si quis autem videtur contentiosus esse,nos talem consuetudinem non habemus,neq; Ecclesia Dei.Ecce quomodo contra contentiosos consuetudinẽ ecclesiasticam decernit validã esse,& placet vt cõsuetudini sit stãdum potius,q̃ vllis contranitentium argutiis. Quem locum & D.Hieronymus interpretatus,ita scribit:Præuenit illos Paulus ne quis diceret, Vbi scriptum est, vel aliis argumentis huic resisteret rationi.Nos,inquit,talem consuetudinem non habemus, siue contendendi,siue talia faciendi. Neque Ecclesia Dei,quæ mansuetudini potius,quàm contentionibus studet. Hæc Hiero.Ex quibus liquet,seruandam esse consuetudinem ab Ecclesia receptã,nec eã ob aliquorũ argutias & calumnias facilè deserendam esse.Neque dissimiliter hunc locum enarrat Vulgarius inquiens, Cum enimCorinthii fucare hæc,fortè argumentis nonnulis vellent,enitebantur syllogismis & captiũculis,indifferens id rei arguere.Inquit itaque Paulus : Consuetudinem ipsi eiusmodi nullã habemus,vel cõtendendi,vel virilẽ enutriẽdi comã,dũ mulier careat velamento: neq; ipsa Dei Ecclesia.i. cæteri fideles ipsi, quo fit vt non modo nobis obsistere videamini, sed Ecclesiæ ipsi. Ad verecundiam igitur auditores,hæc dicta compellunt,ne quid præter Ecclesiæ consuetudinem factitent.Hæc ille.Et certè quemadmodum in rebus humanis,quæ rationis lumine fiunt,consuetudo iuris scripti vim obtinere dinoscit, sic in Ecclesiæ negotiis,quę pendent ex lumine fidei,cõsuetudo se-

1.Cor.11.

Cõsuetudini vult Paulus stãdum esse. Hieronym.

Aduersus receptos ecclesiæ ritus nihil inouãdũ.

Ecclesiæ consuetudo æqualis legi scriptæ.

mel consensu Christianitatis introducta, parem cum lege scripta videtur authoritatem esse sortita. Multa nimirum pro consuetudinis huius firmitate produximus aduersus Iudocũ pro singularitate diuę Magdalenę dimicantes, tam in confutatione secundę suppositionis per eum allatæ, quàm etiã pro confirmanda, aduersus eundem octaua veritate. Sed præter hęc Leo doctissimus iuxtà ac sanctissimus sermone de ieiunio Pentecostes sic tradit: Dubitandum non est dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam eruditionis esse diuinæ, & quicquid ab ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum de traditione Apostolica, & de sancti spiritus prodire doctrina, qui nũc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, vt ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant. Hæc Leo. Et Augustinus de baptismo paruulorum contra Pelagianos. Paruuli, inquit, baptizati, in numero credentium ponuntur, & hæc solum ex consuetudine Ecclesiæ antiqua, canonica, fundatissima. Et rursus. Iam, inquit, superius ostendimus paruulum credere, & iter baptizatos cõputari, hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatissimę veritatis obtinet canon, cõtra hoc robur, cõtra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse cõfringitur. Hæc August. Et Cassianus collat. 21. cap. 12. subscribit eisdem. Oportet, inquit, nos authoritatis patrũ, consuetudiniq; maiorum, vsq; ad nostrum tempus per tantã annorum seriem protelatæ, etiã non percepta ratione, credere, eamq; vt antiquitus tradita est iugi obseruantia, ac reuerẽtia custodire. Hactenꝰ ille. Ex q̃bus nemini iam obscurum esse potest, quãti momenti sit habenda consuetudo, quę semel per Ecclesiã admissa receptaq; fuerit, quodq; nec ei minus obtemperãdũ sit, q̃ legi scriptæ. Pro qua re, nec inutile fuerit Papę Pii ratiocinationem in mediũ afferre, qua planè colligit consuetudinem vniuersalis Ecclesię, nihil minoris esse vinculi quàm legem scriptam. Quia vis, inquit, legis ex consensu resultat. Cõsensus autẽ minor

Leo.

Ecclæ consuetudo e sacrispũs & apostolo. doctria ꝓfecta est.

Augustin. Paruuli baptizati ex canonica eccles. cõsuetudie ĩ credentiũ numero ponuntur.

Cassianus. Ecclæ consuetudo vel nõ percepta ratione semper tenenda.

Pius papa.

Vis legis ex consensu resultat.

non inest consuetudini, quàm legi conscriptæ. Nam consuetudinem longus & approbatus vsus inducit. Quæ nullius impedimenti clamore, diuino magis q̃ humano videri recepta consilio. Leges autem quãuis Dei nutu decerni credantur, sæpe tamen vel populi, vel senatus magna parte dissentiente traduntur. Ob quam rem non minus plectendus est, vetustæ consuetudinis, quàm scriptæ legis, præuaricator. Hæc Pius. Atque hactenus pro hac veritate sit dictum.

Æque animaduertẽdũ in cõsuetudinis atque legis præuaricatorem.

PROOEMII LVTHERANI CONFVTATIO.

HAEC sunt Luthere Christianorum arma, quibus in Ecclesiæ publicos hostes vtemur. Nullum horum reiicere potes, si pateris te Christianum dici. Satis nobis erit vel publicam Ecclesiæ consuetudinem adducere, vel traditionem Apostolicam, vel generalem aliquam patrum Synodum, seu quempiam approbatum interpretem. Istis enim (vbi scripturæ defuerint) cõfodiendus es. Neque semper afferre scripturas licet, vt ex superioribus satis apertum est: neque quum afferunt, vestræ supereas interpretationi credere nos decet, nisi quatenus ea patribus conueniat orthodoxis. Ecclesia cui credimus, & in qua spiritum sanctum residere non ambigimus columna nobis est, vt Paulus ait, & firmamentum veritatis. Sed iam ad reliqua transeamus. Eram enim in illis firmandis prolixior, quod tu tot verbis hoc initio iam astruere conaris, solis scripturis tecum nobis esse congrediendum. Quod quàm fortiter statuas, mox experiemur. Sic enim inquis:

¶ Primũ scire contestatosq; esse vos volo, me prorsus nullius, quãtumlibet sancti patris authoritate cogi velle, nisi quatenꝰ iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatus, id quod scio illos vheměter ægre laturos.

¶ Sed quanta est hęc Luthere inconstantia tua, vt quod iam pridem atque id quidem asseuerantissimè

Quibus telis Luth. cõfodiendus.

Ecclesia nobis veritatis columna.

Luth.

Episc. Luth. inconstantia.

Universidad de Deusto Biblioteca

protestatus es, nunc tam impudenter reuoces, neque iam ausis stare priorib⁹ protestationibus tuis. Sic em primum, quum tuas conclusiones obtuleris disputãdas protestabare: Protestor, inquis, me prorsus nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod in, & ex sacris literis primo, deinde Ecclesiasticis patribus ab Ecclesia Romana receptis hucvsque seruatis, & ex Canonibus ac Decretalibus pontificiis habetur & haberi potest. Sed & posthac iterum in actis tuis ita continetur: Hodie protestor me nõ esse mihi consciũ aliquid dixisse, quod sit contra sacram scripturam, Ecclesiasticos patres, aut Decretales Pontificum aut rectam rationem. Hic te quæso primum, quisnam ad hæc tam temere protestanda spiritus impulit? veritatísne, an erroris? Nihil dubito, quin erroris, quum & cunctis in his te errasse perspicuum sit. Sperabas enim tũc eas omnes conclusiones tuas, non modò sacris literis congruere, verumetiam conciliis generalibus, orthodoxis patribus, canonibus sacris, põtificiis decretalibus, & rectæ denique rationi. Verum quũ te iam planè cernas conuictum fore, si concilia patrũ admiseris, si doctorum autenticorũ interpretationes receperis, si rationes deniq; probatissimas non cauillis & conuitiis illuseris, iis omnibus impudentissimè negatis, ad solas confugis scripturas, quas (vt Pauli vtar verbo) inuersurum, aut quod Petrus ait, deprauaturum te speras pro ingenio tuo malò prauoque. Quòd si spiritu ductus eorroris, illam protestationem emiseris, quod & subterfugere nullo modo potes, verẽdum tibi est, ne ad te spectet id, quod ad Timotheum scripsit Paulus, fore quosdam in nouissimis tẽporibus, qui spiritibus attendent erroris, & doctrinis dæmoniorum. Tibi nimirum qui mordicus affirmas, in omni opere bono peccatum esse, totiesques locum introducis, verẽtem omnia opera sua, verendum est, ne iam ab orthodoxæ fidei tramite, spiritu quodam erroris abducaris. Porro, quòd tam instabilis sis, vt iam reiicias, quod pridem admisisti, reuocesque quod olim asseruerás,

Palinodiam canit Luth.

Spiritus Lutheri spiritus erroris

Destitutus à cæteris omnibus Luthe. ad solas scripturas confugit.

1. Tim. 4.

Luth. non sibi constat.

omnino formidandum est, ne te Diuus Petrus deprexerit, vbi de Paulinis epistolis loquẽs affirmat quosdam instabiles eas deprauasse, sicut & cęteras scripturas, ad suã ipsorum perditionẽ. Hoc vtique diuerticulo semper vsi sunt priores hæretici, qui scripturis, sed deprauatis, & à genuino sensu detortis, innixi sunt pertinacissimè. Si Nouatus hoc nõ fecerit & cæteri (quorum sub prima veritate meminimus) hæretici, frustra te vocamus Hæreticũ. Sin illi putãtes se verũ scripturarum sensum habuisse, ceruicem aduersus orthodoxos patres erexerunt, seducti, quur & tu non poteris eadem in præsentiarum hallucinari caligine.

2. Pet. 3.

Hæreticis scripturis deprauatis pertinacissime innixi Nouatus.

¶ Sentient enim hac ratione sese ad primum statim congressum ruituros, vt qui conscij sibi sunt studia sua, contemptis sacris literis, solum in authoribus humanis esse detrita.

Luth.

¶ O quantus arrogantiæ tumor, Nemo ante faciẽ procellæ, quæ ex ore Lutheri egreditur cõsistere potest, sed ad primũ statim cogressum est ruiturus. Quis hæc à spiritu veritatis proficisci putabit, vt non potius à turbine, quàm nebulas hæresum exagitari scribit Petrus? Nihil enim magis quàm eiusmodi tumoris arrogantiam, benignus & mitis ille spiritus detestatur. Vnus Lutherus præ se contemnit cæteros. Sibi soli scripturarum arrogat notitiam.

Episc. Luth. arrogantia.

Solus sibi sapit Luth.

¶ Dicentque illud omnium ore & calamo vsitatũ, à paucis tamen intellectum, quod in canonis pontificum docetur. Non esse scripturas sanctas proprio spiritu interpretandas.

Luth.

¶ Et recte nimirum dicent. Nam hactenus in ecclesia manens sacer ille spiritus, per ora patrum & doctorum quantum satis fuerit ad Christianorum salutem, scripturarum veritates nobis exposuit. Cuius negotii gratia tam à patre, quàm à filio mittebatur, vt apud nos maneret in æternum, simulq; veritatẽ omnẽ aperiet, quoties vlla de fide suboriretur dubitatio. Quamobrem neque iam cuiquã licet, vt contra quãis veritatis spiritus ecclesiam de scripturis instruxit, suo sensui, suoq; spiritui iã innixus, veteres Ecclesiæ

Episc. Sacer spiritus scripturarum interpres.

consuetudines, noua scripturarũ deprauatione, subruere moliatur, sed iam scripturarum sensibus (quos abundè patres nostri reliquerunt) innitendum est. Aduersus quos si quisquam emergens, scripturarum interpretationes ex suo capite, & proprio spiritu depromat, haudquaq; audiẽdus est, quũ non sit credibile veritatis spiritum (qui vel ob eam caussam erat missus) fuisse passum ecclesiam, aut priores illos patres aberrasse tandiu.

Luth. ¶ Cuius verbi peruersissima intelligentia eo processerunt, vt scripturas nõ nisi proprio spiritu interpretentur ipsi contra suam ipsorummet sententiam. Nam huic sepositis sacris literis, solis commentariis hominũ immersi sunt, non quid sacræ literę, sed quid illi in sacris literis sentirent quærentes.

Episc. ¶ Neminem reor ex iis (qui iam supersunt) catholicis authoribus ita scripturas interpretari velle, vt traditiones à Christo & Apostolis, atque à spiritu sancto per concilia generalia, perque doctores non minus vita, quàm eruditione probatissimos Ecclesiæ relictas contemnat, & pro nihilo ducat, sed iis omnino sensum accommodet suum, quod qui facit non proprio cerebro, aut spiritui innititur, neq; solis commẽtariis hominum immergitur, sed spiritus sacri magis, qui per illos vere creditur esse locutus, neque demũ id solum quærere, quid homines in sacris literis sentirent, sed quid spiritus ille veritatis per interpretationes priorum Patrũ nobis traditas, enarrauerit. Nã per horum ora, spiritus ille sacer, Christi verba nobis interpretatus est. Reliquum est igitur, vt istis fidem indubitatam habeamus, neque iam amplius paruulisimus fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuẽtionem erroris. Quibus verbis apertissimè taxat eos Paulus, qui contra Patrum priorum sententias ex proprio spiritu doctrinas nouas introducere non verentur.

Per piorum patrum ora spiritus sanctus Christi verba nobis interpretatus est.

Sacris interpretibus fides adhibenda.

Ephes. 4.

Luth. ¶ Donec vni homini Ro. pontifici, non nisi indo-

ctissimis Sophistis circumuallato, soli tribuerent ius interpretandæ scripturæ sanctæ, etiam de sola potestatis & sublimitatis maiestate, circa omnẽ intelligẽtiã & eruditionem præsumenti, fabulantes Ecclesiam id est papam, non posse errare in fide.

¶ Quantum alij summo pontifici tribuant, ipsi viderint. Ego certè plurimum ei tribuendũ puto, quippe quem Christus in moderandis Ecclesiæ suæ negotiis suum voluit esse vicarium, cui & generatim suarũ ouium curam, ingenti studio commisit. Neque negauerim cęteros Pontifices singularum Ecclesiarum esse moderatores, sed Petri successorem quisquis is fuerit, pro suo tempore totius Ecclesiæ caput fuisse constitutum. Nam par est, vt quum Ecclesia vere sit vna pontificem, authore Cypriano, similiter habeat in terris, nempe vicarium eius, qui templum illud nõ manu factum conscendit in cælis. De quo quum suo loco posterius dicturi sumus articulo. 25. iam ad cætera transeamus.

Episc. Petri successor totius ecclesiæ caput.

Cyprianus.

¶ Quare super hac re vtile fuerit, pauca cõferre. Primum si nulli licet sacras literas suo spiritu interpretari, cur ergo non obseruant, nec Augustino, nec vllt alij patrum idem licuisse? & qui scripturas secundum Augustinum, & non Augustinum potius, secũdum scripturas sanctas intelligit, sine dubio secundũ hominem & spiritum proprium intelligat.

Luth.

¶ Primum hîc conueniamus oportet, quid sit quẽpiam suo spiritu scripturam sacram interpretari. Ergo nimirum illũ proprio spiritu scripturas interpretari dicẽdum puto, qui molitur ex eis sensum à cunctis orthodoxorum patrum sententiis alienum, & à receptissima totius Ecclesiæ consuetudine dissentiẽtem eruere. Is enim proprii capitis phantasias, & non sacri spiritus ductum, qui per illorum patrum ora loquutus est, sequitur. Propter quod & facile ruit in errorem, quum propria sint hominis, vt ait Augustinus, mendacium & peccatum, in quæ statim prolabitur, qui proprio spiritui nimis confidit. Dauid quoque

Episc. Quid sit quẽpiã suo spiritu sacras scripturas interpretari.

August. Psal. 115.

testatur omnem hominem esse mendacem. Sed & idē Augustinus affirmat periculosum esse cuiuis, scripturam ex ratione exponere sine authoritate. Ad hæc, & Donatistas insectatur, quòd ij scripturas contra totius Ecclesiæ consuetudinem interpretati sunt. Liquet igitur ex his, Augustinus in exponendis scripturis sacris priorum patrum authoritati, & vniuersalis Ecclesiæ consuetudini se conformasse, quod & eos idem, idem fecisse non dubito (nec dubitare etiam quisquam potest, modo recta ratione vtatur) diuini spiritus illustratione perfusos, Id quòd Paulus hortatur, dicens: Obsecro vos fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, vt ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sed sitis integrum corpus, eadem mente, & eadem sententia, Verum si cuique liceat suum spiritum, & sensum, in exponendis scripturis sequi, nemini dubium est, quin inter Christianos, dissidia suppullulabūt absque numero. Cæterum quòd ait, eum qui scripturas sanctas, secundum Augustinū, & non Augustinum, potius secundum scripturas sanctas intelligit, sine dubio secundum hominem, & spiritum proprium, eas intelligere. Hoc sane verissimū esset, si diuus Augustinus proprio spiritui fuisset innixus, & non magis concordi totius Ecclesiæ spiritui. Sed hunc cōcordem totius Ecclesiæ spiritum, defixis oculis in consonantia scripturæ sacræ cum Patribus, & Patrum itidem cum scriptura sacra, simulque totiʼ ecclesiæ consuetudine, spectabat assidue.

Periculosū esse cuiuis, scripturam ex ratione exponere sine authoritate.

Donatistæ

August. in sacris literis exponendis patrū authoritati & vniuersalis ecclesiæ cōsuetudini se cōformat.

1. Cor. 1.

Luth. ¶ Si autē scripturas nō licebit secundum propriū spiritum intelligere, multo minus licebit Augustinū secundū proprium spiritū intelligere, quis enim nos certos faciet, an recte Augustinum intelligas? Dādus ergo erit alius interpres Augustino quoque, ne proprius spiritʼ nos fallat in illius libris. Quod si ita fieri oportet, dandus est & tertio quartus interpres, & quarto quintus vsque in infinitum.

Episc. ¶ Prior illa sententia satis anceps est. Potest enim quis per proprium spiritum, aut scripturæ spiritum,

Propriʼ spiritus Scripturarum spūs.

aut interpretantis spiritum intelligere. Ego de spiritu interpretantis hactenus loquutus sum, quemadmodum & canon præfatus intelligi debet, qui vetat quē quam proprio spiritu scripturas interpretari sacras. Porrò scripturarum spiritus, nō est alius quàm sanctʼ ille spiritus, quem in scripturis loquentem audit nemo, nisi qui catholicus fuerit, & perfecta solidatus humilitate. Is hauddubiè spiritus vnus est, ob quod nō contraria, sed eadem, & in scripturis & in patribus loquitur. Quis itaque non secundum hunc spiritum sine scripturas, seu diuum Augustinum intelligit, male intelligit. Ille nimirum spiritus, vtriusque verissimus interpres esse creditur. Nam huic si intenderis, & humili fide accesseris, modo non defuerit eruditio, planè cognosces August. scripturæ sacræ conformem esse. & scripturam vicissim August. spiritumque ille sacrum, in vtroque fuisse loquutum, communemque vtriusque interpretem esse, neque cæteris vsque in infinitum interpretibus opus esse quouis pacto.

Sacer spiritus vnus est non cōtraria sed eadē & in scripturis & in patribus loquens.

¶ Et coget nos proprij spiritus periculum nihil vnquam discere aut legere, id quod certe impletum est, dum primo neglectis sacris literis soli August. insudatum est, post & hoc non intellecto & neglecto, Thomas Aquinas regnauit. Et nunc alij sine fine interpretes sequuti sunt.

Luth.

¶ Satius esset nihil discere, quàm sic discere, vt proprio fisus ingenio, cæteros ipse contemnas authores. Nam sic, & discendi laborem sustinebis semper, & nunquam (vt Paulus ait) ad sciētiæ veritatem perueniens. Tumor enim animi tui non sinet, vt veritatem apprehendas. Quamobrem si proprij spiritus tumore deposito, sacro fidas spiritui, is te perducet ad veritatē, quæ in sacris authoribus, sacrisque scripturis abditur, solis humilibus salubriter cognita. Quisquis hoc animo scripturas sacras aggreditur, tam abunde proficiet, vt si millesimam horum (quæ norit) partē, bona conetur exprimere vita, nō ad suā solum, verumetiam ad multorum ea sufficeret salutem. Sed

Episc. 2. Timot. 3.

Sacræ scripturæ veritas solis humilibus salubriter cognita.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Plerique bo die doctrinæ magis q̃ bo næ vitæ stu dent.

plerique hodie doctrinæ magis, quàm bonæ vitæ studemus. Quo fit vt authores etiam optimos floccifaciamus, quum tamen vsqueadeò malus author nullus repertus sit, à quo non plurima licebit bona perdiscere. Neque Thomas Aquinas vsqueadeò tibi Luthere paruipendendus est, quem plerique in sacris literis exercitatissimi, Theologiæ florem appellare consueuerunt.

Luth.

¶ Error itaque manifestus est, hoc verbo, nõ licet scripturas proprio spiritu intelligere, nobis mãdari, vt sepositis sacris literis, intendamus & credamus hominum commentariis.

Episc.

¶ Recte colligeres Martine, si quemadmodum affirmas, ita per quempiam mandaretur. Sed neminem ego prudentem, vsqueadeò desipere arbitror, vt iubeat sepositis sacris literis, solis hominum commentariis inhæreamus. Quid si terrę quidam vsqueadeò se contineant & repant, vt non ausint altiora se quærere. Neq; enim cuiuis (vt in prouerbio est) contingit adire Corinthum. Num propterea cæteris mãdatur, vt sacras haudquaquam attrectent literas? Sacras adire literas quisque potest mox vt absque cortice nare queat, sed interea fulciendus est sacrorum commentariorum auxilio.

Nare absque cortice.

Luth.

¶ Hanc itaque intelligentiam absque dubio Satanas ipse inuexit, quo à nostris, id est, sacris literis longissimè auocaret, & desperatam scientiam scripturæ nobis faceret.

Episc.

¶ Non hanc sed contrariam inuexisse Satanam ausim affirmare, quum non alio potuerit modo commodiori sectas & hæreses inter Christianos Satanas introducere, quàm vt quisque maioribus contemptis, suum ingenium sequeretur.

Proprio inuiti ingenio, hæresis seminarium est.

Luth.

¶ Quum sic potius sit intelligendum, scripturas non nisi eo spiritu intelligẽdas esse, quo scriptæ sunt qui spiritus nusquam præsentius & viuacius, q̃ in ipsis sacris suis, quas scripsit literis inueniri potest.

Episc.

¶ Dicas ergo nobis Luthere, cur Nouatus hunc

spiritum non inuenit, aut Arrius, aut quisquam cæterorum, quos sub prima veritate recensuimus? Nimirũ quia spiritus iste nemini se palàm fecit, nisi eis qui student spiritus vnitati, vinculo pacis, hoc est, qui prioribus Patribus per quos locutus est ipse spiritus, concordi sensu seipsos conformant. Præsentissimus haud dubiè spiritus in sacris suis literis est, vt dicis, at non passim offert se cunctis. Legisse te non dubito, quòd spiritus disciplinæ effugit fictum. Sed & pro suo beneplacito spirat, vbi vult, & quibus vult. Hoc enim male habuit Sedechiam filium Canaan, quòd acceperit Micheæ loquutum fuisse spiritum hunc, & non sibi.

Nouatus Arrius. Sap. 11. Ioan. 3. 1. Para. 18.

¶ Danda ergo fuit opera, non vt sepositis sacris literis, solum humanis Patrum scriptis intenderemus, imò contra. Primum sepositis omnium hominum scriptis, tanto magis & pertinacius insudandum erat solis sacris, quo præsentius periculum est, ne quis proprio spiritu eas intelligat, vt vsus assidui studij victo periculo eiusmodi tandem certum nobis faceret spiritum scripturæ, qui nisi in scriptura prorsus non inuenitur, hic enim posuit latibulum suum, & in cælis, id est apostolis, tabernaculum suum. Et psalm. 1. Vir beatus in hoc laudatur, quod die ac nocte, non in aliis libris, sed in lege Domini meditatur.

Luth.

¶ Duo sunt quæ colligis, alterum, vt non solis patrum commentariis intenderemus, scriptura seposita & istud rectè. Alterum, vt contra magis, sepositis patrum commentariis, solis sacris literis insudaremus, & hoc non rectè, quum apertissimè constet, inde sum mam præclarissimis ingeniis ortam fuisse perniciem. An non Arrius fuit in scripturis exercitatissimus? Nũ Pelagius item, & cæteri qui tamen suis ingeniis confisi, naufragium in iis literis passi sunt, tantumque abfuit vt assiduis studiis periculum euicerint, vt etiã auxerint magis? Inde nimirum hausto non scripturæ, sed superbiæ spiritu. Fateor equidem his literis ad-

Episc. Nõ solum sacr. literis insudandum sepositis omnino præclaris interpretibus. Arrius & Pelag. suis ingeniis confisi.

esse spiritum, in his tabernaculum suum posuisse, beatumque virum illum esse, qui die noctéque fuerit in lege domini meditatus, modo non contemptis aliorum authorum orthodoxis commentariis, sed humiliter accesserit.

Luth. ¶Hinc enim hausto spiritu, iudicium suum quisq; formabit, non modo super omnia gentium, sed & sanctorum patrum scripta. Scriptũ est enim, quod Mosi facies glorificata fuit è consortio sermonis Domini, non vtique è consortio sermonis hominum etiam sanctissimorum, qui tum erant.

Episc. ¶Multa non minus temere, quàm arroganter polliceris Martine. Satis cuique fuerit, intra mensuram Patrum sese cohibere, & sapere ad sobrietatem. Cæterum an quis assequetur quod polliceris, nescio. Vnũ scio, non hausisse spiritum hunc, eos quos ante memorauimus Hæreticos, qui tamen in iis literis die noctéque meditati sunt, & iudicium etiam sibi firmarunt, super, imò contra patrum omnium sanctorum scripta. Maiorem certè gloriam fuissent consequuti, si non super cæteros extolli, sed conformari cæteris humiliter studuissent. Vtcunque fuerit, palàm est eos nullam ex iis glorificationem, sed obtenebrationem magis reportasse.

Luth. ¶Præterea quum credamus Ecclesiam sanctam catholicam habere eundem spiritum fidei quem in sui principio semel accepit, cur non liceat hodie, aut solum, aut primum sacris literis studere, sicut licuit primitiuæ Ecclesiæ. Neque enim illi Augustinum aut Thomam legerunt.

Episc. ¶Nod negauerim ei qui pari fuerit ingenio præditus, pariqúe vitæ sanctimonia firmatus, literis insuper æquè egregiis institutus, atque fuerat olim Hieronymus, aut Chrysostomus, quin posset absque Augustino aut Thoma proficere. Verum si profecerit, nihil ambigo quin eadem quantum ad substantiã fidei spectat, sentiet, quæ sentit August. & Thomas, à quib⁹ si dissentiat, in iis quæ fidei sunt, sciat se spiritum sanctum haudquaquam hausisse, quum spiritus ille non sit schismatis author, sed vnitatis, neque repugnantia doceat, sed concordia.

Sacer spũs nõ est schismatis author, sed vnitatis.

¶Aut dic si potes, quo iudice finitur quæstio, si patrum dicta sibi pugnauerint? Oportet enim scriptura iudice, his sententiam ferre, quod fieri non potest, nisi scripturæ dederimus principê locum, omnibusquę tribuuntur patribus, hoc est, vt sit ipsa per sese certissima, facillima, apertissima, suiipsius interpres, omniũ omnia probans, iudicans & illuminans, sicut scriptũ est Psal. 118. Declaratio, seu, vt Hæbræus proprie habet, Apertum seu ostium verborum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, hic clarè spiritus tribuit illuminationem, & intellectũ dari docet per sola dei verba, tanquam per ostium & apertũ seu principium (quod dicunt) primum à quo incipi oporteat ingressurum ad lucem & intellectum. *Luth.*

¶Huic opinor quæstioni satisfactum esse, ex quarta veritate superius firmata. Hoc in primis hæretici moliuntur, vt scriptura iudex fiat, quam sciunt facile trahi posse pro suis vafrissimis ingeniis, in quam magis licebit partem, tantaque est illis arrogantia vt sine fine contendant, sensum quem ipsi conceperunt verum esse, neque volunt in hac re cuiquam orthodoxo cedere. Et quis non videt ad hunc modum, finem controuersiæ futurũ nunquam? Nam, vt historia tripartita refert lib. 2. cap. 13. Acesius quidã episcop⁹ tantæ fuit pertinaciæ, vt nec C C C. illis episcopis Niceæ congregatis, subscribere voluit. Quẽ quum Constantinus interrogauit, cur à communione se separasset, ille subtilitatem acerbissimæ regulæ introduxit, nempe non oportere eos, qui post baptisma peccant, peccato quod ad mortem esse scripturæ diuinæ pronuntiant communicatione sacramẽtorum fieri dignos, sed inuitandos quidem ad pœnitentiam, spem verò remissionis, non à sacerdotibus sed à deo solũmodo sustinere, qui potestatem habet peccata remittere. Sic Acesius ille, pertinaciter hęsit suo sensui,

Episc. *Hæreticorũ conatus.*

Acesii pertinacia.

quem ex scripturis concepit, nec omnino credere vo
luit tot orthodoxis Patribus. Ad hunc pulchra nimi-
rum elusit imperator facetia. O Acesi, inquit, pone
scalam, & si potes in cælum solus ascende. Iudex igi-
tur oportet quispiã sit qui secundum scripturas iudi-
cet, non secundum sensum quem ex eis hæreticus im
biberit, sed quem orthodoxi patres interpretati sint,
in quibus non dubitamus spiritum fuisse locutum.
Hæreticus autem per hoc ostium, de quo Luth. loqui-
tur, nõ intrat, quum arrogantia tumeat & ostiũ ipsum
humile sit, atque angustum, vt ille præ nimio tumore
nõ possit ingredi. Neque enim ostiarius, qui spiritus
sacer, authore Cyrillo, recte intelligitur, talibus ape-
rit, sed excludit eos potius. Solis verò paruulis (vt il-
lic scribitur) hoc est humilibus, & patrum commenta
rios non contemnentibus, dat intellectum. Cæterum
si scriptura sacra, sicper sese certissima, facillima, aper
tissima, sui interpres sit, quemadmodum Lutherus af
firmat, quomodo non eam Eunuchus ille Candaces
reginæ præfectus intellexit, nisi Philippo interpre-
tante? Quum enim is in curru scripturas legeret,
Philippus iussu diuini spiritus illum interrogauit,
num intellexerit quæ tũ legerat, respõdit se nõ posse
nisi dux aliquis viæ sibi fuerit, hoc est nisi quis illi in
terpretaretur. Sed & discipulis illis duob' in Emaus
profectis, vsqueadeo obscuræ fuerant scripturæ, vt
necesse fuisset Christo sensum earum illis aperire.

Constantini Imp. in Acesiũ hæreticum facetia

Hæreticus per ostium non intrat.

Ostiarius sacer spiritus. Psal. 118.

Act. 8.

Marc. 16.

Luth. ¶ Iterum. Principium seu caput verborum tuorũ
veritas. Vides & hic veritatem tribui, non nisi capiti
verborum dei, hoc est, si verba dei primo loco didice
ris, & eis velut principio primo vsus fueris, pro om-
nium verborum iudicio.

Episc. ¶ Hic quis tam cæcus est vt non cernat hanc scri-
pturam nihil instituto tuo facere. Quid enim, si veri-
tas sit initium aut caput sermonum dei, nimirũ vt ex
veritate proficiscantur omnia, quæ dixerit Deus, nũ
propterea non erit veritas in orthodoxorum patrum
scriptis, neque ex iis debemus imbui, vt facilius ad

ipsum initium perducamur? Quæso te Luthere, quid
tam prolixas in psalmos ipse paras interpretationes,
si non per eas, maiori compendio, peruenire quis po
terit ad Psalmorum intelligentiam? Quod si tuis com
mentariis tantum arroges, vt per eos perspicua fiant,
quæ prius erant obscura, quid nõ finis sacrorum in-
terpretum enarrationibus idem tribui?

Luth. suo ipsius gladio iugulatur.

¶ Et quid facit Octonarius ille totus, q̃ vt peruer-
sitate nostri studij damnata, nos reuocet ad fontem, &
doceat primũ & solum verbis Dei studẽdum esse, spi
ritum autẽ sua sponte venturum, & nostrum spiritũ
expulsurum, vt sine periculo theologissemus.

Luth.

¶ Nusquam in hoc Octonario seu quouis alio re-
peries, quod quisquam sibi placens, aut ingenio suo
cõfidens permittitur ingredi sacrarum literarum o-
stium. Porrò nimis ingenio suo confidit, qui quũ pos
set ex aliis discere, qua via sit ingrediendum, quibus
& olim ostiarius aperuit, nolit tamen eos audire, sed
per seipsum introire contendit. Quia huius hominis
vsqueadeo pertinacis non damnabit studiis peruer-
sitatem, qui quum velit ad fontem conclusum in-
gredi, possetque ab aliis admoneri, qua parte pateat
aditus, illis contemptis, sibiipsi suopte ingenio viam
parare moliatur? Nunquam huic spiritum sanctum se
communicaturum opinabor, neq; sine periculo talẽ
vnquam recte theologissaturum credam.

Episc.

¶ Hoc sane verum est, superbis & impiis scripturã
sanctam semper esse maioris cæcitatis occasionẽ, sed
quæ hominum scripta superbis etiam non sunt occa
sio maiorum tenebrarum? aut quæ res quantumlibet
optima, superbis & immundis non cooperatur in ma
lum? hos fieri in scripturis hæreticos nihil mirum, ve
rum eosdem in humanis scriptis, plus etiam, quàm
bestias fieri nihil nouum.

Luth.

¶ Iam tandem rem ipsam, acu (vt ait) Luthere teti-
gisti, si tamen velis agnoscere. Iam enim confessus es,
scripturam sacram superbis & impiis semper esse ma
ioris cæcitatis occasionem. Hic te medium teneo. Nã

Episc. Superbos & impios excæcat scriptura.

Universidad de Deusto Biblioteca

vbi nunc est, quod paulò ante tam pertinaciter affir mabas, scripturam sacram per sese certissimam esse, facillimam, apertissimam suiipsius interpretem, omnium denique quæ cæteri scripserint probatricem, diiudicatricem, illuminatricem. Si per sese certissima sit, facillima, apertissima, & suiipsius interpres, cur hæretici qui linguas callent, ingenio pollent, eruditione præstant, cur inquam hi, non p apertũ ostium ingrediuntur? Cur non iis est sacra scriptura per sese certissima, facillima, apertissima, & suiipsius interpres? Respõde quicquid velis, id subruet omnia, quæ iampridem stabilire tot verbis es conatus. Sed iam pro vestro more suffundere molieris aquam, & fumũ ob oculos excitare studes. Quæ nam, inquis, hominũ scripta, superbis etiam non sunt occasio maiorum tenebrarum? Dic mihi quis vnquam ex lectione Thomæ factus est hæreticus, aut quis ex Augustino solo sumpsit hæreseos errorem? Ex scripturis tamen perperam intellectis, innumeros ansam aberrandi non est dubium accepisse. Quod demum hæreticos à bestiis separas, ego certè nullam existimo bestiam esse truculentiorem, quàm hæreticum, quum bestia solis noceat corporibus, at hæreticus immensam quotidie facit animarum stragem.

Luth. de pre beius.

Præcipuũ Luth. fundamẽtũ subuertitur.

Mos Lutheranorũ.

Luth. ¶ Sint ergo Christianorum prima principia, non nisi verba diuina: omnium autem hominum verba conclusiones hinc eductæ, & rursus illuc reducẽdæ & probandæ.

Episc. ¶ Sed istud quî colligis Martine? Nũ ex eo quod supra citaueras, principium seu caput verborum tuorum veritas? An ista tibi Theologica videtur argumẽtatio, Principium verborum dei veritas est, ergo verba dei sunt principia prima, & dicta interpretum nõ nisi conclusiones? imo potius ex eo colligeres veritatem esse principium verbi dei, & hæc illius esse conclusiones. Sed fallere nos. & circunuenire tuis iis verbis Luthere conaris. Neque enim sacrorum interpretum commentarij, semper habendi sunt vt scriptura-

Luth. vt co hervitanda.

rum conclusiones, sed expositiones, & illustrationes quædam dicendæ sunt potius. Sunt enim hæ nobis magis notæ, & per eas inducimur in scripturarum notitiam quum tamen è diuerso scriptura notior sit in semetipsa, non autem in nobis.

¶ Illa primo omnium debent esse notissima cuilibet, non autem per homines quæri & disci, sed homines per ipsa iudicari. *Luth.*

¶ Aliud est, aut certè non ignoras, rem quampiam in seipsa notiorem esse, & aliud esse notiorem nobis. Nemini dubium est scripturam alioqui satis obscuram, sæpius per exactam enarrationem ei fieri diluci dam cui prius erat obscura. Et quanquã obscura fuerat nihilominus in se certa, licet parum intellecta nobis. Neq; enim idem est quidpiã in se certum esse, & esse nobis intellectum. Nã de scriptura quanque certi sumus quod vera sit, tametsi non fuerit nobis satis intellecta. Habẽt scripturæ suã certitudinis firmitatem, etiam quum parum cognitæ fuerint. Falsum est igitur quod subsumis, nẽpe scripturas primo omniũ debere esse notissimas cuilibet. Sed neque minus falsum est, ꝙ non per homines quæri debent & addisci. Per homines enim elucidari scriptura potest. Alioqui sapientia nequaquam de hominibus dixisset. Qui eclucidant me vitam æternam habebunt. *Episc.*

Scriptura in se certa, licet obscura nobis.

Scripturæ nõ sunt primo omnium notissimæ cuilibet.

Per homines elucidari scripturam.

¶ Quòd si non ita est, cur Augustinus & sancti patres, quoties vel pugnant vel docent, ad sacras literas seu prima principia veritatis recurrũt, & sua vel obscura vel infirma, illarum luce firmitate, illustrant & confirmant? quo exemplo vtique docent, verba diuina esse apertiora omniũ hominũ, etiam suis propriis verbis, aut quæ non per hominum verba, sed hominũ verba p ipsa doceãtur, probentur, aperiantur, & firmentur. Nisi enim ea apertiora & certiora ducerent, ridicule sua obscura per obscura Dei probare præsumerent, cum & Aristo. istorum, vniuersusque naturæ sensus id monstrent, quod ignota per notiora, & obscura per manifesta demonstrari oporteat. *Luth.*

Universidad de Deusto

¶Hic Martine, certum cum noto confundis, & firmum cum dilucido, quum nos suprà ostendimus, hęc diuersa esse, quippe quòd scripturæ certiores essent, & firmiores, interpretum vero commentarij nobisno tiores & dilucidiores. August. igitur & cæteri patres firmant & roborãt sua, per scripturas, ac vicissim scripturas per sua declarant, & elucidant. Quæ res vt manifestior fiat, de tuis aliquid commentariis loquamur. Si notior est Pauli ad Galat. scriptura, quàm interpretatio tua quam super eam ædideris, parum pru dens eras qui laborem tantum ad eam illustrandam insumpseras. At non dices opinor, fuisse notiorem, quam certiorem affirmabis, & propter ea certiorem, quoniam de scripturis nemini licet ambigere, quin veræ sint, licet à se neutiquam fuerint intellectæ. De tuis tamen commentariis hæsitant plurimi. Diuersum igitur est scripturam aliquam certam esse, & notam esse. Tu tamen hæc confundis, perinde atq; prorsus essent eadem.

Episc. Scripturæ certiores & firmiores, interpretum commentarij notiores & dilucidiores.

Diuersum est scripturam aliquã certam esse. Luth.

¶Quæ ergo est nostra tam irreligiosa peruersitas, vt sacras literas non per seipsas, & illarum proprium spiritum, sed per hominum glossas velimus discere, diuerso omnium patrum exemplo, & in hac peruersi tate gloriemur, seu religiosissima pietate.

Episc.

¶Nihil agis Luthere. Nulla peruersitas in iis est, qui sacrarum literarum intellectum, ex sacris petunt interpretibus, quin potius in illis, qui contemptis interpretibus, ingeniis adeo confidunt suis, vt facto sibi aliunde aditu, & non per ostium ingredi volunt. In his nimirum est peruersitas damnatissima. Porrò quòd ais, diuerso patrum omnium illos exemplo facere, longissimè aberras. An non Origenes Alexandrino Clementi discipulus erat? Et Hiero. num in sacris literis præceptorem habuit Gregorium Nazianzenum, quo interpretante se didicisse literas gloriatur? Et Basilius nõne profectus in Ægyptum, vt sacris literis erudiretur, in Græciã reuersus, multis philoso phis viã salutis ostẽdit? Chrysostomus etiam Eusebio

Origenes Clementis Alexãdrini discip.

Chrysost.

Emisseno præceptore vsus est. Et Cypria. Tertul. commentarios tam assiduè legit, vt nullum prætermiserit diem, quo non aliquid ex eis audiret. Sed & August. Ambrosium scripturas sacras explanantem diligenter auscultauit. Non igitur diuerso patrum omnium exemplo faciunt, qui pro scripturarum intelligentia, se probis committunt authoribus.

Euseb. Emiss senũ habuit præceptorẽ.

Probi authores sunt legendi. Luth.

¶Si enim hoc volumus, concedemus scripturas sanctas esse obscuriores & ignotiores, quàm patrum scripturas, hoc autem admisso, vlterius dabimus, sanctos patres suis commẽtariis nihil aliud fecisse, quàm vt sua probarent per scripturas, notiora probarint per ignotiora, & sic tam seipsos quàm nos mirè illuserint, prorsusque in vanum laborauerint, & erit vt plus credamus interpretantibus, quàm loquenti scripturæ, quis ita insaniat?

¶Ego nemini præterquam tibi dubium arbitror, quin scripturas nondum initiato, magis obscuras existimet, quàm patrum commentarios, & ex iis, illas facilius disci posse. Quumque sic discuntur, magis ex illis commentariis perspicuæ fient, vbi prius erat obscuræ. Diuus enim Hieronymus post tot vigilias & sudores, etiam post tot magistros, non erubescit confiteri scripturarum obscuritatem. Nam. 8. quæstione ad Algasiam, quæ versat vnum Pauli locum. Totus, inquit, hic Apostoli locus, & in superioribus & in consequentibus, imò omnis epistola eius ad Romanos ni mis obscuritatibus inuoluta est. Hæc Hieronymus. Porrò quum subinferas: Si scripturæ sanctæ sint obscuriores, & ignotiores quàm scripturæ patrũ, hi sua probantes per scripturas, nihil aliud faciũt, quàm notiora sua probant per ignotiora. Istud tuvafrissimè collegis, perinde acsi patres probarent semper sua, quod hauddubie non faciunt. Quum enim scripturas interpretantur, sua non probant, sed illas reddere perspicuas auditori nitũtur. Redditis autem perspicuis, iam vtuntur ad probanda sua, si quæ fuerint, de quibus auditor subdubitare poterit. Sed neque sic faci-

Episc.

Hieron.

Scripturarũ obscuritas.

entes, aut seipsos, aut nos illudunt, neque prorsus in vanum laborant, neque demum fit, vt illis ipsi credam⁹ magis q̃ scripturis. Nã & si p illos scripturas intelligamus, scim⁹ tamen eas nequaq̃ ex interpretib⁹ suã habere firmitatẽ, sed cõtra magis hoc ex illis pẽdere.

Luth. ¶ Iã quanti errores in omniũ patrũ scriptis inuenti sunt? Quoties sibiipsis pugnant? Quoties inuicem dissentiunt? Quis est qui non sępius scripturas torserit? Quoties Aug. solum disputat nihil diffinit? Hiero. in cõmentariis ferè nihil asserit. Qua autem securitate possumus alicui niti, quem constiterit sæpius erraſse, sibi & aliis pugnasse, scripturis vim fecisse, nihil aſseruisse, nisi auctoritate scripturæ nos omnia eorum cum iudicio legerim⁹? Nullus attigit scripturę ęqualitatem, sicut nec debuit, quãquam vetusti illi propius accesserint, quod in scripturis diligentiores fuerunt.

Episc. Aliquoties errauere patres. ¶ Et nos aliquoties erraſse patres non diffitemur. Homines enim erant sicut & nos. Cęterum cum tãtas columnas nutasse non ignoramus, quid de nobis, infra illorũ pedes longe iacẽtibus possumus polliceri? Si tam præclara ingenia, tot ornata dotibus, ex obscuritate scripturarũ hallucinata sunt, quis iam suisviribus elatus, suo fretus ingenio, sui spiritus fiducia tractus, præsumat se nõ errare posse? Neq; tamen interpretes sic errarunt, quin qui iam eruditi, facta mutua collatiõe tã interpretũ inter se q̃ scripturarũ & conciliorum, ac cęterarũ ecclesię cõsuetudinũ haud deprehendẽt, qd maxime tenendũ approbandumq; sit. Nã iis oibus dignę pensitatis, & rectę rationis iudicio rite libratis, emerget (diuino illustrãte spiritu) qd p veritate potissimum sequi debeamus, quẽadmodum & superius. 6. veritate prolixius dicere studuimus.

Luth. ¶ Nemo ergo mihi opponat papę aut sancti cuiusuis authoritatem, nisi scripturis munitam. Nec statim vociferetur, me vnum velle omnibus doctiorẽ videri, & scripturas proprio spiritu intelligere. Hęc enim nõ sunt vociferationes quærentium Dei veritatem, sed suã veritatem, aut eum afferat authorem, quẽ constat

nunquam erraſse, scripturas torsisse, aliis & sibi pugnasse, dubitasse. Nolo omnium doctior iactari, sed solum scripturam regnare, nec meo spiritu aut vllorum hominum interpretari, sed per seipsam & suo spiritu intelligi volo.

Episc. ¶ Quid aliud moliris Martine, quàm præ cæteris omnibus haberi doctior? Nam cæteros omnes (quantacunque fulgeant eruditione, aut vitę sanctimonia) protinus, vt tuis phantasiis non subscribunt, damnas & reiicis. Solam (ais) te velle scripturam regnare. Sed quamobrem? Nempe quòd eam speras pro tuo versatili ingenio torqueri posse, & trahi quò tu destinas. Neque iudicem alium admittis, præter scripturam illam, & iuxta sensum, quem tibi ex illa formaras. Quid hoc est aliud, quàm te cupere cæteris cũctis interpretibus præferendum esse, cum neminem illorum adversum te, iudicem admittis, sed contra potius cuiuslibet eorum, te constituas iudicem?

Luth. ¶ In qua re ne iuste videantur vociferari, præclarissimum exemplum habeo Augustini, quem sæpius adduxi, & quia surda eum aure transeunt, sæpius inculcare oportet, vbi dicit in epistola ad diuum Hieronymum: Ego solis eis libris qui canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, vt nullum eorum scriptorem erraſse firmiter credam, cæteros verò quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant ita lego, vt nõ ideo verum credam, quia ipsi sic senserunt, sed si per canonicas scripturas aut ratione probabili mihi persuadere potuerunt. Cur non & hunc August. arrogantiæ arguunt, qui prorsus omnes adversum tractatores scripturæ contemnere audet, quatenus scripturis & rationibus non persuadẽt, & nobis idem faciendum docet lib. 3. de Trin. dicens: Noli meis literis velut canonicis inseruire.

Episc. ¶ Hoc nimirum est, quod paulo antè dixeram, nempe scripturas tantam habere veritatis certitudinem, vt nullum in se penitus erroré continere, modis omnib⁹ credendę sint. De scripturę tamẽ singulis in-

terpretibus,subdubitare cuique licebit, an verum sit nec ne,quod scripserit interpres, nisi cõfirmarit sua, vel scriptura canonica,vel ratione probabili, quemadmodum hic Augustinus testatur. Lutherus tamen memorat Augu.audere prorsus omnes ad vnum scripturæ tractatores contemnere,ꝓ ille nusquam facit, sed multo modestius de cæteris interpretibus loquitur,contentus,si vel scripturam canonicam, vel rationem per se probabilem afferant, cum Lutherus nihil admittere vult, præter scripturas. Sed & August. demum nihil arrogat sibi, quod non cæteris tribuat interpretibus.

August.

¶Et Hilarius vel inter primos patrum, in suo de Trinit.libro primo dicit: Optimus interpres hic est, qui sensum è scriptura potius retulerit,quàm attulerit,nec cogat hoc in dictis contentum videri, quod ante intelligentiam docere præsumpserit. Ecce hic insignis author, vult è scripturis referri, non afferri in scripturas intelligentiam. Non ergo hoc est elucidare sapientiam (de quo gloriantur) multa patrum dicta cõgerere, & ex iis scripturam intellectam præsumere,sed è scriptura intelligentia relata,& per sui solius collationem elucidata,illorum dicta iudicare.Sic & beata virgo conferebat verba omnia in corde suo.

Luth.

¶Vtinam idem ipse faceres Luthere. Vtinam ipse non alienum ignem immiscueris. Sed tu sæpenumero sensum alienum affers,quẽ spiritus ille sacer neutiquam indidit.Neque enim spiritus ille sibi contrarius esse potest. At esset sibi contrarius,si sensus mutuo sibi dissidentes,& penitus repugnantes,sacris inseruisset scripturis. Quando igitur patribus, magna concordia subscribentibus spiritus ille sensum aliquem scripturis inspirauit, quomodo tu,qui nouum & omnino contrarium effingis, non alienum potius attulisse putaberis, quàm genuinum & suum retulisse.Securior nimirum erit se spiritus sancti sensum tenere,quisquis ex concordia patrum illum acceperit,

Episc. Alienum ignẽ miscere

quàm qui suo confisus cerebro,petierit illum ex scripturis perperam intellectis.Nam de patribus nõ dubito,quin vbi consenserint, illic vere sensus est sacri spiritus.Neque dubium est, quin illi scripturas inuicem diligentissime contulerint, & easdem luculẽter elucidauerint,vt nemini iam certum esse posset,se verum scripturæ sensum assequutum,cuius contrarium patres concorditer asseruerunt. Cæterum ꝓ tandem ait beatam virginem in corde suo verba omnia contulisse,nihil ad rem pertinet.Nam hæc fuerunt à pastoribus relata,quæ nondũ erãt sacris mãdata literis.

Vbi patres cõsentiũt, illic vere sensus est sacri spiritus.

¶Quòd si, vt hoc auderemus & deberemus, Augustinus & Hilarius, aliiq̃ue non docuissent. Nonne Paulum habemus ad Thess.dicentem:Omnia probate,quod bonum est tenete.Et Galat.primo: Si quis aliud euangelizauerit præter id quod accepistis anathema sit?Et.1.Ioan.3.Probate spiritus,vtrum ex Deo sint,has certe apostolicas monitiones necesse est omnes contemnere,si quælibet patrũ dicta oportet absque iudicio admittere,iudicio inquam spiritus,quod nullis nisi sacris literis voluit includi & contineri.

Luth.

¶Probe admones.Producis eadẽ quæ in teipsum conuertamus tela.Si tam exacte patrum examinanda sunt scripta,qui cõcordiæ studuerunt, multo diligentius excutienda sunt tua, qui scindere velis vnitatẽ, quiq̃ue inter pauca bona, multa pestifera seris. Et si sit habendus anathema, quisquis Corinthiis aliud euangelizauerit,quàm quod Paulus:tu decuplo magis anathematizandus es, qui in tot articulis ab vniuersali dissentis Ecclesia.Et demum si probandi sunt spiritus an ex Deo sint, qualem in te spiritum inueniemus,qui sacro spiritui tam aduersantia seminas dogmata. Has nimirũ apostolicas monitiones necesse nobis foret,omnes contemnere,si contra patrum interpretationes (quas de scripturis diuinis illis inspirauit spiritus) tuas phantasticas adinuentiones sequeremur.

Episc. Lut. ꝓprio telo cõfossus

¶Atque vt satius,quod mirentur,dicam: legimus

Luth.

in Actis apost.cap.17.quod ii qui cum omni auiditate verbum Pauli audierant, quotidie scrutabantur scripturas,si hæc ita haberent. Si ergo Pauli euangelium, seu nouum testamentum oportuit probari per veterem scripturam,an ita haberet, qui tamen authoritatem habuit à Deo sibi datam,sicut apostolus,vt eius verbo crederetur, quid nos facimus, qui patrum dicta quorum nulli fuit authoritas noua docēdi, sed tantum accepta per apostolos conseruandi, nolimus ad scripturæ iudicium vocari.

Episc. ¶Nihil est quod miremur, si Iudæi sub tanta rerum mutatione scrutati sint, an ea quæ prædicabat Paulus,veteribus eorum scripturis responderent,maxime cum affirmabat ea sic se habere.Audierūt enim gentes in gratiam esse recipiendas,legalia tum cessatura, legis suæ factam esse mutationem, sacerdotium item fuisse translatum.Et hæc omnia per Christi mortem(quem ipsimet occiderunt) contigisse. Sed quid illud ad nos attinet, quorum est iam tempus nouissimum,certique sumus,sacrum in Ecclesia residere spiritum, qui nos citra apostolorum tempora, per sanctos,hactenus erudiuit?Nunc scilicet istorum eruditione spreta,quæ per tot secula iam in EcclesiaChristi durauit,tuas hæreses hodie natas, amplexabimur, perinde ac si iam alter è cælo spiritus in tuum sinum esset delapsus contra scripturarum omnium testimonia?Num tu paruam patribus authoritatem fuisse putas,in quibus ille spiritus loquutus sit?Neque tamen negauerim illorum dogmata debere ad scripturæ iudicium vocari,vt tum demum approbentur,si scripturis consentiant. Sed non patior te sententiam in eos ex scripturis ferre, q̄ scripturas inuertere soles,& cæreum ex eis nasum pro tuo cerebro plerunq; facere.

Sanctorum dogmata ad scripturæ iudicium vocanda.

Luth. ¶Denique non solum ipse Paulus sua omnia per vetus testamentum probat, vt in epistolis eius abunde videmus, adeo vt in procemio epistolæ ad Romanos testetur euangelium suum prædictum in scripturis sanctis per prophetas.Sed & Petrus,& omnes apo

stoli,etiam concilio cōgregati, Act.15. per scripturas sua demonstrant,quin & ipse Christus omnium dominus,voluit per Ioannis testimonium comprobari, & voce patris de cælo confirmari,adhuc tamen frequētissime sua persuadet,testimoniis scripturæ,iubens etiam Iudæis,vt scrutentur scripturas, quæ testimonium perhibeant de eo.

¶Nemo negat, quin scripturis confirmanda sint, quæ asserimus,modo scripturæ non defuerint,quod dico propter apostolorum traditiones, & Ecclesię orthodoxæ consuetudines receptissimas,de quibus plerunque nulla scriptura testatur.Sed & tutissimum opinor authoribus omnibus quatenus sua per scripturas confirment.Verum nō ita, vt solis scripturis fides adhibeatur,quod &tu moliris,sed cōciliis itē patrum authorum insuper veterum interpretationibus,apostolicis traditionibus,&vetustis demum Ecclesię consuetudinib⁹ credendū est haud dissimiliter.Cuius rei necessitatē,& si nihil aliud esset,id quod de purgatorio tradit ecclesia,palam demonstrat &validissime te cōuincit,cum asseras te purgatorium esse cū Ecclesia credere, neges tamen id ex sacris literis ꝓbari posse.

Episc. Scripturis cōfirmandæ sunt doctorū assertiones, mō scripturæ non defuerint.

¶Mira ergo nostra peruersitas, vt aliis testimoniis quàm scripturæ,nostra velimus probare,quando Christus & apostoli omnes sua volunt in scripturis testificari.

Luth.

¶Profectò magis magisque tuam quotidie peruersitatem admiror, quem non pudet tot & tā friuolas ratiunculas accumulare, pro statuendo tam pestifero fundamento,quo posses erigere tuas hæreses, quod & te facile putas effecturum, si nihil aduersum te producatur præter scripturas. Nam has opinaris te citra omnem difficultatem posse torquere pro arbitrio tuo.Sed nolumus his angustiis Luthere coarta ri,volum⁹ vti libertate nostra,quam nullis argutiolis à nobis auferes.Nihil hactenus,ꝓ solide tuū institutum stabiliret,attulisti:sed & iam etiā ineptissime colligis.Nos videlicet non aliis q̄ scripturæ testimoniis,

Episc.

nostra debere probare, quia Christus & apostoli sua scripturis testificati sint. Nõ sic Luthere. Sed si statuere velis, quod non aliis quàm scripturæ testimoniis nobis vtendum sit, oportet prius ostendas, Christum & apostolos nõ aliis vsos fuisse, quod apertissime falsum est. Quoties enim exemplis, quoties rationibus ex natura petitis Paulus vtitur: aliquando poetarum carminibus, nonnunquam consuetudine. Quæ nimirum iis (qui vel mediocrem in sacris literis exercitationem habét) notiora sunt q̃ vt egeant probatione.

Luth. ¶ Imo quæ sit insania intolerabilior. Scripturas vnde testimonia pro nobis petẽda sunt, volumus testimoniis hominum probare & tueri.

Episc. Scripturæ suã ex Deo solidam habent firmitatem. ¶ Intolerabilis hauddubie est hęc insania tua, qui non erubescis hæc affirmare. Quem enim vsqueadeo stupidum mihi dabis, qui sit conatus vnquam scripturam astruere per authorum testimonia? Nam scripturæ suam ex Deo solidam habent firmitatem, de qua dubitare non licet. Fieri tamen potest, vt quis hunc vel illum sensum scripturam habere doceat, ex interpretum suffragiis. Quæ res profecto male te habet. Nam in scripturis interpretãdis, alteri quàm tibi nemini credendum esse velis, nisi tuæ subscripserit opinioni. Atque hoc est, quod hactenus tot productis argutiis & sophismatibus, stabilire molitus es. Ob hoc concilia patrum respuis, canones damnas, interpretes (quantauis eruditione aut vitæ sanctimonia polleant) contemnis penitus & reiicis, nimirum vt vni tibi credatur in scripturarũ expositiõe. Propter quod & iudicem tot clamoribus fieri scripturam postulas, vt tu scilicet in ore scripturæ, nobis, quicquid velis, credẽdum imperes. Eius nimirum similis, de quo Hieronymus ad Dumpnionem scribens, ait: Voluit S. homo peritissimus, vt veteranus miles vno rotatu gladiis percutere vtrunque, & ostendere populis, quod quicquid ipse vellet, hoc scriptura sentiret. Nũquam satis hanc impudentiam tuam admirari queo, qua te putes hæc nobis persuasurum, vt vnius Lutheri iudicium, tot sanctissimorum simul & eruditissimorum patrum eleuet authoritatem, & vnus fraterculus tot & tam eximiis præponderare putetur interpretibus.

¶ Nonne hoc est aliud nihil, quàm velle humanis, diuina firmare & elucidare? Nonne hoc est gladium spiritus, quo nos defensos oportuit, obiecta carne brachii nostri tueri? *Luth.*

¶ Pridem his respondimus, neminem conari, vt diuina per humana firmentur, elucidari tamen ex humanis diuina, quid prohibet? Non quòd diuina non habeant in se maiorem lucem quàm humana, sed q̃ propter intellectus nostri imbecillitatem, illa nobis obscuriora videantur, vt interdum necesse sit, illam obscuritatem humanæ interpretationis lumine dispelli. Cæterum & cum quis hoc gladio spiritus peruerse vtitur, humanis etiamviribus ei resistẽdum esse quis non comprobabit. *Episc. Elucidari ex humanis quid prohibet.*

¶ Non tamen per hæc, sanctis patribus volo detractam authoritatem & ingratitudinem pro sanctis eorum laboribus repensam, sed libertatem spiritus & maiestatem verbi Dei illis præpositam. Sint sancti viri & Ecclesiarum patres, sed homines, & apostolis atque prophetis impares, & horum authoritati nõ prælati nec æquati, sed subiecti, vt quos non ipsi erudierunt aut illustrauerunt, sed à quibus ipsi eruditi & illustrati sunt, tantum nobis exemplo sint, vt quemadmodum ipsi in verbo Dei pro suo tempore laboraue runt, ita & nos pro nostro seculo in eodẽ laboremus. Vna est vinea, sed diuersi diuersarũ horarũ operarii, omnes tamen in ipsa vinea, non in sarculis aut cultris operariorum laborant. Satis est è patribus didicisse, studium & diligentiam in scripturis laborandi, non omne opus eorum probari necesse est, siquidem & diligentia pluribus quandoque non dat, quod dat vel vni sola occasio, & nescio quæ spiritus incomprehensibilis impulsio. *Luth.*

¶ Tibi scilicet spiritus incomprehensibilis impulsio tribuit, quod sanctissimis ipsis nõ dedit patribus? *Episc.*

Tam perfrictæ frontis es, vt hoc te scribere non pudeat? Et maxime quum superius asseueras scripturam per sese certissimam, facillimam, apertissimam, suiipsius interpretem esse. Si talis est scriptura sacra, cur eam à patribus intellectam neges? quum labores eorum & diligentiam nõ diffitearis? Nisi tibi fortè persuaseris eruditionem eximiam esse, perspicacius ingenium, maioremvitæ sanctimoniam, aut demum (quod tu videris asserere) diuini spiritus impulsum clariorem. Quæ tibi præ sanctissimis illis arrogare nimis q̃ diabolicum est.

Luth. ¶ Exemplo itaque S. Bernardi, si id poterimus, potius ex fonte ipso, quàm ex riuulis bibamus: sic enim de se confitetur, ob id non raro patribus sanctis reluctari ausus.

Episc. ¶ Recte illud adiecisti. Si poterimus. Verum cui id non datur, satius est ex riuulis bibere, quàm siti perire. Neque enim cunctis permittitur ex ipso fonte bibere. Quia non cuique patet aditus. Obscuritas enim pluribus impedimento est, ne queant ostium inuenire. Cæterum ille beatus erit, quisquis riuulum fuerit nactus qui recta perducit ad fontem. Bernardum ego non crebro patribus reluctari video, quin potius, quæ prius ipsi dixerint, suis operibus inseruisse plerunque deprehendi, id quod neutiquam fecisset, si non legisset eorum commentarios.

Luth. ¶ Alioqui, si pontificibus aut doctorib' solis fidendum est, nec ad scripturæ tribunal vocandi sunt, cur non scripturas sanctas explodimus tanq̃ superfluas, & obscuriores, quàm vt eas possumus consequi? eodẽ exemplo tandem & patres sanctos repellamus, receptis in locum eorum, apertioribus (vt iactant) theologis scholasticis, donec & his abiectis, Aristotelem, & quo quisque remotior à sacris literis & sanctis patribus fuerit, duces habeamus, sicut reuera habuimus, & habemus. Tum reuera erit, vt scripturas sanctas non solum proprio spiritu non interpretemur, sed nihil nisi proprium spiritum scripturis in totum incogni-

tis reliquum retineamus, & meris opinionum nostrarum turbinibus & procellis sine fine agitemur, sicut est dies hæc.

¶ Nemo solis pontificibus aut doctoribus fidendum esse iubet, sed multo magis scripturis, quib' ipsi sua confirmarunt, quoties scripturas afferre licuit. Quod dico propter aliquas veritates, quas Ecclesia catholica multorum seculorum vsu recepit, pro quibus tuendis priorum patrum testimoniis vel solis innitendum est, & maxime, q̃ ab apostolis multę manarunt traditiones, de quibus in specie scriptura non meminit, sed sola patrum relatione didicimus. Porrò si qui sint, qui relictis scripturis, & interpretibus, solis confidi scholasticis velint, hi nimirum ex altero deuiant latere, verũ non quantũ ipse Luthere, qui reiectis iis ambobus, ac prorsus contẽptis, solis scripturis, & eisdem perperam intellectis, credendum iubes.

Episc. *Apostolicæ traditiones quædã sunt quæ literis non mandantur.*

¶ Hęc volui in hoc protestari, ne ii, qui sanctorum patrum alicubi dictis suffarcinati, præsumunt victoriam sibi, sese aliquid feçisse putẽt, si me aduersatum ostenderint. vel vnius patris ecclesiastici vnico alicui verbo, quod hactenus à scholasticis doctoribus ad ecclesiasticos semper prouocauerim.

Luth.

¶ Effugere nõ vales, quin magna sit tibi inconstantia, nunc protestari te recepturum patres, nunc eosdem recusare. Aberrasti primũ, q̃ Thomam, Scotum, & cęteros repudiaris scholasticos. Errasti postea, cum sacros etiam interpretes, & concilia sacra recusaris. Verum quum iam contemptis traditionibus, & tam longæuis Ecclesiæ consuetudinibus, nihil præter scripturas & easdem pro tuo cerebro nobis exponendas relinquis, insanis maxime. Sed iam cernis (vt ab initio diximus) tua non posse cum illis omnibus conuenire, quamobrem & istas negas, negaturus etiã scripturas, si non posses ea ad modum Lesbię regulę tuis opinionibus adaptare.

Episc. *Lut. inconstantia.*

Lesbia regula.

¶ Non enim sic ad eos prouocaui, vt omnia eorum vera arbitrarer, sed quòd propioraveritati senserint,

Luth.

quàm ſcholaſtici,qui ferè nihil veri habēt reliquum, vt ſenſim ad fontem ipſum,riuulis ducentibus,veniremus.

Epiſc. ¶Sic nimirum ad eccleſiaſticos prouocaſti, vt tūc cum illis tua conſentire non dubitabas. At vbi diſſidium apparere conſpexeras, mox tua ſpe fruſtratus, & illos auerſari cœpiſti. Sicque iam contemptis vtriſque tuis erroribus defenſandis adminiculum ex ſcripturis paras,quibus iam vel ſolis credendum ſuades, quod eas pro vafricie tua ſperas inuerti poſſe,& tuis hæreſibus conquadrari.

Luth. ¶Prohibet autem Auguſtinus, quem ſemper adhibui, vllius tractatorum quantumlibet ſancti ſcripta, ſcriptis apoſtolorum & prophetarū æquari, id quod communis quoque naturæ ſenſus prohibet.

Epiſc. ¶Nihil pro tua ſentētia facit Auguſtinus,qui Cyprianum,Hieronymum,Ambroſium,& cæteros veteres plerunque citat, quibus & honorem deferre ſtudet, quanquam nolit eorum dicta cum ſacris æquare ſcripturis. Sæpius dixi, ſcripturæ ſuam ex Deo firmitatem habent, vſqueadeo vt nemini liceat de iis an veræ ſint, vel in minimo dubitare. De patrum verò ſcriptis aliud eſt, in quibus tametſi ſpiritus ille ſacer pro maxima parte locutus ſit,tamen in quibuſdā eos labi paſſus fuit,vt homines agnoſcerentur. Cæterum ab eruditis & exercitatis, error ille (facta cum cæteris,quæ ſupra diximus,collatione) facile deprehendi tur,vt non ſit neceſſe propter errores eorum pauculos,cętera quæ congruenter ad communem Eccleſię catholicæ ſenſum enunciauerint floccifacere.

ISTIS PRÆMONITIS AD ARTICVLOS VENIAMUS, quorum primus eſt.

Luth. HÆretica eſt, ſed vſitata ſententia. Sacramenta nouæ legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem.

¶De ſacramentis,an gratiā necne conferant,quia rex illuſtriſſimus copioſe tecum egit, nihil nunc dicam,tuis tantummodo reſpondebo, quæ pro tua ſententia producis. Sed principio cōuellēdus eſt error, qui tibi nimium inſedit,nempe de fide,cui cuncta tribuens,nihil operibus facis reliqui. Putas enim ſola fide cōferri gratiam hominibus,& nullo externo tempore. Nam eo tendunt ſcripturæ quas.ī.citas,& inſuper in libello de libertate Chriſtiana palam affirmas, ꝓintus ſecundum ſpiritum homo per fidem abundeſatis iuſtificatur,habens quicquid habere debet. Cæterum de fide tam varie,tam inconſtanter,tam verſute loqueris,vt facilius anguillam cauda quis retineat, quàm te vſqueadeo lubricum & verſipellem. Nā plerunque fidēvſqueadeo demittis,& omnibus parabilē atque obuiā facis,vt neminem qui Chriſtum quoquomodo profitetur, non putemus eam habere. At contra,non ſemel ita fidem attollis, & difficilem, ac quaſi remotiſſime poſitam inſinuas,vt vix quenquam facile reperiemus,qui fide præditus exiſtimari debeat.

Epiſ. Hēric° rex illuſtriſſ.

Quàm varie de fide loquitur Luth.

Sed agamus, vt lector quiuis intelligat vtrumque horum eſſe veriſſimum. Et primum iſtud quod poſterius aſſeritur. Lutherus articulo quodam qui ſequitur,nempe duodecimo,qui ſic incipit: Si per impoſſibile confeſſus non eſſet cōtritus. Dixit (inquit) per impoſſibile, quia ſatis ſupradictum eſt, fidem ſine contritione eſſe non poſſe, quum gratia non infunditur,niſi cum magna concuſſione animæ. Hactenus ipſe. Vides hic lector,nec infundi gratiam abſque magna animi concuſſione,neque fidem ſine contritione eſſe poſſe. Quamobrem, vbi non eſt magna animi concuſſio, & vera contritio, nec gratia, nec fides eſſe poterit. Quòd ſi verum ſit, quis non aduertit quàm pauci ſint qui fidem habeāt? Adde,quod in libello de Chriſtiana libertate docet,quod qui fidem habet, per eam liber eſt ab omni lege, & ex mera libertate, omnia gratuito facit quæcunque facit, nihil quærens,aut commodi,aut ſalutis (quum iam ſa-

Fides Luth. labyrinthus

Quis iuxta Luth. fidem habet.

tur,& ſaluus ſit gratia Dei ex fide ſua) ſed ſolum beneplacitum Dei. Atqui rariſſimus eſt, qui nihil, aut cõmodi, aut ſalutis quærit, ſed ſolum beneplacitũ Dei. Si nemo præter hunc fidem habeat, pauci ſunt qui fidem habere credantur. Ad hęc, in eo libello tradit, ꝓ qui fidem habet, ea debet in omnib⁹ operibus ſuis opinione eſſe formatus. Et huc ſolum ſpectare, vt aliis ſeruiat, & proſit in omnibus quæcunque fecerit, nihil ante oculos habens, niſi neceſſitatem & cõmodi tatem proximi. At vix vnus aut alter in quouis hominum cœtu reperitur, qui ſolum eò ſpectat, vt aliis ſeruiat in omnibus quæ fecerit, nihilque ſibi proponat ob oculos, præter neceſſitatem & cõmoditatẽ ꝓximi. His accedit, quod in reſolutionibus ſuis aduerſus Eckium in hunc modum ſcribit: Quum fides ſit recta & bona opinio de Deo. Opinio autem quælibet per ſe ſolam trahit in opera, non eſt dubitandum, quin omnia opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris non eſſe ſinit otioſum, ſed ſine lege & magiſtro facit plura q̃ poſtuletur, quomodo nõ fides multo magis idem prẽſtet? Hęc Luth. Quod ſi nemo fidem habuerit, niſi qui tam propenſus in omnia, quæ Deo placitura ſunt, fuerit: perinde atq; vir quiſpiam amore captus mulierculę: rarus erit qui fidei ſit potitus. Præter hæc, in libello de fide & operibus ſic ait: Fides eſſe nullo modo poteſt, niſi ſit viuax quædam & indubitata opinio, qua homo certus eſt ſuper omnem certitudinem, ſeſe placere Deo, ſe Deum habere propitium & ignoſcentem in omnibus quæ fecerit aut geſſerit: propitium in bonis, ignoſcentem in malis. Quid enim eſt fides, quæ non eſt talis opinio? Hactenus ille. Quod ſi nemo fidem habuerit, niſi qui talem ſortitus fuerit opinionem, illi certè non habẽt fidem, qui ſibi conſcii ſunt voluntatis peccandi mortaliter: cum hi nec gratiã habeant, neq; Deo placeãt, imò ſcire teneantur ſe diſplicere Deo. Sed & cum Sapiens quidã admoneat de propitiatu peccatorum, ne ſimus abſq; metu. Et Paul. item vt timeamus, iuſſerit:

Finitio fidei Lutheranæ.

Tu, Inquit, fide ſtas, ne efferaris aïo, ſed timeas. Quomodo ſuper omnem certitudinẽ opinari poſſumus, Deum eſſe nobis propitium & ignoſcentẽ? Perſpicis ex iis opinor quiſquis hęc legeris quãtis anguſtiis Lutherus fidem cõcluſit, vt vix quiſquã inueniatur, qui fidem ſit nactus. Sed vide rurſum, q̃ facilem, cõmunẽ, & obuiam eã omnibus facit. Inter acta ſua ſic diffinit fidem: Fides autem nihil aliud eſt q̃ illud quod Deus promittit aut dicit, credere. Si fides nõ ſit aliud quàm credere promiſſa & dicta Dei, quis Chriſtianus (modo verum eſſe credat, quicquid in vtroq; teſtamẽto continetur) non fidem habere putabitur, quãquam nihil operũ habuerit? Adde ꝓ vbiq; clamat, opa nec ad fidẽ nec ad iuſtificationem exigi debere. Quando igitur tota difficultas eſt in opere, quod Luthero neutiquã exigitur, quid cuique facilius eſſe poterit, q̃ credere ſolum? Ad hęc cum ſub articulo decimoquarto fidem affirmat in corde certiſſime ſentiri poſſe, ſi quis eam habeat. At fides nõ aliter ſentitur, quàm per aſſenſum mentis, in ea quæ ſunt credenda. Quamobrem ſi fide præditus eſſe putabitur, quiſquis talem intra ſe compererit aſſenſum, profectò non admodum ratus erit qui fidem ſit aſſequutus. Accedit his, quod in articulo decimoquinto dicit, nihil oportere eos, qui ad Eucharistiæ ſacramentum accedunt, orationes & præparatoria præmittere, ſed ſatis eſſe, ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſequuturos, quæ ſola fides (vt ait) dignos eos & puros facit. Quam rem & latius in libello de Captiuitate Babylonica tractans, hoc exempli ſubiicit: Si cuiquã mendico, aut etiam indiguo & malo ſeruo legarat ditiſſimus dominus mille aureos, certe cũ fiducia eos poſtularet & acciperet, nec indignitatis ſuæ, nec magnitudinis teſtamenti habita ratione. Quod ſi quis ei reſiſtens, obiiceret indignitatem ſuam & magnitudinem teſtamenti, quid putas dicturus eſt? Scilicet, quid ad te? Non ego te merito meo, nec iure vllo proprio accipio, quod accipio. Scio me indignum, & maiora accipere, quàm

Romæ. 11.

Eiuſd. fidei finitio altera.

Accedẽtes ad eucharistiæ pceptionẽ. nihil oportet iuxta Luthe.) orationes, cæteraq̃ præmittere.

merui, imò contraria merui, sed iure testamenti, & alienæ bonitatis, peto quod peto. Si illi non fuit indignum tanta, tam indigno legare, cur ego propter indignitatem cõtemnem acceptare? Vides lector quorsum hoc exemplum tendat, nimirum vt nemo quantumuis sceleratissimus ab hoc abstineat sacramento, modo fidem habeat promissioni per Christum factæ, quum tamen Paulus indigne sumentes affirmet, propriam subire condemnationem. Sed de iis mox plura dicemus. Nunc satis est, vt intelligas quàm varie, quàm inconstanter, quàm versute de fide sit locutus, vt quicquid proposueris, ad instar anguillæ, vel hac, vel illac elabitur. Operepreciumigitur nobis visum est, solidiora quædam hoc initio firmare, quæ nõ tam versatiliter effugiet. Et primum istud esto, ꝙ fides apud Paulũ à spe & charitate res diuersa sit. Sic enim Paulus. 1. Corinth. 13. Nunc manent fides, spes, & charitas tria hæc. Maior autem horum charitas. Vides igitur his tribus vocib', tres diuersas res apud diuum Paulum significari, è quibus magis eximia charitas est. Quam rem & haud multo suprà, dilucidius explicauit. Si habuero, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Expende quid dixerit: Si habuero fidem omnem. Nullum ergo genus fidei est, quod absque charitate facere te tantillum potest, vt ne dicam iustum constituere. Porrò fidem hanc tantam, qua montes loco dimoueantur etiam in charitatis expertibus esse posse, Christus in Euangelio Matthæi docet his verbis: Multi dicent mihi in illa die, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Ecce quantã fidem habuerunt isti, nẽpe qua prophetarunt, qua dęmones eiecerunt, qua virtutes & miracula multa fecerunt, nec erãt tamen ob hanc alicuius existimationis apud Deũ. Palam est igi

1. Corint. 11.

Fides, spes, charitas, res diuersæ.

1. Cor. 13.

Matth. 7.

tur, fidem non modo rem à charitate diuersam esse, verumetiam absque charitate neminẽ iustificare posse. Petrus igitur. 2. Pet. 1. docet præter fidem, alia plaque necessaria esse ad iustificationem. Ministrate, inquit, in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatẽ, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Et subdit, Cui hæc non presto sunt, cæcus est & manu tentans. Ecce præter fidem exiguntur etiam cætera cuncta, sine quibus frustra de iustificatione quis gloriatur. Subscribit his Ioãnes inquiens: Qui non diligit manet in morte. Quantũuis igitur quisquam crediderit, si non item dilexerit, mortuus est, & si mortuus est, profectò nec iustus erit quum animi iustificatio vita quoque sit. Suffragatur & Iacobus, qui fidem eam asserit mortuam esse, quæ careat operibus. Et in dæmonibus quoque non dubitat eiusmodi fidem esse. His accedit quod credibile non est, Petrum post Christi resurrectionem, & illum suum in fide lapsum, denuò fidem amisisse. neq; enim dubium est, quin ab eo tempore semper fuisset paratus, omnes articulos fidei constanter confiteri. Sed & verba Christi suadent idipsum. Nam postquã is Petro dixisset, Non deficiet fides tua Petre, subiũxit: Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Quibus verbis indicat Petrum aliquam fidei iacturam fuisse passurum, sed ex resipiscentia sic corroborandum vt idoneus esset, qui cæteros cõfirmaret. Ex his opinor liquet, Petrum nunquam post illam insignem fidei ruinam, denuo fuisse lapsum, & fidem iterum amisisse. Lutherus tamen asserit, eum perdidisse post iustificationis gratiam, quando Iudæorum metu se substraxit à cibis Gentium, & sua simulatione coegit gentes iudaissare. In cõmentariis enim ad Galat. affirmat eũ tunc cum cæteris efficax æternæ damnationis scandalum præbuisse, & quòd hi, qui tali simulatione cogebantur ad iudaismum, nisi fuissent per Paulum re-

Præter fidẽ & alia ad iustificationẽ necessaria.

1. Ioan. 3.

Iac. 2.

ducti, prorsus periissent. Consequens igitur est, vt Petrus, fide salua & integra, factus sit iustus. Quamobrẽ nec sola fides ad iustificationem sufficit. Adde quòd qui fidem habet, oportet credat iis, quæ à Christo dicuntur. At iis planè docet quòd qui nonhabent opera quantumuis crediderint, ituri sunt nihilominus in supplicium æternum. Nam cap. 25. Matth. dicturus est his, qui non pauerunt esurientes nec sitientes potauerunt, &c. discedite à me maledicti in ignem æternum. Et e diuerso illis qui prædicta fecerint, vitam æternam pollicetur, quos & iustos appellat. Iusti, inquit, in vitam æternam. Oportet ergo quisquis fidem habeat, credat se non sola fide iustum fieri, sed per opera iustificari, quum & ipsius fides si non habuerit opera, seipsum codemnabit. Perspicuum igitur ex iis opinor vtrunque fieri, & ꝓ fides diuersa quædam res à charitate sit, & ꝓ sine charitate neminem iustificat. Statuamus insuper & tertium, nempe quòd fides quę iustificat, ferax bonorum operum sit oportet. Nam si sterilis & otiosa fuerit nec prorumpat in opera quũ datur oportunitas, eiusmodi fides haudquaquam iustificat. Propter quod & Paulus ad Gal. 5. palam explicat, quam fidem intelligit, quoties de fide iustificãte loquitur. Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Ecce fidem fertilem & feracem bonorum operũ, quæ (quoties datur occasio) libenter in opus iustitiæ prodit. At Lutherus hic dicet, quòd fides priusquàm quicquam operetur iustificat: ac propterea fidẽ absq; operibus iustificare posse, contendit. Et istud ego nõ inficior, nempe ꝓ absque partu operum, hoc est, quũ nondum peperit opera, iustificare quempiam potest, at iam parturiit nihilominus, & est operibus grauida, nihil præter tẽpus partus expectans. Et quoniã potestate quadam intra se continet opera, quæ nondum in lucem ædita sunt, idcirco per eam initiari solum iustus dicitur, non autem consummari. Nam consummata iustitia non aliter quàm ex operibus natis, & in lucem æditis acquiri potest. At hoc est quartũ, quod

Fides iustificans bonorum operũ ferax.

Fides operibus fœcante partũ iustificat.

Iustus ex fide initiat' ex operibus

iam firmare meditamur, nempe quòd opera consummate iustificant. Fides enim ipsa quam bonorum operum feracem esse diximus, & partui propinquam, primum inchoat iustitiam, quę tandem (vbi fœtus excluditur) ipsa dicitur consummari. Propterea Iacobus de fide Abrahæ dicit, quod ex operibus consummata fuit. Vides, inquit, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Et paulò pòst colligit. Videtis, inquit, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Porrò quãtum ad iustificationem inchoatam, Idem Iacobus ait cap. 1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Protinus enim vt quis audito verbo veritatis eidem assentitur iam initiatus in fide, per eam incipit iustificari, cæterum quotidie magis ac magis rectè operando iustificatior euadit, donec tandem ad cõsummatam & absolutam perueniat iustitiam. Subscribit Iacobo Paulus id nouam creaturã appellans, quod Iacobus initium aliquod creaturæ vocauit. In Christo Iesu, inquit, neque circũcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Homo vtiq; nouus, qui secundũ Deũ (vt idem ad Ephesios. 4. scribit) creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ecce nouam creaturã, & nouũ hominem creatum in iustitia, idipsum profectò quod Iacobus initium creaturæ dixit. Et hæc est inchoata iustitia, sed iam an apud Paulum ipse consummatior euadat, audiamus. Sic equidem ad Galat. 5. scribit: Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Ecce Paulus quanquã ex fide spiritum conceperit, & in iustitia creatus sit homo quidẽ nouus, spem tamen expectat iustitię cumulatioris, eius nimirum quæ operibus indies augetur. Propter quod & euestigio subdit. Neque circunsio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ per dilectionem & operatur. Eius itaq; iustitiæ, quæ per fidem dilectricem operatricem augescit indies, spem expectat Paulus, quemadmodum 2. ad Tim. 4. dicit. Bonum certamen certaui, cursum

cõsummate iustificatur.

Fides Abrahæ ex operibus consummata.

Iustificatio inchoata.

Gala. 6.

Iustificatio cõsummata.

Universidad de Deusto Biblioteca

consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Ecce præmium iustitiæ suæ, non fidei solum, sed pro totius vitæ bene prius actæ meritis, sibi rependendum expectauit. Sed dicet Luth. duplicem his locis iustitiam seu iustificationem intelligi debere, vnã quæ fide præstatur, alteram quæ operibus. Ac si quis alius ita iustitiam distingueret, vbi nulla foret necessitas protinus hunc sophistã Luthe. appellaret, verum hic tantum abest vt sit vlla necessitas, vt etiam cum scripturis illa assertio manifeste pugnet. Nam Paulus qui iustitiam seu iustificationẽ inchoatam, nouam vocat creaturam, eandem nihilominus augeri contendit de die in diem, perpetua quadam renouatione, Et Iacobus qui iustificationem illã inchoatam, initium appellauit creaturæ dei, consummari vult eandem ex operibus. Adde, quòd quũ præmium vnum sit, quod tam fidei quam operibus debetur, quomodo non erit vna iustitia resultans ex vtraque? Conueniunt igitur Paulus & Iacobus, iustitiam seu iustificationem quandam statuentes, qua facti sumus initium aliquod creaturæ Dei, & noua secundũ Deum creatura, atque id absque nostris operibus, verum ita nihilominus vt eadem, per opera nostra magis ac magis quotidie perficiatur. Quæ res adhuc dilucidior fiet, si Paulum attentius audiamus. Sic enim ad Cor. scribit. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi. Ecce iustificationem, qua secundum Deum initiati sumus, ac noua, facta creatura. Sed eandem adhuc intelligit ex operibus fieri consummatiorem, quum idem Paulus alibi dicat. Nõ auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Hæc vtique iustificatio per opera comparatur. Propter quod & Iacobus iubet, vt simus factores verbi, & nõ auditores tantum, & non multò postea, colligit ex operibus hominem iustificari, & non ex fide tantum. Et Christus nobis comminatur, quòd nisi abundaue-

Iustitia inchoata noua creatura, seu initium nouæ creaturæ Dei.

Quomodo iustificamur absque operibus.

1. Cor. 6.

Iustitia inchoata absque operib⁹ Rom. 2.

Iustificatio consummata per opera iuxta Paulum comparatur.

Iacobi. 1

Matt. 5.

rit iustitia nostra plusquam scribarum & Pharisæorũ non intrabimus in regnum cælorum, vnde nemo, nisi propter iustitiæ defectum excludetur. Et hæc nimirum est operum, non solius fidei iustitia, quemadmodum ex illis quæ sequuntur cuique dilucidum esse potest. Sed & Ioannes epistolæ pri. cap. 3. describit iustum esse, non qui credit solum, sed qui secundum fidem operatur. Filioli, inquit, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est. haud dubiè seductores istos taxans, qui sola fide iustificari Christianos prædicãt. & tamen vna cum fide manere peccatum, asserere nõ verentur, quum tamen idem ilico subdat, quod qui facit peccatum, ex diabolo est. Quoniam ab initio diabolus peccauit. Sed de hoc mox plura sumus dicturi. Adde, quòd Petrus hortatur, vt per opera certã nostram electionem faciamus. Quapropter, inquit, fratres magis satagite, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionẽ faciatis. Nec est quod hic interpretetur Lutherus, quemadmodum in Psal. 5 facit, nimirum vt cognitam faciamus vocationem nostram, quum nihil illic de cognitione Petrus dixerit, sed de firmitudine siue stabilitate, βεβαιὸς enim firmus, & stabilis dicitur. Monuit ergo Petr⁹, vt per bona opera, vocationem, & electionem nostram firmam & ratam efficeremus, atque ita traduxit Erasmus. Quando igitur operibus nostris, electio vocatioque Dei, magis rata firmaque fit, quis non intelligit nostram quoque iustitiam ex operibus euadere cõsummatiorem. Præter hæc in Apoca. scriptum est. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ecce quanuis fide viua & fertili quis iustificatus fuerit, tamen adhuc eundem per opera magis ac magis iustificari necessum est. Quam rem & Luth. ipse confitetur inferius, articulo 2. vbi de parabola Samaritani facit mẽtionem. Negat enim illic quenquam subito, sed paulatim fieri sanũ, & vitam hanc affirmat non esse iustitiam, sed iustificationem, propterea quòd iustitia nostra semper est in fieri. Nam quotidie iustificamur spiritu facta carnis

Taxata à Ioanne qui solam fidem iustificare docent.

2. Pet. 1.

Apoc. 22.

Colo. 3.

Rom. 6.

Universidad de Deusto Biblioteca

Similitudines Luth. in lib. de fide Christiana decussæ.

mortificãtes, quod & iubet Paulus. Et hoc quid aliud est, q̃ bonis operibus in perpetuam iustificationem pergere? quemadmodum idem alibi dicit. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationẽ, hoc est, vt consummetur in vobis iustitiæ sanctificatio. Ad hanc igitur iustificationem opera conferre perspicuum est. Nec similitudines quas in libello de fide Christiana producit, quicquam aduersantur.

Prima.

Absque inchoata iustitia mereri nil possum°.

¶ Primum, Illa de primis parentibus non obstat, cum in ipsis nec erant aut actualis, aut originalis peccati reliquiæ, quas expurgarent, quẽadmodum in nobis fieri constat. Quãdo igitur istarũ expiatio per opera nostra fit, & ad perpetuũ iustificationis incremẽtum multa inter nos & illos dissimilitudo est, quanquam in hoc etiã similes sumus, quod absque inchoata iustitia mereri nihil possumus aut iusti quidpiam operis facere quod sit meritorium, at ad consummatam iustificationem nemo sine operibus peruenire

Secunda.

potest, Secũda quoq; similitudo, quam de episcopo producit, nihil obsistit penitus. Neque enim omnino simile est de episcopo, q̃ vel altaria cõsecrat, vel pueros cõfirmat, & de viro iusto qui recta operatur. Nam illis agendis nil magis episcopus efficitur, q̃ antè fuerat. At homo iustus iustè operando iustificatior euadit, vt satis ostendimus. Nec tertia similitudo quic-

Tertia.

quam prohibet, quum fructuum copia, quantumuis bonorum, nihilo meliorem arborem faciat, quàm qui dem fuerat, imò deteriorem potius, quum humorem bonũ, & vires eius exhauriãt. At bonorũ operũ vbertas longè meliorem & iustiorem efficiunt quenq;, sicut & cõtra malorũ operum cumulus, quò maior est,

Quarta.

nequiorem facit & iniustiorẽ. Quarta similitudo, pro nobis facit. Nam sicut faber in operis exercitio nõnullum arti suæ facit incremẽtum, ita iustus bene operãdo iustitiæ suæ lucrũ acquirit, & bonis operibus indies magis iustificatur, vt sicut id quod per

operam fabrilem accreuit arti, non diuersam artẽ facit, sed in eandem coit penitus, sic ea iustificatio, quæ per opera iusta cooritur, non diuersam à priore constituit, sed in ipsam trãsit, & vna penitus fit cũ eadẽ. Palàm est igitur haud rectè collegisse Lutherũ, nemi-

Nemo sine fide iustificatur.

nẽ operibus iustificari, sed sola fide. Hoc tamen nobis cum Luthero cõuenit, quòd sine fide nemo iustificari potest, vt etiam in infantibus, per baptismatis re-

Fides in infantibus baptizatis.

generationẽ putamus esse fidem cœlitus infusam, ne que tamen vt ea sit actus aliquis credendi, quẽadmodum Lutherus de fide opinatur. Negat enim Luth. fidem esse quendã habitum in animo quiescentem, sed

Fides Lut. actus non habitus.

asserit eam actum esse viuacissimũ. Verum talis actus in infantibus nullus est, qui dici possit eorum actus, quum nec intellectus, aut voluntatis vsum aliquem habeant. Sed multo rectius à Theologis hoc fidei donum, in paruulorũ animos sacramẽto baptismatis infusum à deo, qualitas quædam & habitus illorũ animis inditus existimatur. Nã si talis actus adesset, ipsi per actum illum credere dicerentur, quod sanè falsum est, quum ipsi nullũ habeant vsum iis assentiendi quę fidei sunt. Habẽt ergo fidei donũ infantes, quod tamẽ haud solo verbo cõsequuti sunt, quemadmodũ Lutherus cõtendit. Sic enim super epistolam ad Gal. illud Pauli Lutherus explicans. Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? disquirit qua ratione fidem infantes assequuntur, quũ ipsi nihil audiant. Et respondet ꝓ verbo dei nihil est surdũ, & ad eas loquitur aures de quib° dicitur. Qui habet aures audiendi, audiat. Ideo verbũ virtutis & gratiæ simul dum aures pulsat intus spiritum infundit. Quod si

Non solo verbi sono spiritus infuditur.

spiritum nõ infundit, nihil differt audiens à surdo. Quocirca ipse sonus verbi ministerio ecclesiæ super infantem prolatus, eo faciliusoperatur per spiritum, quo paruulus verbi est capatior, id est, patiẽtior, nullis rebus aliis implicatus. Hactenus Luth. Ex quibus verbis dilucidũ est eum velle, ꝓ sono verbi spiritus infunditur. Neq; nos reluctamur quin virtute verbi

spiritus infundatur, sed negamus, quod ea sola sit infusio spiritus, nisi pariter adiungatur & lotio. Verbũ enim si desit aqua nequaquam id operatur, sed verbum cum aqua, in quibus ambobus consistit sacramẽtum. Neutrum itaque per se fidem aut gratiã præstat infanti, neque aqua, neque verbum, sed verbũ aquæ coniunctum. Sed & si totum euangelium super infantem legeretur, nemo potest ob id asserere, quòd infans gratiam aut fidem adeptus sit. Non est ergo verbum solum quod infanti gratiam infundit, sed verbi pariter & aquæ sacramentum. Hoc sacramẽtum quisquis acceperit (modò non posuerit obicem) gratiam haud dubiè consequitur, qua iam initiatus iustitia, iustus efficitur: Similiter & adultus, de quo (tametsi credere se profiteretur) dubitari potest an spiritum sit assecutus protinus vt sacro baptismate fuerit ablutus, iam omni dubio procul spiritum adeptus est, & gratia præditus, vere iustificatur. Nam plerique fidẽ se habere putant, qui tamen gratia pariter & spiritu carent, & hos palàm non esse iustificatos, Veruntamẽ hi (si nondum baptisati fuerint) confestim accepto baptismate, modo nullum obicem posuerint, certissimi redduntur se gratiam & spiritum esse consecutos. Ad hoc Luth. hallucinari facit, quòd toties in scripturis legit, purificationem & iustificationẽ imputari fidei. Quod ideo fit, non quia fides ipsa iustificat, sed quia gratiam ipsa meretur, qua sola iustificamur. Ad gratiam autẽ duobus modis peruenimus, altero per plenam fidem omni prorsus obice sublato, quemadmodum in Act. traditur de iis, qui Petro apud Cornelium concionanti crediderunt, quod cecidit super eos Spiritus sanctus, quum necdum erant baptizati. Fuit enim eis haud frigida fides. Cæterum vbi fides remissior fuerit, tam per sacramentum præstatur gratia, quemadmodum in eisdem Actis liquet. Quum enim ad primam Petri concionem, plerique Iudæorũ corde compuncti, rogauerunt Apostolos, quidnã essent facturi, respondit Petrus: Pœnitentiam agite, &

Verbi simul & aquæ misteriũ infantibus præbet gratiam.

Duobus modis ad gratiã peruenitur.

Act. 10.

Per sacramenta datur gratia.

Act. 2.

baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritussancti, quod & factum est. Sed & quum apostoli manus imposuerunt Samaritanis, conferebatur idem spiritus, quod & sacramento factum est non sola fide. Adde, quod Paulus vtraque ad Timo. epistola suggerit eidẽ, ne negligat gratiam, quam erat ipse consecutus per impositionem manuũ presbyteri. Et quid hoc aliud erat quàm sacramento gratiam comparasse? Ad hęc in Actis cap. 19. scriptum est quòd Paulus, quum ex Corintho venisset Ephesum, repertos quosdam credentes in Christum, solo Ioannis baptismatẽ lotos, interrogauit eos, num spiritum sanctum accepissent, eis vero dicentibus, se nescire, spiritus ne quisquam sanctus esset. Mox igitur vt baptizatis illis Christi baptismo, manus imposuisset Paulus, delapsus est in eos spiritus. Quis ergo diutius ambigere secum potest, an sacramentis pręstatur gratia? sed & pariter exploratissimum habebit, quod non sola fide iustificamur. Cęterum quia de iis inferius multo plura dicturi sumus, iam tempus est, vt scripturis & rationibus quas pro hoc articulo stabiliendo Lutherus adduxit, respondeamus. Prima igitur est.

Act. 8.

1. Tim. 4.

2. Tim. 1.

¶ Scriptura sic dicit Rom. 1. & Abacuc. 2. Heb. 10. Iustus ex fide sua viuet, non dicit iustus ex sacramentis viuet.

Luth.

¶ Nullus horum locorum probat sacramẽtis non conferri gratiam. Quæ res, vt magis perspicua fiat, singulos locos quadantenus excutiamus. Primum apud Abacuc prophetam, vnde Paulus hanc scripturam mutuarit, ea sic introducitur. Ostenderat illi visionem quandam Deus, quam & aliquando perimplendam asseruit, voluit tamen eam interim expectari patienter. Si moram (inquit) fecerit, expecta illam, quia veniens veniet: hoc est, tandem haud dubie veniet. Deinde subdit, ꝓ qui visioni fuerit incredulus, non erit anima eius recta in semetipso. Hoc est, non perdurabit rectè agendo, sed sensim probitate relis-

Episc.

Abacuc. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

cta, delabitur in vitia. Iustus autem in fide sua viuet, hoc est, ex confidentia visionis aliquando perimplendæ perseuerabit in bona vita, hactenus pro Abacuc. Et ad eundem sensum introducit eandem scripturam Paulus ad Hebræos decimo: Nolite (inquit) amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquãtulúmque qui venturus est veniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide viuet. Ecce quod ad confidentiam, hoc est, firmam expectationem rerum promissarum Hebræos hic hortatur Paulus, quas & eosdem tandem adepturos pollicetur, modo voluntatem Dei fecerint, & quæ contigerint interea patienter sustinuerint. Quoniam haud dubie remunerator aduenturus est Christus. Monet igitur, vt istud constanter sperent, & in huius rei fiducia bonam alant vitam, nec desistant bene agere. Nam iustum interim ex fide sua victurum affirmat. Ad Romanos verò Paulus eandem citat, vt doceat ex Euangelio reuelari nobis iustitiam Dei. Nam postquã ostenderit Dei iustitiam in Euangelio reuelari ex fide in fidem, subdit: Sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuet, perinde ac si dixisset: Quum per Euangelium iam cunctis innotuerit, id præstitisse Deum, quod per prophetas suos erat olim pollicitus, iustitia Dei palam omnibus manifestatur, qui promissa seruat, & planè docetur non frustra fuisse scriptum, Iustus ex fide victurus est. Vides igitur, vt nullus horum locorum agit sacramenta non conferre gratiam. Sed & istud dilucidum est, ꝓ non sola fide præstatur salus, hac inquam sola, quæ tam à spe, quàm à charitate discriminatur. Nã i iis omnibus locis, vt satis liquet, pro spe fiduciaque Paulus fidem vsurpat, magis quàm pro sola credulitate. Adde quòd fidentem oportet identidem facere voluntatem Dei, quemadmodum antè recensuimus ex decimo cap. ad Hebręos. Vides igitur iustum nó esse, nisi qui præter fidem, spem etiam habuerit, ac dile-

Rom. 1.

Fides Paulo pro spe fiduciaq; sæpius accepta

ctionem & opera. Et hæc fides apud Iacobum, vt diximus, consummata vocatur. Neque aliam Paulus intelligit, quoties fidei tribuit iustificationem. Nam illa quæ à spe charitateque discriminatur, quantauis ipsa fuerit, Paulus tamen eam nullius esse momenti credit, si rectè operandi charitas ei defuerit. Si habuero (inquit) omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Aduerte quid dicat, Si habuero omnem fidem. Qui dicit omnem, nullam excipit, quantacunque ea fuerit, quæ nõ sit perfecta charitate. Et is hoc dicit, cui Luth. innititur vel soli. Non possunt igitur prophetæ verba, de nuda fide, quæ spem vel charitatem antecedit intelligi, sed de ea, quæ per illas perficitur, & quæ bonis consummatur operibus, qualem & idem Paulus fidem vocat, quæ per dilectionem operatur. Alioqui docentur & ii iustificari, qui vitiis illis fœdissime contaminantur, quibus & illic idem propheta, væ multiplex interminatur. Palam est itaque, nec Paulum, nec prophetam hũc de nuda fide fuisse loquutos, sed de fide quæ per dilectionem operatur. Interroga quos velis ex iis qui se tibi confitebuntur adulteros esse, fraternæque charitatis osores, num Deo credant? Inuenies ex his plerosque respondere, planè se credere, moriqúe potius velle, quàm abnegare fidem, & tamen constat eos, qui tantis inquinati sunt vitiis, haud quaquam iustificatos esse. Sed iam veniam' ad ratiocinationem tuam. Scriptura (inquis) sic dicit: Iustus ex fide sua viuet. Non dicit, Iustus ex sacramentis viuet. Quid inde colligis Luthere, ꝓ sacramenta non conferunt gratiam? Nihil oportet, nam satis intelligis neutrum etiam horum, hoc est, nec Abacuc, nec Paulum dixisse, quod iustus ex charitate viuet. Et tamen haud quaquam consequitur: Ergo charitas non iustificat, vt taceat q̃ nullius ponderis apud dialecticos fuerit argumentum, ex mera procedẽs negatiua. Sed iam ad alteram scripturam respondeamus.

1. Cor. 13.

Galat. 5.

Abacuc 2

Inefficax ex negatiuis illatio.

¶ Marci vltim. Qui crediderit & baptizatus fue-

Universidad de Deusto Biblioteca

rit, ſaluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur, etiamſi baptizaretur. Neq; enim baptiſmus ſaluat, ſed fides baptiſmi.

Epiſc. ¶ Vides hic primum ſalutem & iuſtificationem promiſſam credenti ſimul & baptizato, ita quòd ſi quis baptizetur, non autem credat, gratiam non aſſequatur, id quod tu prorſus affirmas. At nos retrorſum item aſſerimꝰ, quòd ſi crediderit quis quantum poſſibile fuerit, baptiſmum tamen recuſauerit, iuſtificatione carebit nihilominus. Neque enim cuiquam poteſt de ſuæ fidei magnitudine certius contingere teſtimonium, quàm vt montes verbo dimoueat. Quòd ſi tanta fides non conferat iuſtificationis gratiã, exploratiſſimum cuiuis eſſe poteſt, neminem ſola fide iuſtificationem adipiſci. Cæterum is idem qui tanta fide præditus eſt, gratia tamen carẽs, percipiat iam baptiſmi ſacramentum, nec ponat (vt aiunt) obicem, is haud dubiè gratiam aſſequutus eſſe, & verè iuſtificari credendus eſt. Vides itaque non fidem ſolam, ſed fidem cum ſacramenti perceptione, ſuſcipientem iuſtificare. Neque enim ſine fide iuſtificari quiſquam poteſt, quum ſine fide impoſſibile ſit placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Veruntamen hæc ſola fides non ilico præſtat gratiam, ſed ſacramentum recta fide ſuſceptum, gratiam confert & iuſtificationem. Nã (vt ait Paulus de Chriſto ſuam Eccleſiam ſanctificante) Mundauit eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Porro nihil abſque gratia mundat animam. Quamobrem neceſſe eſt lauacro aquæ cum verbo vitæ, baptiſmum ſuſcipientibus præſtetur gratia. Sequitur tertia ſcriptura quam citaras.

Fides cum baptiſ. præſtat iuſtificationem.

Hebr. 11.

Epheſ. 5.

Luth. ¶ Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, non dicit, corpora ſacramenta ſuſcipiuntur ad iuſtitiam.

Epiſc. ¶ Quid ſi non dicat? Ex qua te precor dialectica, ſtabilies hanc conſequutionem? Non ita dicit, ideo nequaquam ita ſe res habet. Paulo ſuperius eadem

Ridicula collectio.

vſus es dialectica. Non dicit (inquis) Iuſtus ex ſacramentis viuet, idcirco non præſtant vitam ſacramenta. Nihil miror Luthere, ſi ſcholaſticos inſectaris. Nã horum aures has ineptias ferre non poſſunt. Rectè nimirum tuis opinionibus conſuluiſti, quum & illorum & Ariſtotelis item authoritatem eleuare ſtudueris. Nã tolle dialecticam, ſublata protinus erit facultas, aut ſubruendi quod falſum eſt, aut ſtatuendi veri. Tolle dialecticam, & omnes Andabatarum more gladios in tenebris ventilabimus. Si dialecticam ſuſtuleris, nihil mirabor quibuſdam hæc argumenta tua videri ſolida. Cæterum ſi dialecticam admiſeris, nemo non ea cenſebit eſſe talia, qualia verè ſunt: hoc eſt, mera ſophiſmata. Nos verò dicimus corde credendum eſſe ad iuſtitiam. Quoniam abſque fide nemo iuſtificatur. Ex fide certè iuſtificatio noſtra ſumit initium. Sed ex charitate (quemadmodum antè diximꝰ) vnà cum bonis operibꝰ, authore Iacobo, conſummationem acquirit. Quarta ſcriptura quam adducis.

¶ Rom. 4. & Gene. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. *Luth.*

¶ Primum hic reſpondeo non defuiſſe iam Abrahæ opera, quibus fides eius fieret conſummatior. Iam enim iuſſu Dei reliquerat terram ſuam, venitque in regionem tam ſibi quàm ſuis incognitam, vbi tametſi multa fuiſſet perpeſſus, Deo tamen per varia loca cõſtructis altaribus, ſacrificabat iugiter. Sed nec ob ingentem famem, quæ tum orta eſt, rediit in patriam, at in Ægyptum ſe recepit, vbi mox tam ingens ei diſcrimen obortum fuit, vt vel coniugis ſuæ caſtitas periclitaretur, vel ſibi vitæ diſpendium immineret, neque tamen inter hæc aduerſa, deo quicquam diffiſus eſt. Quum igitur iis atque aliis operibus Deo iugiter placere ſtuduiſſet Abraham, quis non merito fidem eius (quod & diuus Iacobus teſtatur) cooperatam operibus fuiſſe, rurſumque ex operibus fidem illius conſummatam affirmabit? Sed inquies, non ob aliud ei reputatum eſt, q̃ quod crediderit. Reſpondemus,

Epiſc. Fides operibus Abrahæ conſummatur.

Iacob. 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

hoc scripturas nusquã asserere. Neq; enim scripturã
1.Cor.13. dicit ppter nudã fidem, aut solũ ob id quia credidit
reputatũ ei esse ad iustitiã. Nos igitur Paulo credimꝰ
asseueranti, ꝙ si quis vsqueadeo fidem habuerit, vt
montes fide sua trãsferat, charitate tamen & bonis ca
reat operibꝰ, nõ ob fidẽ illũ iustificatũ iri. Atq; istud
quãtum ad Genesis locũ spectat sufficere debere pu
tamus. Porro, quantum ad illud ex Rom.4. quoniam
Paulus illic tibi visus est astruere, iustificatum Abra-
hã sola fide sine operibus, nos illi D. Iacobũ oppone
mus, q nõ semel affirmat, fidẽ absq; operibus mortuã
esse, quod & pluribus identidem cõfirmat argumẽtis,
eodem vsus exẽplo, quo Paulus, nempe Abrahę. Neu
trum horum, nemini bene Christiano repudiare lice
bit. Nec satis erit, si dixeris hanc epistolam à nonnul
lis existimatam non esse Iacobi. Sic enim nec defue-
Hieronym. runt (si Hiero. credimus) qui Pauli quasdam epistolas
negarent ipsius fuisse, nempe duas quas ad Timo. scri
psit, & alias item, quas ad Heb. & ad Titũ. Nos verò,
nec istis, nec tibi credimꝰ, sed orthodoxos patres se-
quimur, & catholicam ecclesiam, quę nobis hanc pro
Iacobi dedit epistolam, quam si nõ receperis, non ca-
tholicum, sed hęreticum te comprobabis. Nemo infi-
ciari potest, quin hęc epistola per ecclesiã approba-
ta sit. Quãobrem neque licet cuiquam in dubium re
uocare, quod illic asseritur, nempe fidem sine operi-
bus mortuã esse. Et rursum. Videtis igitur, quoniam
ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tãtum.
Quid dici potuit apertius? Atqui, dices hunc vnum
locum theologos mordicus tenere, nihil prorsus cu-
rantes, quod tota alia scriptura fidem sine operibus
commendet. Sed tibi respondebunt theologi, non id
esse verum quod affirmas, nempe ꝙ tota reliqua scri
ptura fidem sine operibus commendet, de qua mox
disseremus. At primum ostendemus, quibus rationi-
bus Iacobus hunc locum munierit, & quàm dilucidè
vt nemo subterfugere queat, quin ita se habeat res.
Primum ait: Iudicium sine misericordia erit illi, qui

non facit misericordiam, ad quod & exemplũ de ino
pe introducit, cui si quis bona verba dixerit, nec ta-
men illius inopię misericorditer succurrerit, is apud
Deum carebit misericordia. Sermo quidem inopi di
ctus bonus est, sed quia caret opere, nihil conducit. *Aptissimi*
Et vt sermo prolatus inopi, sed opere carens, inanis *litudo inter*
est, ita & fides (Iacobus ait) si non habeat opera, mor- *fidem & ser*
tua est in semetipsa. Pro hac ratione aduertendũ est, *monem.*
Christum ob opera misericordię iustificationem fuis- *Lucæ.11.*
se pollicitum. Date (inquit) eleemosynam, & ecce om *Ad iustifi*
nia mũda sunt vobis. Ad iustificationem igitur ex o- *cationem ex*
peribus misericordiæ duo exiguntur, nẽpe fides, & *operibus mi*
opus. Confides oportet Deum operis tui remunera- *sericordiæ*
torem fore. Deinde si quicquã inopi propter Deum *duo concurre*
cõtuleris, ex iis duobus oritur iustificatio tui. Vtrũq; *runt.*
concurrat necesse est. Neq; enim sola fides tibi satis
fuerit, nisi fueris opitulatus inopi. Sed neq; opitula-
tio sine fide te iustificare potest. Alterum sine altero
parum proderit. Credas quantumcunq; velis, non au
tem dederis, hanc munditiam haudquaquam conse-
queris. Atq; hoc est quod ait D. Iacobꝰ, fides si nõ ha-
beat opera, mortua est in semetipsa. Rursum & hoc al
tera docet ratione. Si fides quẽquam absq; operibus
queat iustificare, dæmones haud dubie iustificaren-
tur, cum & ipsi fidem habeant. Credunt enim & con-
tremiscunt. Metuũt nimirum ipsam Dei maiestatem,
sed non amant, neque venerantur, neque boni quic
quam operis in alios exercent. Ob id idcirco repro-
bi sunt apud Deũ, quia dilectionis, & bonorum ope-
rum sunt expertes. Quamobrem & præter fidem vt
quis iustificetur, dilectio quędam exigitur, non otio-
sa, sed operans. Adhuc & tertiam diuus Iacobus adhi-
cit rationem, pro qua notandum est, quod Paulus
non simpliciter hoc molitur, quod Abraham absque
omni prorsus opere fuisset iustificatus, sed quod ad
eius iustificationẽ nihil præstiterint opera legis. Ar-
bitramur (inquit) hominem iustificari per fidem sine
operibus legis. Ecce, nõ dicit absq; operibus absolu-

Universidad de Deusto Biblioteca

te, sed absq; opibus legis: ꝓ si quis omnino cõtendat, alibi fuisse de operib⁹ absolutè locutũ, debet tamen intelligi (quemadmodũ ex August. mox dicem⁹) non de operibus quæ fidem subsequuntur, sed quę fidem antecedũt. Vtcunq; fuerit, testatur August. hæreticos ex Pauli verbis ansam accepisse dicendi, ꝓ fides per seipsam sufficiens est absque operibus ad salutem. De qua re & Petrus in epistola secunda meminit, dicens: In quibus nempe verbis Pauli sunt, quædã difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionẽ. Propter quod necesse fuit spiritui sancto, in scripturis hãc hęresim alicubi refellere, quod & copiose fecit ꝑ D. Iacobũ. Is igitur docet Abrahã nõ sola fide iustificatum fuisse, sed eius fidem habuisse dilectionẽ & opera. Hactenus August. Vbi precor aduertas Augustinum hæresim appellare, ꝓ fides sine operib⁹ iustificat. Sed nunc ipsum Iacobum audiamus. Sic enim scribit: Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est. Abrahã pater noster, nónne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum Isaac super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Sed aduerte quàm studiose meminit eiusdem scripturæ, cui Paulus potissimum innititur. Et suppleta est (inquit) scriptura dicẽs: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellat⁹ est. nempe quia dilexit non otiose. Et adhuc ingeminat. Videtis, inquit, quoniam ex operibus iustificatur homo, non ex fide tantum. Prẽter hæc quia Rhaab meretrix, quibusdam videri potuit, sola fide iustitiam fuisse consequuta, nempe quod exploratoribus tam celerrimè crediderat Ostendit, & eam sine operibus fuisse iustificatam, dicẽs. Similiter & Rhaab meretrix nónne ex operibus iustificata est? suscipiẽs nuncios, & alia via eiiciens? Sic tandem Iacobus concludit. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, it. & fides sine operibus mortua est. Cæterũ vt aper-

August. Ex Paulinis verbis ansam arripuere hæreticis dẽ solã iustificare statuendi.

2. Pet. 3.

Iacobi. 2.

Iosue. 2.

tè monstremus assertionem Lutheri, qua totam reliquam scripturam asserit fidem sine operibus commẽdare, veritatis expertem esse, nonnullas in medium scripturas afferemus, quæ plane testabuntur, neminẽ (saltem adultum) absque operibus iustificatum iri. Primum illud occurrit. Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Quid hic dicis Luthere? Certũ est neminẽ iustificato ianuas regni cælestis occludendas esse. At Christus affirmat neminẽ eas ingressurum, nisi qui fecerit opera. Verum est igitur, quod ait Iacobus. Ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantum. Et rursum illic Christus in suæ concionis calce dicit. Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam. Ecce non est satis ad iustificationem credere verbis Christi, nisi pariter ipsa perfeceris. Oportet enim vt facias ea, alioqui nullam tibi fides sufficiet, sed super arenam ædificas, ruiturumque protinus est, quicquid moliris. Ad hæc Mat. 6. Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Credas quãtumcunque velis Luthere, si tamen fratri non ex animo remiseris ob errata veniam petenti, nec tu iustificaberis à Deo. Nam hic ad iustificationem vtraque cõcurrat necesse est, nempe, fides & iniuriæ fraternæ remissio, neque altera sine altera quicquã proderit. Quamobrem (quod Iacobus ait) certissimum est, nec sola fides, sed fides vnà cum operibus iustificat. Prãter hæc Matt. 5. Christus ait: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Sed & exploratissimum est, Christum hic de iustitia operum fuisse loquutum, quum infra pluribus doceat exemplis, quibus in rebus nostra, hoc est Christianorum iustitia debeat esse copiosior. Quam sanè iustitiã si nõ exhibuerim⁹, nobis in cæleste regnum aditus negabitur.

Fides sine operib⁹ corã pus sine spiritu.

Falsum dixisse Luth. non paucis scripturæ testimoniis cõ probatur.

II.

III.

IIII

Universidad de Deusto Biblioteca

Non igitur sola fide, sed ex operibus, vnà cum fide iu
V. stificamur. Sed & Lucæ 12. testatur Christus, quòd ser
uus sciens voluntatem Domini & non faciens, plagis
vapulabit multis. At qui plagis vapulare meretur in-
VI. iustus est. Neque igitur scripturarum notitia, neque
fides earum quéquam iustificat. Cæterum iam & Pau
lum ipsum quid super hac re dicat, audiamus. Is nimi
Rom. 2. rum apud Romanos affirmat, Deum cuique redditu-
rum secundum opera sua. Ecce Luthere, vt in te rege
ramus argumentum tuum, non dicit hic, Secundum
fidem, sed secundum opera cuique redditurum. Et
VII. rursum idem Paulus ait. His quidem qui perseueran
Merees bo tes in benefaciendo, gloriam & honorem & immor-
norum ope- talitatem quærunt, vitam æternam. Ecce merces bo-
rum vita norum operũ vita æterna, quæ nullis nisi iustis dabi-
æterna. tur. Et paulò post: Gloria & honor & pax omni ope-
VIII. ranti bonum. Et ad Hebr. quoque 10. dicit: Patientia
vobis opus est, vt vbi voluntatem dei peregeritis, re
IX. portetis promissionem. Ecce promissionis illi fient
X. participes, qui voluntatem Dei perimpleuerunt. Et
item ad Heb. 6. Nõ enim iniustus est Deus, vt obliui-
scatur operis vestri, & laboris ex charitate suscepti.
Et Ioãnes epistola 2. nos hortatur. Ne perdamus, in-
quit, quę operati sumus, sed vt mercedem plenam re-
XI. cipiamus. Sed ad Paulum redeamus. Non enim audi
Rom. 2. tores legis, inquit, iusti sunt apud Deum, sed factores
iustificabuntur. Hãc scripturam in resolutionibus
tuis contra conclusiones Eckianas, tu truncatim ob-
iicis tibi. Nam omissa priori particula nempe hac: Iu-
sti sunt apud Deum, recenses eam in hunc modum.
Non auditores legis, sed factores iustificabuntur, &
addis glossam tuam, scilicet reputantur iusti, nõ au-
tem per opera iustificantur. Quum tamen aperte ne-
get Paulus, solos auditores quãtumuis crediderint, iu
stos apud Deum esse, nisi pariter & secundum iusti-
tiæ legem operentur. Similibus item verbis Iacobus
XII. a it. Estote factores verbi & non auditores tantum, fal
Iaco. 1. lentes vosmetipsos. Et infrà. Non auditor obliuiosus

factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.
Rursum Paulus ad Rom. 8. Si secundum carnem vixe XIII.
ritis moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortifi-
caueris, viuetis. Ecce vitam, hoc est iustificationẽ pol
licetur iis, qui facta carnis mortificauerint. Ad hæc, XIIII.
ad Galat. 5. In Christo Iesu, neque circuncisio, neque
præputiũ aliquid valet, sed fides quæ per dilectionẽ XV.
operatur. Ecce nõ sola fides, sed cui coniuncta est di-
lectionis operatio, valet ad iustificationem. Nam, cui
potest obtingere maior fidei virtus, si de fide loqua-
mur sola, q̃ qui prophetiæ donũ acceperit, dæmonia
quin etiam, eiecerit, ac multas alias in Christi nomi-
ne fecerit virtutes, & tamen eiusmodi plerique, quia
bonis caruerunt operibus, à Christo reiicientur. Mul
ti, inquit, dicẽt mihi in illa die, domine domine, nõ XVI.
ne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo Matt. 7
dęmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fe
cimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui
vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ.
Ecce quia bona defuerũt illis opera (quanquam in-
signi fide præstiterint) non iustificationem, sed dam-
nationem potius meruerunt. Perspicuum igitur ex
iis cuiuis esse potest, non solam fidem (quæ virtutum
Theologicarum in ordine prima est) ad iustificatio-
nem cuiuspiam sufficere, sed opus esse præterea ope-
ratrice charitate, nimirũ vt sit fides, quæ iuxta diuũ
Paulum, per dilectionem operatur, & quę iuxta diuũ
Iacobum, ex operibus consummatur. Ignoscat mihi
Lector, quod in citandis scripturis prolixior fuerim.
Nam ideò feci, quod Lutherus hoc Theologis obie-
cit, quod vnum hunc locum D. Iacobi, nempe fidẽ si- *Luthe. de theologis egregie mẽtitus.*
ne operibus mortuam esse, mordicus teneant, quum
(vt ipse veretur asserere) tota reliqua scriptura fidem
sine operibus commendet. Quod an verum sit ex iis
quæ citauimus intelligi potest. Tradit nimirum Au- *Augu. Eadẽ hære sis quã Lut.*
gustinus, libro de fide & Operibus, hanc ipsam opi-
nionem (cui iam subscripsit Lutherus) exortam o-
lim in ecclesia fuisse, ex epistola Diui Pauli ad Roma-

Induxit orta olim ex epistola Pauli male intellecta.

nos male intellecta, constare tamen erroneam esse, atque id potissimũ ex aliis Epistolis, Diui Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ. Sed diui Augustini verba (siquis forte requirat) adiciam. Quoniam, inquit, hæc opinio tũc fuerat exorta, aliẹ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant fidem sine operibus nõ prodesse, sicut etiam ipse Paulus, non quãlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrẽ, planeque Euangelicam diffiniuit, cuius opera dilectione procedunt. Vnde illam fidem quẹ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habeam, nihil sum. Vbi autem fidelis charitas operatur, sine dubio bene viuitur. Plenitudo enim legis est charitas. Vnde euidenter in secunda epistola sua Petrus, quum ad vitæ morumque sanctitatem hortaretur, mũdumque istum transiturum prænunciaret, cælos verò nouos, & terram nouam expectari, quæ iustis habitanda traderetur, vt ex hoc attẽderent, qualiter eos oporteret viuere, & habitatione illa digni fierent, sciens de Apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententiis, nõnullos iniquos accepisse occasionem, vt tanquam securi de salute, quæ in fide est, bene viuere non curarent, commemorauit quædam ad intelligendum difficilia esse in epistolis eius, quæ homines peruerterent, sicut & alias scripturas ad proprium suum interitum, quum tamen & ille Apostolus, de salute æterna (quæ nisi bene viuentibus non daretur) eadem sentiret quæ cæteri Apostoli. Hæc Augustin[9]. Ex quibus verbis multa licebit annotare. Primum emersisse quondam hanc Lutheri opinionem in Ecclesia, nempe fidem sine operibus quemuis iustificare posse. Alterum quòd huic opinioni ex instituto contradicunt catholicæ Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ epistolæ. Tertium quòd nec ipse Paulus quamlibet fidem (qua in Deum creditur) sufficere ad iustificationem putat,

Ex August. verbis multa notatu digna

I.
II.
III.

sed euangelicam illã, cuius opera ex dilectione procedunt. Quartum, quòd Paulus illam fidẽ, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, asseuerat vsqueadeò nihil prodesse, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem aũt non habeã nihil sum. Postremum, quod Petrus aduertẽs quosdam ex illis Pauli verbis occasionem erroris accepisse, vt tanquam de salute (quæ in fide est) securi, bene viuere non curarent, diligentius ad morum vitæque sanctitatem cunctos adhortabatur. Quo magis admiror Lutherum, qui contra conclusiones Eckianas, conclusione vij. tam impudenter asserit, quod fides sine opere, nullo periculo prædicatur, quũ inde maxima pars hominum errandi sumat occasionem. Minima de operibus cura est, sed fide & imploratione diuinæ clementię sub hora mortis quisque se putat iustificandum. Cæterum dicet quispiam: Quid ergo dicemus ad Paulum, qui tantopere fidem magnificat? Profecto sanè intelligendus est, & omnino cum D. Iacobo conciliandus. Neque enim hos inter se dissidere, neque horum alterutrum non dixisse verissima, cuiuis opinandum est. Paulum tamen obscurè fuisse loquutum ex epistola Petri didicimus. Sic igitur August. ambo inuicem conciliat, Nõ sunt, inquit, sibi contrarij duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Iacobi, quum dicit vnus iustificari hominẽ sine operibus, & alius dicit inanem esse fidem sine operibus, quia ille dicit de operibus, quæ fidem pręcedũt. Iste autem de operibus quæ fidem sequuntur, sicut etiam ipse Paulus multis in locis ostendit. Hæc Augustinus libr. quæst. 73. Hactenus pro scripturis quas Luther. attulit diluendis, iam quàm validæ rationes eius fuerint, experiamur.

IIII.

V.

Impia Lutheri vox.

August. Quõ Paulus Iacobusque sibi conciliandi.

RATIONE.

¶ Quia in omni sacramento est verbum promissionis diuinæ, quod affirmatiue promittit, & exhibet gratiam dei, ei qui suscipit sacramentum. Vbicunque autem Deus promittit, ibi exigitur fides audientis, ne

Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

Deum faciat mendacem sua incredulitate, quare in sacramentis suscipiendis, necessaria est fides suscipiéntis, quæ credat id quod promittitur, sic baptismus datur in verbo istius promissionis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ergo necesse est, vt baptizandus credat se saluum fore, vbi baptizatus fuerit, alioquin Deum in sua ista promissione facit mendacem, quod est horrendum.

Episc. In omni sacramẽto verbũ esse diuinæ promissionis negãdum.

¶ Principio negamus tibi quod in omni sacramento est verbum promissionis diuinæ, quod affirmatiuè promittit & exhibet gratiam Dei, ei qui suscipit sacramentum: Nam sacramentum (quemadmodum ipse tui oblitus paulò inferius memoras) complectitur verbum & elementum, & hæc duo sufficiunt ad completam sacramenti rationem. Neque verbum istud semper est promissorium id quod ex sacramentis ab Ecclesia receptis apertissimè liquet. Sacramentum enim baptismatis, non illud verbum cõplectitur quod tu recenses. Qui crediderit & baptizat⁹ fuerit, saluus erit: sed hoc est verbum sacramenti baptismatis. Ego baptizo te, in nomine patris, & filij, & spiritussancti, & istud non illud, gratiam confert. Sic & in sacramẽto pœnitentiæ, non illud est verbum quod ipse memoras, nempe, Quocunque ligaueris super terram, sed aliud, Nimirum hoc. Ego absoluo te &c. & istud, non illud gratiam confert. Hic tibi forte videbor plusculũ, quàm necesse fuerit in sermone cautior. Verum ita nos admonet Augustinus, vt ad certã regulam loquamur. Ego nimirũ hic sermonis obseruantior sum, quòd videam te moliri nouam quandã sacramentorum nobis rationem tradere. Quam si sequeremur, suborietur & alius post te, qui recentiorem aliam excogitaret. Atq; sic Ecclesia vento quouis inconstantior efficeretur, si toties mutaret sese quoties mobilitas ingeniorum res nouas commentaretur. Nos vestigiis patrum libenter & firmiter inhæremus, à quibus nec latum (quod aiunt) vnguem discedere volumus. Vos autem qui nouitatibus eiusce-

Sacramentum complectitur verbum & elementum.

August. Nouam sacramentorũ rationẽ tradidit Lut.

Vestigiis patrum firmiter inhærendum.

modi studetis, disputationes vestras (quod & ait Hieronymus) multorum errore conuoluitis. Apud nos plurimum refert, quibus ad conficienda sacramenta, verbis vtamur, & nos iisdem quibus vtimur verbis, præstari gratiam non dubitamus. Cæterum vt tibi donemus, oportere illum qui sacramentum aliquod suscipit, verbo diuinæ promissionis credere, quid tum inde consequitur. Nequaquam id quod tu putas, nẽpe quòd fides ista iustificat, nõ sacramẽtũ. Quo enim argumento, istud quæso colligis? Istóne? Habet fidem qui suscipit sacramentum, ergo fide, non sacramento iustificatur. Nimis quàm inualida mihi visa est hæc argumentatio Luthere, ni prius ostenderis omnem fidem (quantulacumque ea fuerit) iustificare possse, id quod ex antè disputatis liquidò constat esse falsissimum. Habent nimirum illi fidem, & ingentem sanè, de quibus Christus ait quod in suo nomine prophetauerint, & dæmonia eiecerint, atque virtutes fecerint plurimas, & tamen iustificati minime fuerunt. Sed iidem ipsi quum ad sacramẽtum baptismatis accesserint obicem ex parte sua nullam ponentes, protinus (vt baptisma susceperint) mox efficiuntur iusti. Hic tu responde mihi, Fides eorum hanc iustitiam præstitit: an baptisma potius? Si baptisma dixeris, satis est, hoc ipsum est quod cupimus. Nemde quòd baptisma confert gratiam. Sin fidem asseruerís, cur igitur quum ipsi iam nihilo cumulatiorem fidem habeãt, q̃ pridẽ habuerũt, nõ fuerant antè similiter iustificati.

Hieron.

Matth. 7.

¶ Sic in sacramento pœnitentiæ datur absolutio in verbo istius promissionis: Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cælis. Quare oportet vt absouendus credat, & non dubitet sese vere absolui in cælis apud Deum, dum absoluitur in terris per sacerdotem ne Christi promissionem mendacem faciat.

Luth.

¶ Et hic item à via q̃ longissimus aberras. Neque illorum verborum virtute, quisquam à peccatis solui tur, sed istorum potius: Quorum remiseritis peccata,

Episc. Quibus verbis præsta-

tur absolutio nis gratia.

remittuntur eis. Nam his cuncti sacerdotes absol uendi potestatem accipiunt, neque tamen ista sunt, quibus præstatur absolutionis gratia, sed alia, nempe: Ego absoluo te in nomine patris, & filij, & spiritussan cti. Porro quantum intersit inter priores duas senten tias, & cur hanc ad peccatorum absolutionem perti nere, illam ad aliam vincula tollenda magis opinatũ fuerit, mox dicemus, quum fuerit de indulgentiis ser mo. Sed hic qua ratione probas, hoc sacramento con ferri gratiam? Si non alia, quàm quæ à nobis superius recensita est, nihil prorsus agis. Non enim conse quitur: Suscipiens hoc sacramentum oportet credat se vere absolutum esse, ergo fides hæc est sola quæ gratiam præstat, non autem ipsum sacramentum. Hæc vtique collectio nullius esse momenti potest, nisi prius ostenderis fidem omnem vel minimam, per sese quemlibet iustificare posse, quod tamen esse fal sum ex prioribus apertissimum est.

Luth.

¶ Sic in sacramento panis datur corpus Christi, in verbo istius promissionis: Accipite & mãducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, cor pus Christi non tantum pro aliis, sed & pro se datum esse, & sanguinem Christi pro se fusum in remissio nem peccatorum, sicut verba promissionis aperte so nant, alioqui irridebit promissionem istam Christi, & iudicium sibi manducabit.

Episc. August. Facta conse cratione nõ manet panis substantia.

¶ Tu sacramentum panis appellitas, vt tuam hæ resim (de panis substantia manẽte) statuas, quum ne minem habeas ex patribus, qui tecũ hoc astruat, sed concorditer omnes affirment, facta cõsecratione, nõ manere panis substantiam. Et vt de cæteris sileam, Augustinus (cuius tu non semel facis mentionem) sermone. 28. super Lucam sic ait: Quum de sacramen tis tractarẽ, dixi vobis, quod ante verba Christi quod offertur, panis dicitur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nõ panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica, quæ postea sequi-

tur, ait: Panem nostrum. Panem quidem dixit, sed ἐπι ούσιον dixit, hoc est supersubstantialem. Non iste pa nis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fulsit. Ideo ergo Græ cæ ἐπιούσιον dicitur. Hoc Augustinus. Quod quid a pertius dici potest? Non manet ergo panis substãtia. Id ꝓ non modò patrum testimoniis, verumetiam ar gumentis inuictissimis rex noster sua disputatione contra te firmauit. Tu tamen scripturis, hanc insa nam tuam opinionem defendis, asserens scripturas hoc sacramentum panem sæpe vocare. Sed esto, scri pturæ panem vocent. Nunquid nõ & scriptura quo que verbum Dei, panem vocat? Et Christus item seip sum panem appellat? quum tamen neque is, neque il lud, eiusmodi panis sit, quo quotidie vescimur: sed & manna panis dicebatur, nec tamen ex frumenti gra nis ipsum erat confectum, vti noster panis est, quem indies edere solemus. Adde quòd scripturis etiam pa nis appellatione venit, quicquid ab hominibus edi cõsueuit, licet ex granis haudquaquam sit confectũ. Quanquam igitur scripturæ, panem hoc sacramentũ vocent, non oportet, vt iam eiusdem substantię panis ideò sit atque prius fuerat. Multa enim in scripturis nomẽ haudquaquã mutant, quæ mutarunt substan tiã, vt exempli gratia: An non legis in scripturis, ser pentem ex Aaron virga factum, virgam dici? quum ta men virga non tum esset, sed verus serpens. Deuora uit, inquit, virga Aaron virgas eorum. Neq; enim vir ga potuit deuorare, sed serpens ex virga factus, ma gorum serpentes deuorauit. Vt igitur hic, id quod ve re serpẽs erat, virga dicitur, propter priorem nomẽ claturam, ita & in sacramento altaris, id quod verè corpus est Christi, panis tamẽ vocabulo, tam propter similitudinem panis, quàm propter nomenclaturam priorem, adhuc non desiit nominari. Cæterum quod ais, in sacramento panis, dari corpus Christi, in ver bo istius promissionis: Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, id accu-

Regis Hẽrici disputatio.

Vocabulũ panis in scripturis varie acceptum.

Exo. 7.

Apta comparatio.

Universidad de Deusto Biblioteca

Sacramenti eucharistiæ à reliquis discrimen.

ratius nobis excutiendum est. Quum enim in omni sacramento, vis esse promissionis verbum, quo promissionis verbo, te precor hoc sacramentum conficis putas? Habet nimirum hoc sacramentum, à reliquis discrimen peculiare, nempe, quòd istud prius in se conficitur quàm administretur, reliqua vero non seorsum fiunt & administrantur, sed ipsa eorum administratio, confectio quoque est. Quamobrem, si ad veram sacramenti rationem, verbum promissionis tribuas, cui si cõsecraturus non credat, nihil omnino iuxta te fiat, necesse est. Si dixeris, hoc verbum esse, videlicet, quod pro vobis tradetur, aut istud, qui pro vobis effundetur. Vtrũq; horum ad recipientem pertinet, non ad consecrantem. Nam his promissionibus credendum esse vis, quatenus is, qui sacramentũ hoc accipit, gratiam item ex fide sua percipiat. Sed nihil hoc ad quæstionẽ nostrã. Nos enim quærimus de verbo promissionis, cui consecraturus inniti debeat sua fide. Si dixeris, huic verbo, videlicet, Hoc facite in meam commemorationem. At hoc verbo, per te, Christus nihil promittit, sed tantum præcepit, Agnosce tua. Constes tibi. Sic enim asseris in execrando libello tuo de captiuitate Babylonica, vbi sacramentum ordinis tractas. Nihil, inquis, hoc verbo Christus promittit, sed tantum præcepit fieri istud in sui memoriam. Vbi est ergo verbum promissionis? Quòd si nullum inuenire valeas, iam tibi periit huius sacramenti ratio. Ad hæc, multi ad hoc sacramentum accedunt, qui nunquam audierunt hoc promissionis verbum, de quo tu loqueris. Et tamen credunt illic esse verum corpus Christi. Quid igitur opinaris? Nam isti gratiam ex hoc Sacramento reportabunt, quoties idipsum susceperint? Reportabunt hauddubiè. Et tamen illud promissionis verbum, ante non audierunt. Non est igitur integrum quod asseris. Nisi quis verbo promissionis credat, gratiam ex sacramento non assequetur. Præterea qui suscipiunt hoc sacramentum, vt plurimum antea quàm accesserint, sunt

Ex sacramento synaxeos gratiã reportant qui promissionis verbũ nunq̃ norũt.

à peccatis omnibus per pœnitentiæ sacramentum absoluti, quid si nunc expectent ex hoc sacramento nouam expiationem, propterea quod iam verè credunt (vt & iuxta te verè debent credere) se penitus absolutos? Num propterea nullam sunt gratiam hi accepturi? Cæterum, quia verbo promissionis huic, tantum tribuis. Quid, te quæso, si tale verbum, quale tu iactitas, non illic repertum sit? Num vt hoc constiterit, corruet protinus, & euanescet omnis hæc cogitatio tua? Certè Græcus codex (ad quẽ tu sæpe fugis) nihil habet eiusmodi. Lege Paulum. Non illic inuenies, quod pro vobis tradetur, sed quod pro vobis frangitur de præsenti, non de futuro. Sed tu quoties tuo quadrantius inseruiant instituto, nunc Græcis, nunc Latinis vteris, quò nobis imponas facilius.

¶ Ex quibus euidens est, necessariam esse fidem suscepturo sacramentum, qua credat se consequuturũ id, quod sacramentum promittit & donat, vt sit verũ sic, quod dicitur: Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. *Luth.*

¶ Et quis negat fidem necessariam esse suscepturo sacramentum, quum Paulus dicat: Accedentem ad Deũ oportet credere. Et sine fide impossibile est placere Deo. Cæterum quòd nisi quis explicitam verbo peculiari promissionis ad sacramentum spectanti, fidem habuerit ipso momento quo sacramentum suscipit, nullam inde referet gratiam, non credo, nisi tu fortiorem probationem attuleris. Atqui dicis, Alioqui Deum in sua promissione mendacem facit. Nihil oportet. Neque enim mendacem facit Deũ in sua promissione, nisi qui negauerit Deum præstare, quæ promiserat: At simplex quispiam idiota & illiteratus, qui nunquam audiuit hoc promissionis verbum, credit tamen in Deum, nihil explicitè cogitans de verbo promissionis huius, quando suscipit hoc sacramẽtum, non negat Deum præstaturum, quod promiserat, ac propterea ne Deum ipse mendacem cõstituit. *Episc. Heb. 11.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Tuverò Luthere, potius Deum mendacem efficis, qui gratiam negas ex sacramento conferri. Deus enim salutem, hoc est iustificationis gratiam pollicetur ei, quicunque cum fide baptisma susceperit. Qui crediderit, inquit, & baptizat⁹ fuerit, saluus erit: Tu igitur qui confiteris non qualemcunque fidem ad salutem sufficere, & negas id quod deest ad iustificationem fidei, per sacramẽtum supplere posse, tu profecto Deũ hauddubiè mendacem constituis, quum ipse cuicunque vel pusillam habenti fidem, modo baptizetur, salutem est pollicitus. Potest equidem tanta fides esse cuipiam: & tam frugifera, vt vel sine baptismo laticis iustificetur, quemadmodum latroni contigit, qui inter summos corporis sui cruciatus, aduersus consortem suum Christi negotium egit, quem & petiit sui memorem fore, quum esset regnum sui patris consequutus. Is ingentem sanè & admirabilem habuit fidẽ quæ per dilectionem operabatur, qua vel sola absq; baptismate iustificatus est. Sed quis potest certus de seipso esse, quod ad hanc fidei mensurã & consummationem peruenerit? Dicas quicquid velis. Nemo potest super hac re certus esse, nisi cui fuerit hoc ipsum reuelatum. Propterea voluit immensa Christi benignitas, vt quoniam nemo per solam fidem de sua iustificatione poterit certus esse, iam per sacramẽta supleretur quicquid fidei sufficientiæ defuerit. Ad hęc alterum horum necesse est confiteare, aut quod ante baptismatis lauacrum, quisquis accedens, tantam habeat fidem, vt priusquã abluatur iustus fiat, aut quod fidei (siquis in ea defectus fuerit) per susceptionem sacramenti sub ipso lauacro iustũ augmentum à Deo suppeditetur. Si primum dixeris, reclamabunt tibi scripturæ, quæ plerosque testãtur fidem habuisse, sed citra mensuram iustificationis. Sin posterius concesseris, hoc pro nobis abunde facit. Nã si p baptismatis lauacrum quis tantum augmentum fidei consequatur, quod suæ iustificationi sufficiat, quis non videt ab hoc sacramento gratiam cõferri, sine qua nemo iustificatur. At, inquis, nõ sacramentum, sed Deus hoc augmentum præstat. Certè, & nos hoc ipsum cõfitemur. Neque enim credimus sacramenta gratiam efficere posse, sed Deum infallibiliter gratiam abs se creatam infundere, quoties pia fide quisquam sacramenta susceperit. Cæterum iam dialecticam tuam audiamus. Necessaria, inquis, est fides, suscepturo sacramentum quare non sacramentum; sed fides sacramenti iustificat. Eiusmodi nimirum est hæc argumentatio tua, ac si diceres. Necessarius est homini patrem habituro, solis influxus, quamobrẽ non pater, sed sol homini præstat vitam. Nam vt sol nonnihil facit ad hominis generationem (neque tamen se solo potest hominẽ procreare) sic & pusilla fides nonnihil confert ad gratiã consequendã, nec tamen se sola potest (absque sacramenti adminiculo) gratiã præstare. Quoties igitur cum pusilla fide, sacramentum ad iustificationis gratiam concurrit, nõ soli fidei (quæ certè causa remotior est) tribuendus est effectus, sed sacramento potius, vtpote caussæ magis peculiari.

Marc. 16.

Fides latronis.

Nemo nisi diuinitus certus esse potest se sola fide iustificari.

Suppletur à sacramentis quod fidei defuerit Luth. vndequaque constrictus.

¶ Quum enim in omni sacramento sit verbũ dei, vt dicit B. Augustinus super Ioan. accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Vbicunque autem verbum Dei est, ibi fides hominis in ipsum requiritur. Multi enim sacramentum suscipiunt & tamen non iustificãtur, sed magis damnantur, quia sine fide suscipiunt. Sola ergo fides iustificat, vt prædictæ authoritates probauere.

Luth.

¶ Sic semper facere soletis, nimirum quum vestris hæresibus sacrorum authorum testimonia suffragari quicquã possunt, libenter ipsa citatis. Verum si quid vobis aduersentur, contẽnitis ea prorsus, & floccifacitis. Placet tibi iã August. quod dixerat. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. At cur nõ etiam placet quod sequitur, vnde, inquit, ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo. Cernis hic quàm dilucide testetur Augustin⁹, sacramẽtum ex verbo simul & elemento conflatum,

Episc. Hæreticorum mos.

August.

vim quandam habere cordis abluendi. Sed fides, inquis, exigitur. Hauddubiè. Verum non sola fides istud efficit, sed verbum fidei cum elemento, hoc est sacramentum credenti gratiam præstat infallibiliter. Sed operæpretium erit, ex eodem Augustini loco plusculum aliquid recēsere, quo res fiat apertior. Is enim ordo verborum est. Quare non ait Christus, mundi estis propter baptismum quo loti estis? sed ait, propter verbum quod loquutus sum vobis? nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Ecce quod verbum adiunctum elemento vocat sacramentum, & affirmat ipsum esse tanquā verbum visibile. Et sequitur. Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit, Qui lotus est, nō indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Hactenus collegit Augustinus sacramentum baptismatis vim in se quandam expurgandi simul & abluēdi continere, eumque qui baptismo lotus fuerit, iam totum esse mundum, nec iis opus esse, nisi vt pedes, hoc est affectus animi lauet. Deinde mouet eam quæstionem quam suprà recensuimus. Vnde, inquit, ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Verum hic si sistam, nihil vltra progressus, scio me Lutherus falsarium proclamabit, propterea quod proximis verbis, Augustinus fidei plurimum tribuere visus est. Et ego sane plurimum identidem fidei tribuendum puto, Verum non soli fidei prorsus tantum, quantum Lutherus facit. Adiiciamus itaque quod sequitur. Vnde ista tanta virtus aquæ (inquit Augustinus) vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Hic clamat Lutherus. Ecce virtutem fidei. Sed nos hanc nullo modo negamus, imò confitemur, quòd qui fide caret, effectum sacramenti non consequitur. Sacramentum hauddubiè nullā nisi credenti confert gratiam. Sed pergamus adhuc

Ioan. 13.

attendentes quid in Augustino sequitur. Nam & in ipso verbo, inquit, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei, quod prædicamus (ait Apostolus) quia si cōfessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in Actibus Aposto. legimus, fide mundans corda eorum. Et in epistola sua beatus Petrus: Sic & vos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio (vt mundare posset) consecratur & baptismus. Hæc Augustinus.

Quid hic non aduertit eisdem testimoniis Augunum inniti contra Lutheri sententiam, quibus & pro seipso Lutherus vtitur. Cæterum in hac lectione tam fidei, quàm verbo fidei, simul & baptismo plurimum tribuitur, necvni istorum soli, sed omnibus coniunctim gratia iustificationis adscribitur. Verum qui dem est, quoddam in testimoniis quæ iam protulit Augustinus de fide loqui, quoddam de verbo fidei, nonnulla quoque de baptismo, non ita tamen vt excludant reliqua. Neque enim pusilla fides, vt sæpe diximus, absque sacramento, neque sacramentum absque omni fide, gratiam conferre cuiquam poterit. Verum est itaque quod Lutherus ait, multos hoc suscipere sacramentum, qui tamen non iustificantur, sed magis damnātur, ob id nimirum, quia sine fide suscipiunt. At rursum falsum est, quod sola fides iustificat. Nam ineptissima collectio est, quum ex illo subinferre velit, quod quia sine fide baptismus neminē iustificat, ideò sola fides iustificat. Neque enim oportet, si non absque fide sacramentum iustificat: quod ideò sola fides iustificet, sed fides cum sacramento. Porro quod se tandem refert præallegatis authoritibus, id ego neutiquā recuso. Pēdeat ex eis (modo sic habuerit) totius rei censura. Cæterū hoc expōfatis

Testimonia Augu. quibus Luth. se defendit. eidem aduersantur.

Quam inepte colligit Luth.

D.Augustini verbis, interim cuiuis perspicuum esse puto, baptismum cor suscipientis abluere, & mundiciæ gratiam eidem exhibere.

Luth. ¶Quare hæretica sententia est, quæcunque contraria est huic apostolicæ & catholicæ sentétiæ. At talis eorũ qui dicunt sacraméta nouæ legis dare gratiã iis qui nõ ponũt obicem, quorum author Scotus est.

Episc. ¶Quàm nihil pudet hunc impostorum, quum sit hæreticissimus ipse, crimen tamen hæreseos in alios (qui catholici sunt) impingere. Cur non item Augustinum vocat hæreticum, quem ex prioribus constat asseruisse, gratiam ex baptismo conferri suscipientibus? Sed quos vult, uunc hæreticos facit, nunc catholicos, pro arbitrio suo. Etiã hanc Apostolicam sententiam arbitratur, nempe ꝓ sola fides iustificat, quum tamen aduersum scripturas apertissimè pugnet, vti suprà ostendimus. Cæterum quem in modum Scotũ ostendat hæreticum esse iam audiamus.

Luth. ¶Quod probo sic, quia docét non modo nõ esse necessariam fidem, qua credas te accepturũ, id quod sacramentum promittit, sed quod sufficiat vt non ponas obicem. Obicem autem, vocant peccatum mortale vel propositum eiusdem, quale est homicidium, libido & similia, adeò vt satis sit suscepturo sacramentum, si desinat peccare, & propositum deponat, etiam si nullum bonum propositum formet.

Episc. ¶Cur locum non citas Luth. vbi Scotus hoc dicit? quum ei tantã ex eius verbis calumniã struis. Sed vt omnes intelligant, te planè mendacem esse, ac merum impostorẽ, audi quid Scotus dicat lib. 4. distin. 4. quæstione 2. ad primum argumentum. Deus nec paruulis gratiã infundit, absque fide & spe. Rursum eiusdẽ distin. quæst. 5. de adulto loquens: alio, inquit, modo potest quis esse fictus, ostẽdendo se esse dispositum ad recipiendum sacramentum, & tamen non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatũ mortale tũc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur,

vel conteritur. Et isto secũdo modo communiter loquuntur sancti & doctores de fide baptizati. Dico ꝓ tunc, quia nolentem Deus non iustificat, secundum illud August. Qui creauit te, sine te, non iustificabit te sine te, iste qui habet actualiter obicem, contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commisit, & nullo modo sibi displiget, nullo modo recipit gratiam. Hæc Scotus. Ex quibus liquet, primum quod sine fide gratia nec paruulis infunditur. Deinde quod adultus non est dispositus interius, si vel nõ rectam habuerit fidem, vel peccatum habeat mortale, de quo neque conteritur nec atteritur. Tertium, quod nolentem Deus non iustificat. Quartum quod ponit obicem quisquis, qui vel non rectam fidem habuerit in mente, vel mortale peccatum in voluntate. Lutherus tamen, quem nihil pudet de Scoto mentiri, altera parte obicis prætermissa, recenset alteram, & Scotum incessit, perinde ac si dixisset, fidem non esse necessariam gratiæ consequendæ. August.

Luth. ¶Quidam enim ex eis dicũt, nec motum bonum cordis requiri. Hęc omnia quia supradictis contraria sunt, vere hæretica sunt. Incredulitatem vero ꝓ nullo obice habent, scientes ꝓ non est in potestate nostra, ponere incredulitatem, sed solius Dei, qui infundit solus fidem. Quidam autem ex eis addunt requiri attritionem & fidem acquisitam, quæ duæ res quid sint, nemo illorum potuit vnquam docere.

Episc. ¶Quid cæteri dixerint, quorum neque nomina recenset, mea parum interest. Scotus vero non ex eorum numero est, qui prorsus negent, requiri bonum aliquod propositum, aut simpliciter aliquem bonum cordis motum, quum planè testetur, neminem inuitum, aut (vt ipse ait) nolentem à Deo iustificari. Oportet enim quod velit suscipere sacramẽtũ, & quod pro virili sua conetur fidem habere. Dicit tamen distinct. 14. quæst. 6. quod non requiritur in suscepturo bonus motus interior, quo mereatur gratiam. Sed

Universidad de Deusto Biblioteca

hoc longe aliud est, quàm non requiri bonum aliquem motum simpliciter. Cæterum qua necessitate ductus, illud dixerit, mox explicabimus. Sed neque ille ex eis est qui incredulitatem pro nullo obice ponit, quemadmodum paulo antè constitit. Ad hæc distinct. 16. quæst. 1. proxime ante solutionē argumentorum dicit, quod tria ad sacramentum pœnitentiæ (ad hoc vt digne recipiatur) requirūtur, vel quę prę-uia vel sequentia. Simpliciter enim requiritur confessio, quia sacerdos non absoluit arbitrarie, nisi prī reus sibi fuerit accusatus in foro illo. Non est etiam vtilis illa absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua cōtritio vel attritio. Ratio istius distinctionis patet ex dictis supra. Sufficit enim ꝙ aliqua displicentia licet informis præcedat, & tunc ille capax est absolutionis sacramentalis, & per illam fit contritio. Satisfactio autem debet sequi sacramentum pœnitentiæ, ad hoc vt habeat efficaciam, & hoc intellige in re vel in voto, nisi iudex posset perpēdere, illas pœnas alias præcedentes sufficere ad totalis pœnæ solutionem. Ista enim sententia sacerdotis sic absoluit, vt tamen liget. Absoluit quidem à debito pœnæ æternæ, sed ligat ad solutionem pœnæ temporalis, nisi sit sufficienter iam soluta. Ipsa etiam vel nullo modo absoluit, vel saltem non efficaciter, nisi reus sit in se debito modo dispositus. Quia sacramentum est signū absolutionis interioris, quæ interior nō concomitatur, nisi sit debita dispositio in mente ipsius absoluendi. Hæc Scotus illic. Quod autem Luth. ait, scholasticos non posse docere, quæ res sint attritio, & fides acquisita, illi fortassis respondebunt, se satis aperte docere quid sint, sed illum pro malignitate ingenii sui, simulare se nescire quæ doceant.

Absoluit sacerdos a pœna æterna et ligat ad pœnam temporalē solucēdā

Luth.

¶ Caussa autem quæ mouet eos sic docere, est ꝙ alioqui non videatur differentia dabilis, inter veterā & nouæ legis sacramenta. Vetera enim in fide suscepta iustificabant, hoc est iis qui boni erant, vtilia fuerunt (sicuti dicūt.) Ergo noua debēt esse efficaciora,

& prodesse etiam iis, qui boni non sunt, vt boni fiāt, cum noui testamenti omnia perfectiora quàm veteris testamenti esse debeant: nos autem dicimus, nec noui nec veteris testamenti sacramenta, sed solam fidem iustificasse, sicut Paulus dicit: Iustus ex fide sua viuet, & corde creditur ad iustitiam, ideo ratio istorū nihil est, sicut & omnia quæ ex illa deducunt.

¶ Quis te constituit eorum aduocatum Luthere? Sinas potius eos suam ipsorum tutari caussam. Rationem ipsi pro se meliorem afferent. Nihil quod ꝑ eis abs te redditur, non potest nō suspectum esse. Illi nimirum spectant illud euangelicum, arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Condescendūt itaque misericorditer infirmitatibus peccatorum, ac propterea viā struunt facilioré, & certiorem quo poterunt, ad alliciendos in rectam semitam peccatores. Quoniam igitur via cōtritionis seu attritionis formatę, non minus est dura q̄ incerta peccatoribus, idcirco viam hanc alterā per sacramentorum susceptionem, multo mitiorem, & securiorē docent, vtpote ob quam nihil exigitur, nisi vt nō ponatur obex, vel infidelitatis vel peccati mortalis. Et hęc est causa quæ mouet eos docere, tantam inesse sacramentis efficaciam. I nunc Luthere, & voces hos carnifices & doctrinam istorum carnificinam, quum ipse multo magis sis animarum carnifex, si tuam hæresim velis explicare. Tu enim solam fidem sufficere putas ad gratiam consequendam, sed non aperis quanta fides ea sit oportet, quæ iustificat. Hoc si palàm euoluere studueris, mox innotesceret cunctis, quàm immitis, quanque incerta fuerit hæc sententia tua. Hoc sanè fuisse compertissimum opinor, ex conflictatione nostra superius habita, nullam fidem, citra eam quæ formata est, iustificare posse. Porro quàm sit cuique incertum, quando fidem hanc assequutus fuerit, nemo vel mediocriter eruditus ignorat. Sed & si nemo per baptismum, aut per sacerdotis absolutionē, suę fidei formationē accipiat, sed oportet eā ante formari

Episc.

Matth. 12. Esaiæ. 42.

Per sacramēta facillimus ad gratiam aditus.

quàm duram esse Christianorum conditionem, quis non aduertit? Tuam igitur opinionem (quam versutissime inuoluis) si palam explicueris, nemo non intelligeret q̃ sit incerta, quamque difficilis, vt merito carnificina putaretur, atque lancinans & iugulans animas verius quàm saluans.

Luth. ¶ Potius differunt sacramenta nouæ legis, non à sacramentis, sed à sacrificiis & ceremoniis sacerdotii Aaronici, ꝙ per hæc mundabantur corpora, vestes, cibi, & vasa quæcunque, ab immunditiis quæ ex natura non erant, sed ex lege Mosi, ideo vt nulla promissio, ita nulla fides in eis erat. Nõ enim natura est peccatum, aut immunditia, si cadauer tetigeris, aut leprã aut menstruatam, ideo nec peccatum, sed immunditia vocabatur. At per illa nostra sacramenta mundantur conscientiæ ab immunditiis veris, quæ ex nãtura vitia & peccata sunt, ideo promissio & fides hic vigent, ꝙ in multis aliis signis patrum videre est, quæ ad ceremonias legis non pertinebãt. Verum hęc extra propositum.

Episc. Immeritò taxat° à Luthe. Scotus. ¶ Sunt reuera (vt dicis) extra propositum. Verum tamen quia Scotum hic taxas, intelliget lector, quàm id feceris absq; caussa. Nam & ille distinct. 14. quæst. 6. colligit, ꝙ quemadmodum ii qui ceremonias & sacrificia dicta non obseruabant, mortali fuerant obnoxii peccato, ita & eregione fuerat necesse, vt hæc obseruantes augmentum gratiæ mererentur. Sic enim habent verba Scoti. Quandoque videtur ex textu, quod sunt præcepta necessaria ad salutem, putat: Qui præterierit se lustrari de aqua prædicta, peribit anima illa de populo suo. Quæ comminatio nunquã ponitur nisi ad designandam transgressionem peccati mortalis. Ergo Iudæi ex charitate obseruantes sacramenta impropriè dicta meruerunt gratiam, vel augmentum eius, si eam iam habebant. Sed non propter hoc illa erant propriè sacramenta. Hæc Scotus. Ex quibus apertè colligitur, sensisse Scotum, quod non solum ii qui sacrificia dictasque ceremonias ob-

seruabant gratiam merebantur: verumetiam quod ꝑ gratiæ collationem non penitus à sacrificiis differũt sacramenta. Quo cuiuis est dilucidum, te de Scoto multa confinxisse mendacia. Cæterum quod ex his colligere studeas, promissionem & fidem hic vigere, id certè nos neutiquã inficiamur. Vigere enim promissionem oportet. Quia nisi Christus baptismo salutem fuisset pollicitus, nemo facile crederet, ex eo se gratiam consequuturum. Sed vigere pariter & fidem necesse est. Quia sine fide, nullum inde fructum quisquam referet. Concedimus igitur vtranque suum habere vigorem. Negamus tamen has solas ita vigere, vt sacramentis nihil efficiatur. Nam si nihil omnino conferret baptismus, frustra Christus adiecit supra fidem, etiam baptismi susceptionem. Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed hoc ex iis quæ suprà disseruimus, vsqueadeo cunctis exploratissimum opinamur, vt nullus quantumuis fuerit versipellis posset tergiuersari. Sed hactenꝰ pro huius articuli conuulsione sit dictum.

Fides promissioq̃ non ita vigent, vt sacramentis nil relinquatur.

ARTICVLVS II.

ON puero post baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. *Luth.*

¶ Prius quàm ad ea respondeamus, quę pro huius articuli assertione Lutherus exaggerauit operæpretium erit aduertere, peccatum Paulo multifariam dici. Nonnunquam enim pro solo fomite carnis hac voce Paulus vtitur, cum aliis plerisque locis, tum ad Romanos 7. vbi sic ait: Nunc autem non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Hic proculdubio non aliter accipi peccatum potest, quàm pro carnis fomite, nempe qui lubricos, inuito Paulo, concupiscentiæ motus excitauit, quos & ipse testatur nequaquam à se perpetratos, sed ã

Episc. Peccatum Paulo multifariam dicitur. Primo pro solo fomitẽ.

Universidad de Deusto Biblioteca

peccato. Sic enim fomitem hic Paulus vocat, qui tyrannidem exercuit in sua carne. Et hoc diligenter aduerte lector, quod negat hic Paulus, hos motus à se aut sua sponte fuisse partos, sed à peccato, nimirum à fomite carnis, quem contra suam voluntatem, hos motus indesinenter procreasse fatetur. Propter quod & mox idem subiungit: Si quod non volo ego, hoc facio, non iam ego perpetro illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Ecce negat sibi tribuendum velut authori, quod ista fiant in sua carne, quum omnino contra voluntatem suam facta fuisse, sed à peccato quod latuit in sua carne, profecta perpetrataque palàm asserit. Sed & hos motus Paulus illic vocat affectus, seu passiones peccatorum. Quum (inquit) essemus in carne, passiões peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Eisdem quoque nominibus eos appellat, quibus & ipsa peccata, ad quæ stimulant ipsi motus, nempe fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscẽtiam malam, auaritiam. Sic enim scribit ad Colossenses. 3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam. Quæ planè cuncta pro motibus fomitis Paulus hic accipit. Neq; enim tum Collossenses (ad quos Paulus hæc scripsit) fornicatores erant, & immundi, atque auari, sed eos paulo superius, iis mortuos fuisse testatus est, & haud multo post subiungit, eosdem in illis aliquando vixisse. Non igitur Paulus illa pro peccatis actu perpetratis, accipi voluit hoc loco, sed pro motibus impuris carnis, quos & vocat corpus peccati, quemadmodum ad Romanos. 6. Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Quoties enim illis motibus resistimus, peccati vires aliquousq; frangimus, & nonnihil ipsius corporis peccati demolimur, hos etiam motus tam ipsos Collossenses quàm cæteros omnes Christianos voluit mortificare. Tertio loco, Paulus hac voce vtitur pro consensu mẽtis,

Secundo p motibus impuris carnis.

Corpus peccati.

Tertio pro cõsensu men

ad seruiendum illis motibus. Nam hi Paulo propriè peccant, qui motibus istis obediunt, & obsequuntur. Quamobrem & Rom. 6. vetat, ne peccatũ, hoc est fomes, regnet in mortali corpore nostro, vt obediatur concupiscentiis eius, hoc est, impuris illis motibus, neue dominetur nostri, quoniam in gratia sumus, nõ sub lege. Moxque subdit idem Paulus: Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Hic Lutherum percunctari libet. Quid hoc loco Paulus vetuit, quum dixerit: Absit, vt peccemus? Num fomitem prohibuit? haudquaquam. Nam fomes manet in baptizatis, & in ipsis etiam qui secundum spiritum incedunt. Num forte motus, aut concupiscentias ex fomite pullulantes? Neque istas. Nam in potestate nostra neutiquã est, istas non sentire, quanquam eis non seruire possumus, & non obtemperare. Propter quod & Paulus quum dixit: Ne regnet peccatum in mortali nostro corpore (vigilanter adiecit) vt obediatis concupiscentiis eius: hoc est ergo peccare, concupiscentiis carnis obedire. Et vide quàm variè peccatores istos hoc vno capite describat Paulus. Hos in peccato manere dicit, & in peccato viuere, fouere veterem hominem, & vitæ nouitatem abiicere, iustitiẹ liberos esse, peccati seruos, in his regnare peccatum & dominari penitus, hos extinctores esse corporis peccati, & exhibitores denique suorum membrorum vt arma sint iniquitatis peccato. Contrà qui non peccant, hoc est, qui carnis affectibus & concupiscentiis resistunt, hos testatur Paulus in peccato non manere, sed mortuos esse peccato, veterem hominẽ crucifixisse, & iã incedere in vitẹ nouitate. Sepultos esse cũ Christo per baptismũ in mortem, & insitios eidem factos per mortis eius similitudinem, resurrectionis quoque eius participes effectos, hos idem tidẽ à peccato iustificatos asserit, & peccato liberos, iustitiẹ seruos, demolitores corporis peccati, ac demũ exhibentes mẽbra sua arma iustitiẹ Deo. Vides quot epithetis, Paulus peccãtes à peccãtibus discriminat.

tis ad seruiẽdum illis motibus.

Quàm varie peccatores Paulus describit.

Adde, ꝙ illos Ephes. 5. fornicatores vocat & immundos, atque auaros, nec habere hæreditatem in regno Christi & Dei. Contrà vero, qui iustificati sunt quanquam vires & impetus fomitis ad ista vehementer impellentes sentiant, nõ tamen ob id, fornicatores, aut immundos, aut auaros appellãdos censet Paulus, sed neque propter illos motus hæreditate Christi priuãdos existimat. Ad hæc. Postquam ad Galat. 5. tam illa quæ iam diximus, quàm alia plurima peccatorum genera Paulus enumerasset, subiungit: Qui talia agũt, regnum Dei non consequẽtur. At qui iustificati sunt à peccato, quanquam affectus & impetus illorũ peccatorum in se patiantur, Pauli tamen sententia nec agunt talia, neque peccant, quia motibus illis impuris non obtemperant. Ex iis itaque satis dilucidum opinamur, quid intersit inter peccatum quod fomes dicitur, & hoc peccatum, quod consensu mentis fit, motibus & impetui fomitis obtemperãdo. Age ostendamus & aliam apud Paulum huius vocis acceptionẽ esse. Sic enim. 2. ad Corin. 5. tradit, Christum pro nobis factum fuisse peccatum, quum tamen expers erat omnis peccati. Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, nempe Deus pater, filium suum Iesum. Factus ergo pro nobis Christ⁹ peccatum fuit. At quid habuit ipse cum peccato simile? Nec fomitem profectò, neque motum fomitis, sed neque consensum in alterutrum. Immunis ab iis omnibus Christus hauddubie fuerat, quum omni peccato non solum originali, verumetiam actuali caruerit. Sed propterea peccatum pro nobis factus est Christus, quod peccatorum nostrorum vindictam in se suscipit. At quemadmodum & Petrus ait cap. 2. prioris epistolæ: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, hoc est cruciatus qui nostris peccatis debebantur, ipse sustinuit. Neque enim alia ratione Christus peccatum fuit, quàm hostia, quæ pro peccato offerebatur in lege veteri peccatum dicta fuit. Quomodo & sacerdotes dicebantur peccata populi

Quarto hostia ꝙ pctõ. Quõ Christ⁹ pro nobis factus peccatũ

Osee. 2.

comedisse. Sic & Hieronymus hũc Pauli locum enarrans testatur: Sicut hostia (inquit) pro peccato oblata peccatum vocabatur in lege, vt in Leuitico scriptum est: Et imponet manum super caput peccati sui, ita & Christus pro peccatis nostris oblatus, peccati nomen accepit. Nihil ergo peccati fuit in Christo, præter solam pœnam peccato debitam, quam ille pro veris peccatis abolendis in se suscepit. Plurimum itaque refert, quo modorum horum quis peccatum accipiat, quum in his omnibus hæc vna vox tam variam habeat significantiam. Nam inter verum peccatum, & vindictam peccato debitam, quis nõ videt maximum esse discrimen? Deinde inter peccatum quod est consensus in prauos ipsos fomitis affectus, atque fomitem ipsum, quis non aduertit quanta sit diuersitas? Nam dissoluto consensu plerũque manet fomes, manent & affectus praui, quanquam non imputentur in peccatum. Quis ergo non perspicit, quantum vel inscitia vel malicia Lutherus aberrauerit, qui tam varias acceptiones in vnum confundere molitur. Sed gloriolæ studium, quod antehac innumeros à recta via veritatis abduxit, huc adegit Lutherum, vt vnicum peccati modum statuat, quo posset euincere, vel in quouis opere bono peccare iustum. Nimirum vt ita de sua glorietur adinuentione, qua simul in eodem peccare pariter, & non peccare componat. Pro qua re statuenda, nec interpretes (quantauis eminent, siue doctrina, seu vitæ sanctimonia) contemnere, nec scripturis irreuerenter abuti veretur. Cæterum nos quid scripturæ senserint, maxime Pauli, conati sumus hactenus ostẽdere. Iam quid interpretes in hac re diffinierint, & inter eos præsertim Augustinus (quem & iactat Lutherus opinioni suæ fauere) nonnihil disseremus. Augustinus vbi de peccato loquitur, affirmat peccatum vsqueadeo voluntarium esse, vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium. Et rursum: Nusquam nisi in voluntate esse peccatum. Quod tamen postea limitat, adiiciens, siue in o-

Hieronym.

Per magni interest quõ peccati vocabulũ accipis

Insignis inscitia Luth. seu malitia.

August.

Universidad de Deusto Biblioteca

pere, siue in origine. Quod nimirum dicit propter genitale, seu si mauis originale peccatum, quod non propria nascentium, sed primorum potius parentum voluntate contractum sit. Cæterum in vtroque tam in originali quàm in actuali, reatum esse testatur, quem proprie peccatum appellat, & vtriusque reatũ baptismo posse tolli penitus asseuerat. Sic enim scribit ad Valerium de nuptiis & concupiscentia libr. 1. cap. 26. vbi tria per ordinem annotabimus. Primum est. In eis (inquit) qui regenerãtur in Christo, quum remissionem accipiũt prorsus omnium peccatorum, vtique necesse est, vt reatus etiam huius (licet adhuc manentis) concupiscentiæ remittatur, vt in peccatũ (sicut dixi) nõ imputetur. Ecce reatus originalis culpæ per baptismum aufertur, vt iam concupiscentia non imputetur in peccatum. Dixerat enim superius cap. 26. concupiscentiam carnis in baptismo dimitti, non vt non sit, sed vt peccatum non imputetur. Et paulo antè, concupiscentiam eandem asseruit in parente baptizato esse, & peccatum non esse. Secundum (quod annotauimus) est, originalis peccati cum actualibus conferentia quantum ad reatum. Sequitur enim continenter. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam quum fiunt, pretereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit, sic illius, quando remittitur, reatus aufertur. Ecce tam in originali quàm in actuali peccato reatus quidã est. Hoc tamen interest, ꝙ in actualibus peccatis trãsit actus, qui fuit reatui coniũctus, manet tamen reatus, donec per sacramentũ aliquod remittatur. In originali vero (quum reatus abluitur) manet concupiscentia, quæ fuerat coniuncta reatui, sed transit reatus. Iam tertium audi, quod etiam pxime sequitur. Hoc est enim nõ habere peccatum, reum non esse peccati. Ecce quando reatus aufertur siue originalis, siue actualis peccati, iam non manet peccatum, secundum ipsam veram peccati rationem. Quia sublato peccati reatu, iã is qui fuerat antè pec

Reatus in originali & act. peccato.

Tria ex August. notata. Primum.

Secũdũ originalis pctũ cum actuali conferentia.

Tertiũ sublato reatu tollitur peccatum.

cator, non habeat peccatum, nimirum quia iam non est reatus peccati. Ex iis liquidò constare puto, quòd quisquis reatum nullum habet, vel sua, vel primorũ parentum voluntate contractum peccatum non habet secundum ipsam veram peccati rationem. Atqui Luthero non placet vocabulũ reatus, ob id ꝙ in scripturis non reperiatur, sed ab interpretib⁹, vt ait, excogitatum fuit. Ita Luthero quicquid libebit licet innouare, quum sacris tamen id non liceat interpretibus. Sed falsum est quod affirmat Lutherus in scripturis non haberi vocabulum ipsum. Nam Exod. 32. scriptum est: Percussit dominus populum pro reatu vitulı. Et Deut. 21. Et auferetur ab eis reatus sanguinis. Sed & vocis huius peccati, tam indifferens apud Paulum vsurpatio, cõpulit August. vt in peccato, rem à reatu distingueret. Aduertit enim in iustificatis manere fomitem, & motum fomitis, qui & Paulo peccatum dicitur, nec tamẽ eos ob id reos esse peccati, necessarium itaque dixit, vt inter fomitem & reatum fomitis, nonnihil discriminis haberetur. Id quod ex ipsius Pauli verbis euincere conabor esse rectissimũ. Sic enim Paulus ad Romanos. 8. scribit: Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Ecce nihil est his damnationis. Quòd si nihil damnationis, nihil omnino reatus erit, quia nemo damnandus venit, nisi qui reusantè fuerit. Quum igitur ante baptismum verè fuissent damnationi obnoxii, & iam non sint, quia nihil omnino damnationis nunc habent, quis non videt eos, iam omni carere reatu? Sol⁹ ergo reatus per iustificationem aufertur, ipso manente fomite, simul & eius motu. Neque iã carnis cõcupiscentia seu peccati fomes, verã habet peccati rationẽ, quum nõ amplius reum faciat iustificatum ipsum, sed & reatus ꝑ baptismum penitus auferatur. Nã si reatus non omnino fuerit ablat⁹, necesse foret nõnihil dãnationis illis remanere, quod õnino Paul⁹ negat. Nihil est, inquit, damnationis his qui sunt in Christo Iesu, qui

Luthero dc quid libet licet.

Dictio reatus ĩ scripturis quod Lutherus negat

Inter fomitem & peccatũ multũ discriminis.

Reatus per iustificationẽ manente fomite et motu tollitur.

Concupiscẽtia non vere peccatũ secũdũ veram peccati rationem.

Universidad de Deusto Biblioteca

non ſecundum carnem ambulant. Porro quod concupiſcentia, cui ſublatus per baptiſmum reatus eſt, non vere peccatum ſit, ſecundum ipſam peccati rationem, Auguſtinus apertiſſimo docet exemplo ſcribẽs ad Valerium lib.1.cap.23.de nuptiis & concupiſcentia. Sic (inquit) vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, quum iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicut vocatur lingua locutio quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Hæc Auguſtinus. Quo nihil dici poteſt apertius. Iam ex his liquere ſatis opinor, nec concupiſcentiam (quæ remanet in baptizatis) peccatum eſſe ſecundum veram peccati rationem, neque Chriſtum (quanquam Paulo peccatum ſit dictus) veram in ſe peccati rationem habuiſſe, tametſi peccatorum noſtrorum cruciatus, quos ipſi meruimus, pertuliſſet: ſed hoc ſolum, verè peccatum dici, quod nos damnatiõis reos conſtituit, quod vel eſt originale peccatum, vel quod noſtrę voluntatis aſſenſu per nos perpetratum fuerit. Vt ergo tãdem ad articulos veniamus, palàm aſſerimus in puero poſt baptiſmum, peccatum nullum ſecundum veram peccati rationẽ remanere, nec ob id Paulum aut Chriſtum conculcamus, imò ſtatuimus potius. Nã id quod hoc modo peccatũ Paulo dicitur, palàm eſt ex eodem Paulo, ꝙ in ipſis baptizatis & iuſtificatis nihil habeat damnationis aut reatus: hoc eſt, nec reos, neque dãnationi obnoxios eos conſtituit, quanquã in eis ipſis inhabitauerit. Quamobrem quum de re planè conſtiterit, fruſtra de voce quiuis digladiabitur. Sed iam tempus eſt vt Lutherus audiatur.

August. Vt locutio dicitur lingua, ſic & cõcupiſcẽtia peccatum.

Quid vere peccatum dicitur.

In pueris baptizatis nullum vere peccatum.

Luth. ¶ Paulus Rom.7.dicit: Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, Nõ concupiſces. Hic ſine dubio claret concupiſcentiam eſſe peccatum, at quis eſt hominum, qui concupiſcentiam non ſentit poſtquam adoleuerit, quanuis baptizatus, cum hic Apoſtolus ſanctiſſimus nedum baptizatus ſuam concupiſcentiã accuſet? Vnde ergo hoc peccatũ, niſi ex natiuitate carnis, etiam poſt baptiſmũ remanens?

¶ Obſcurus nimirum eſt hic locus Pauli, ſicut & Hiero. de tota reliqua confitetur epiſtola. Fieri quidem poteſt, vt concupiſcentiam hic intelligat pro cõſenſu mentis in carnis deſideria. Et ſic nimirum concupiſcentia vere peccatum eſt, atque hoc ſecundum geminam peccati rationem. Nam hoc eſt obedire cõcupiſcentiis carnis, & ſequi carnis deſideria, id quod manifeſte prohibet Paulus dicens: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius. Neque enim Paulus hic omnino vetat carnis concupiſcentias, ſine quibus nemo viuit, ſed hoc tantum vetat, ne per conſenſum mentis, carnis concupiſcentiis obediamus. Sin vero per concupiſcentiam hoc loco Paulus carnis dum taxat concupiſcentiam velit intelligi, dilucidum eſt ex ſuperioribus, eã concupiſcentiã, ſublato per baptiſmum reatu non eſſe peccatum ſecũdum propriam acceptionem peccati, ſed tantum quia fit per peccatum, ſicut locutio, lingua, quia per linguam fit, & ſcriptura manus, quia per manum efficitur, vt ſæpe dicit Auguſt.

Epiſc. Hieronym.

Rom.6.

¶ Atque ne quis putet Apoſtolum in perſona aliorum loqui, Gala.5.ad eos qui ſpiritu viuebant, generali ſententia dicit: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Quid erat neceſſe mandare, vt ſpiritu ambulent, qui ſpiritu viuunt, ſi non ſupereſt peccatum carnis, quod crucifigant?

Luth.

¶ Si quis hic ſibi neget ſeptimum caput ad Romanos, in perſona ipſius Pauli debere intelligi, iam nihil tibi ſupereſt, quo poſſes ſtatuere, fomitem aut cõcupiſcentiam ex fomite pullulantem, in baptizatis peccatum dici. Nam aliunde nulla tibi probatio ſuppetit, quo poſſes vrgere quod in baptizatis & iuſtificatis ipſa concupiſcentia peccatum vocetur. Sed & illud quod Paulus ait, Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, Non cõcupiſces, mox oſtendemus nequaquã de carnis cõcupiſcentia (quæ motus fomitis eſt) intelligi debere, ſed concupiſcentia mentis. Porro quod capitulum ipſum in aliorum

Epiſc.

Universidad de Deusto Biblioteca

Argumeta quæ suadēt Paulū in aliorū psona fuisse loquutum.

persona debeat intelligi,multa stringunt.Et primum ꝓ omnes fermè patres ad hunc modum locum illum interpretentur.Deinde ꝓ plurima quæ in eodem capite traduntur, in Paulum haud rectè competunt,& istud in primis quum dicit: Ego autem viuebam sine lege aliquando.Nunquam enim Paulusvixit absque lege, quandoquidem Hebræorum infantibus quàm primum quicquam discernere queāt, verba legis inculcantur. Deinde neque istud in Paulum quadrat. Ego autem carnalis sum venūdatus sub peccato. Nā id ceu vitium Corinthiis obiicit. Quum sint,inquit, inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis,& secundum hominem ambulatis? Et quid est sub peccato venundatum esse, q̄ esse mancipium emptitium peccati?Id quod Paulo nequaq̄ conuenit.Ad hęc,ne istud Paulo congruit, ꝓ captiuus redditur legi peccati,neq; ꝓ carne seruiat legi peccati, quum clamet ad Gal.4.In libertate igitur,qua Christus nos liberauit,state &ne rursus iugo seruitutis implicemini.Istis hauddubie patres permoti fuerūt,vt in aliorum persona,necessarium duxerint,hoc caput à Paulo dictū interpretari.Sed(inquis)August. etiam senex,mutata sententia,negauit Paulum à se satis intellectū fuisse,quum eum sic interpretaretur. Et verum est quod ais.At idem Augustinus vbique constanter negat,cōcupiscentiam istam in baptizatispeccatū esse.Quare si nos vrgere velis,Augustini testimonio contra cæteros patres,& nos eodē te prememus aduersus temetipsum.Quod si patris huius in hac parte testimonio nolis obstringi cōtra teipsum,haudequum est,vt nos obstringas in illa contra cæteros patres, & maxime quum cernas, nos tam iustis rationib⁹ posse reluctari tibi,nō solum ex illo capite quod in aliorum persona debeat accipi,verumetiam in hac Augustini sententia,quam vbique tam constanter asseris.Cęterum vt donemus tibi, Paulum hæc in sua ipsius persona fuisse loquutum,haud satis tamen dialectice colligis concupiscentiam peccatū esse,vel hoc adiūcto quod

1.Cor.3.

ad Galat.Paulus scribit:Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.Nam esto Paulus hoc dixerit in sua ipsius persona. Et esto rursum, vt iis qui spiritu viuunt iam dixerit.Non ob id consequitur,quod carnis concupiscentia peccatum sit, sed quod ea reprimēda sit, & ab aliis contundenda, qui spiritu viuunt. Neque nos negamus eam in carne manere vel baptizatis ipsis & iustificatis, sed negamus eam peccatum esse, cū iam reatus auferatur,nihilque damnationis in eis remaneat,quod & Paulus ipse palam testatur.

Galat.6.

¶Denique dicit cap. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum,& spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur,vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Quæ autem potest esse concupiscentia spiritus,nisi charitas? vt & Augustinus sæpius interpretatur.Vbi autem charitas,nisi in baptizatis?Et tamen in his pugnant vtraque concupiscentia.

Luth.

¶Inter carnem & spiritum media intercedit voluntas,quæ nunc carnis,nunc spiritus concupiscentiam sectatur. Quod si relicto spiritu, carni consentiat, iam peccatur hauddubie. Sin contra,spreta carnis concupiscentia,voluntas adhæreat spiritui,à peccato seruatur immunis.Neque semper omnis concupiscentia spiritus charitas est.Nam in lethaliter peccantibus non est charitas,& tamen in his,non vsque adeo spiritus putatur extinctus,vt nihil boni concupiscat. Manet igitur vtrique tam spiritui quàm carni,sua concupiscentia,quæ mutuo semper aduersantur.Sed vt illa in criminosis non dicitur charitas, ita nec ista in iustificatis;peccatum dicitur.

Episc. Media iter carnē & spiritū voluntas

¶Et quæ esset apostolicæ doctrinæ vis & authoritas, si non generaliter ad omnes homines pertineret?Non enim absolute dicere debuisset,spiritum & carnem sibi pugnare, sed aliquorum spiritum & carnem scilicet malorum.Nunc autem prorsus de omnibus Christianis dicit: Quicunq; autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cū vitiis & cōcupiscentiis suis,quod quomodo potest aliter itelligi, q̄ illud Ro.

Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis cõcupiscentiis eius? Cur prohibet obedire concupiscentiis corporis, si non sunt in corpore baptizati? Cur regnare vetat, si nullũ adest peccatum? Nisi quod vere in omnibus peccatum est & concupiscentia, sed non debet regnare, nec nos ei obedire, seu consentire, sed contra pugnare, crucifigere, & mortificare. Sicut Gene. 3. idem bellum spiritus & carnis describitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo illius.

Episc. Cõcupiscentiæ in baptizatis nõ sũt peccata.

¶ Quis negat in corpore baptizati concupiscentias esse relictas? Remanent enim (vt sæpe diximus) etiam sublato per baptismum reatu. Verum iam peccata nequaquam cẽsendæ sunt, secundum propriam & peculiarem peccati rationem. Sũt tamen, haud dubium est, premendæ nihilominus, & modis omnibus subiugandæ, ne mentis videlicet nostræ dominium sibi vendicet. Nam & si peccata non fuerint ipsæ, si tamen eis plusculum (quàm par sit) indulgeamus, nullo non peccato, nostros animos fœdissime contaminabunt.

Luth.

¶ Rursus Romanorum. 7. Cõdelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meę, & captiuantem me in legem peccati. Hoc non dici in persona malorum, sed in persona sua & omnium sanctorum filiorum Dei, ex eo patet, q̃ condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, impossibile est homini extra gratiam constituto, qui potius odit legem Dei. Quia cap. 3. generali sententia, de omnibus filiis hominum dixerat. Non est iustus, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui facit bonũ, nõ est vsq; ad vnũ. At q̃ delectat̃ in lege Dei secũdum interioré hominẽ, certe iustus est, intelligit, requirit Deum, & facit bonũ, nec declinat à Deo, cum deleãri in lege nõ sit, nisi amãtis & desiderãtis legẽ.

¶ Iam diu iuxta prouerbium extra cautionem es Luthere. Quid ad paruulos ista quæ memoras attinent, quippe quum nullam aliam legem in suis membris ipsis sentiant repugnantem legi mentium suarũ. Tu tamen introducis hæc, vt ostendas Paulum de seipso superius fuisse locutum id quod ante tibi donauimus. At nil oportet ob hoc, concupiscentiam propriè esse peccatum. Certè iustus, quò melior est, eò suæ carnis concupiscentiis magis magisque reluctatur, & vellet mentem suam ab omni prorsus infestatione carnis tueri, quod non tamen semper assequitur. Interim enim dormitat & sublabitur, vt necessum habeat dicere, dimitte nobis debita nostra. Cæterum hæc infestatio carnis, tantum abest vt peccatum sit, vt etiam in meritorũ cumulũ iusto viro cedat. Verũtamen si consensus quispiã in eam, vel leuissimus iusto surrẽpserit, is iure peccatũ existimatur, quanquã inter ea (quæ minuta dicuntur) computabitur. *Episc.*

¶ Et in fine ait. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Si enim hoc non in sua persona, sed impiorum dixit, dabimus, malos esse seruos Dei, secundum nobiliorem partẽ sui, scilicet mẽtem. Nam seruire legi Dei, est obedire, in omnes eius voluntates ire, & subditum esse deo, quod impiissimũ est sentire de impiis, quorum cor & mẽs penitus declinat à Deo, & potiꝰ carne & externa specie pietatis, ei seruiũt, sicut de hypocritis dicit. 1. Timo. 4. & Psal. 77. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, neq; fideles habiti sunt in testamento Dei. Et iterum. Generatio quæ non direxit cor suum, nec est creditus cum Deo spiritus eius. *Luth.*

¶ Et adhuc extra chorum saltitas. Alienum enim & hoc est ab articulo, quũ nihil spectet ad paruulos, in quibus postquam baptizati fuerint, manere peccatum, tua iam interest monstrare. Cæterum quid prohibet, hęc verba tam in malos, quàm in bonos competere posse. Nam si verbum seruire, quemadmodum tu interpretaris, vsqueadeò debeat artari, vt qui ser- *Episc.* *Quid sit seruire.*

uit,is obediat in omnes voluntates eius, & subditus omnino sit ei cui seruit,quomodo poterit iustus,carne seruire legi peccati ? Sic enim oportet eum obedire carni ad omnes voluntates eius,& omnino subditum esse legi peccati .Sin laxius intelligi velis, vt dicatur quispiam seruire carni, & legi peccati, qui carnis aliquousque concupiscentias sustinet. Et ad hũc modum,certè qui nondum iustificatus est,bono cuipiam spiritus impulsui seruire dici potest , quum non ob id penitus obediat ad omnes voluntates ipsius spiritus,neque sit omnino subditus eidem . Cæterum vtcunque fuerit, certe non minus repugnat prauo,vt legi seruiat Dei,quàm iusto,vt carni seruiat & legi peccati.

Luth. ¶Quiduis autem tribui impiis patior . Cor rectũ & spiritum fidelem legis amantem,plane scriptura tota,nõ nisi sanctis tribui cogit.Non enim dicit, Video legem Dei in interiori homine,sicut de lege peccati dicit,Video aliam legẽ in membris meis. Videt enim & odio habuit,licet carere non possit,tamen fortiter contra pugnanit. At hîc dicit: Condelector legi Dei quod est magis, quàm vidisse & amasse legem , quod proculdubio includit,cor esse rectum seu spiritum fidelem & verè pium,quod non nisi de seipso & similibus sanctis intellectum voluit, quare nisi impiis volumus tribuere omnia,quæ sanctorum sunt,hunc locum negabimus ab apostolo in aliorum impiorum persona dictum.

Episc. ¶Bonus & prauus, iustus & iniustus,in hac disparitate pares sunt,quòd quemadmodũ ille peccati legem membris inscriptam habet, ita & iuste Dei legẽ in corde suo gestat. An non de prauis dictum erat? Quòd notum est Dei,manifestum est illis.An non & Paulus dicit?Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex,qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.Bonus peccati legem in membris videt, sed non sequitur eam.Prauus legem Dei videt cordi inscriptam,sed ei non obtemperat. Et sicut ille nõnũq

Rom.1.2.

trahitur ad oblectationem legis peccati, sic & iste vicisim allicitur ad oblectationẽ legis Dei. Ergo certè neminẽ vsqueadeò carnis immersum illecebris arbitror,vt nunquam audiat mentis suæ legem, suis affectibus obmurmurantem,& quem non aliquando tædeat miseriæ suæ,quique non vellet interim fieri melior,vtpote qui nequeat non virtutis viam probare, quam tamẽ haudquaquam sequitur . Neque tamẽ ob id cor rectum ei tribuerim,aut spiritum fidelem legis amantem,quẽadmodum tu conaris.

¶Fateor si pertinaciam suam nolit quispiam deponere,perdurabit,nec his flectetur.Et quid mirum? quum nec Christus omnibus potuerit sua persuadere.Hæc doctrina,quia sacra & diuina est, vult vt positis propriæ sententiæ,& opinionis studiis, dociles & ductiles sint,tã auditores quàm tractatores, sicut dicit Psal.44.Audi filia & vide & inclina aurem tuam, nullus contentiosus aut peruicax huc intrabit ? imò in quam vnquam sententiam quantumuis manifestã veritatis cõtentiosus & peruicax, induci potuit?Perpendat autem quiuis hæc sedato & libero animo,seque docilem præbeat Deo,& sine dubio erudietur & suauissima veritate capietur . Quæ postulo eò iustius,quòd hæc nostra sententia verbis his diuinis traditur.Aduersaria verbis hominum humanaque opinione & nostro sensu tantum affertur, absque authoritate scripturæ diuinæ,atque hoc ipso suspecta,quũ quod sacris literis, vel vtcunque probari non potest, approbari tutum non sit.Facile quidem est damnare alienas sententias,sed multo facilius sibi temperat à damnando,qui prætentarit,quàm difficile sit improbare & confutare,quod damnare præsumit.

Luth.

¶Hæc omnia retorquebunt in te aduersarij tui, qui tuam in hæresibus tuis pertinaciam execrantur, & maiorem docilitatem ac ductibilitatem in te desiderant.Sed & cætera, quæ tibi videntur pro tua sententia facere, nihil dubitant, quin eadem facilitate cõtra te verti possit,qua tu producis aduersus alios.

Episc.

Datum ciuilitati, nedicam pertinaciæ Lut. ꝓpostulat.

Vellem hic adessent tibi Hieronym. & Origenes aliique nonnulli christianæ doctrinæ grauissimi præceptores, quibus visus est Paulus, hæc nequaquam in sua ipsius persona dixisse. Illi profecto non solis hominum verbis contra te firmarent sua, sed multis diuinæ scripturæ testimoniis. Cæterum ego nihil reluctor sententiæ tuæ, sed donaui quæ postulas, tantum expecto, quem in modum ex iis ita donatis articulum astrues de quo iam contendimus.

Luth.

¶ Quanquam ego vehementer admiror hanc sententiam non esse omnibus notissimam, nedum speraßem vlli videri damnandam quam scimus omniũ sanctorum, per tot secula confessione probatam. Quid enim in vita omnium sanctorum legimus, quàm labores vigilias, ieiunia, orationes, quibus velut machinis spiritualibus pugnauerunt aduersus carnem & concupiscentias corporis sui proprij? Quis eorum nõ gemit? non accusat? non laborat? in carne sua & concupiscentiis suis? Quum ergo in his omnibus videamus istas authoritates: Caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus aduersus carnem. Et cõdelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, &c. Quę caussa est, vt hæc Apostolum velimus, non in sua, sed impiorum persona dicere, quæ in personis piissimorum videmus viuacissimis studiis geri?

Episc. Eandem cãtilenã Lut. canit.

¶ Adhuc pergis, vt ostendas, non in persona peccatorũ priora fuisse dicta, sed in persona Pauli cæterorumque sui similium. Sed iam viceuersa spectes oportet, quàm non quadret in Paulũ & suos, Carne seruio legi peccati. Quoniã si carne seruiãt isti legi peccati, quid prohibet malos condelectari legi Dei?

Luth.

¶ Aut quando vidimus impium, qui hac molestissima pugna, aduersus carnem suam militet, condelectetur legi Dei secundum interiorem hominem? piorum ista sunt summa & laboriosissima certamina, & nos ea tribuemus impiis, in concupiscentiam libere & sponte ruentibus, imò fruentibus? Quoties rogo

sanctus Hieronymus de incendiis libidinum conqueritur, etiam tum, quum multo ieiunio & labore contra ea pugnaret, hoc est dum esset, non modo baptizatus, sed & sanctissimus. Experiatur quisque seipsum & referat si audet, se non habere concupiscentiam, etiam si ad morbum vsque ieiunet & laboret. Et vnde hoc malum furens & indomitum? Nonvtique à natura, quia Adam illo caruit ante casum, sed post lapsum sentit in carne, & nobis per generationem hæreditauit, quod baptismate incipit tolli, durat tamen vsque ad mortem carnis, licet in aliis minus, in aliis magis. Vnde & ipsi appellant fomitem, morbum naturæ & tyrannum.

Episc. Impij delectantur lege Dei.

¶ Nunquid & impij non sæpe resurgere conantur? Interroga sceleratissimos, qui non prorsus desperant, num secum statuant ad Christum aliquando redire. Certè respondebunt, hoc sibi in animo esse. At quid istud nisi quod Christo credunt, & condelectantur? Verum interim suis affectibus victi, carni prorsus indulgent. Isti planè (quæ faciunt) non probant, imò damnant & deflent, atque crebro clamitant sese miseros esse. Sed & suspirant ad meliorem vitam. Num August. non confitetur, quum tamen in amoribus ipse sordidis volutaretur, se plurimum Ciceronis Hortẽsio condelectatum fuisse, hocque solum displicuisse sibi, quod illic nomen Christi non repererit, vtpote quod cum lacte matris (vt illic dicit) cor suum pie biberat, & alte retinebat. An non ad conciones quum accesserint, plerique mouentur, & diuinis oblectantur verbis? At vinculis & nexibus affectuum suorum irretiti, non permouentur. Num in istis, quæso, non competit hoc verbum. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, sed video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati? Adde, quòd hi plerunque vim nonnullam carni suæ faciunt, & ieiunant, aliisque molestiis eam afficiunt. Verum impurus amor libidinis, tã altas in eis egit radices, vt protinus euelli

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Hierony.

non posit, quin ad solitũ pensum sæpe reuocet eos. Quod si vir sanctissimus Hieronymus de incendiis libidinum conqueritur, quibus tamen multo sudore, multisque ieiuniis restitit quid isti, qui toties ab eis deiiciuntur, & meliori fraudantur vita, quàm vtcunque cupiunt, num credibile est eos sortis suæ dãnare miseriam. Nemo tibi negat cõcupiscentiam hãc quã & alij fomitem appellant nobis ex primi parẽtis peccato relictam esse. Istud omnino concedimus. Confitemur insuper eãdem incipere, minui sub baptismate, durare quinetiam ad mortem vsque carnis, in aliis magis, in aliis minus. Cæterum eius reatum extingui penitus in baptismate non ambigimus, quo sublato, nihil ei reliquum est, quo deinceps ipsa possit propriè peccatum appellari.

Fomes ad carnis vsque interitum manet.

Luth.

¶ Reuertamur ad probationem: Apostol. Heb. 12. vtique baptizatis & sanctis dicit. Deponamus omne pondus & circunstans nos peccatũ. Hic seipsum quoque inuoluens docet deponi omne pondus & peccatum, quod nos circunstat, id est, pertinaciter inhæret & instat, mira verbi emphasi significans molestam & improbam illam carnis nostræ concupiscentiam & procacitatem, qua nos assiduè solicitat ad peccatum, nec aliquando quiescit, nunc ira, nunc libidine, nũc superbia, nunc auaritia nos inquietans.

Episc. Circunstãs peccatum quid sit.

¶ Quod Paulus vocat circunstans peccatum, ego magis occasiones peccandi interpretarer, quàm internam concupiscentiam, quæ per illas irritari solet. Sed demus illud tibi, Paulum hic per circunstans peccatum, concupiscentiam intellexisse. Num ob id conuinces eam esse propriè peccatum? Neque enim protinus consequitur, vt quicquid solicitat ad peccatum, id vere peccatum dicatur. Nam egregia nonnũquam alicuius vel pudicissimæ fœminæ forma stimulus ad peccatum est, viro alioqui casto, nec tamen ipsa peccatum rectè dici potest. Quid peccauit aurum, aut gemmæ, quum horum nitore vel auarus, vel ambitiosus occasionem nãciscitur delinquendi? Nihil

Non omnis peccati stimulus peccatũ est.

profecto. Et tamen ista concupiscentiam prouocant ad peccatum.

¶ Ita vt D. Cyprianus ob hoc optandum censet mortem accelerari, Epistola de mortalitate dicens: Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum vitiis carnalibus, cum illecebris secularibus assidua & iugis & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & vndique zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido, si libido cõpressa est, succedit ambitio, si ambitio contempta est, ira exasperat, superbia inflat, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit, cogeri maledicere, quod lex diuina prohibet, compelleris iurare, quod non licet, tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter zabuli gladios diu stare? quum magis concupiscendum & optandum sit ad Christum, subuenire velocius, morte properare. Si tãtus Martyr de se sibique similibus talia affirmat, quis dubitabit & omnibus sanctis eadem tribuere? aut saltem non negabit in sanctos quadrare, quod Apostolus dicit: Condelector legi Dei secundum interiorẽ hominem, video autem aliam legem in membris, ne in personis impiorum ista videatur locutus.

Luth.

¶ Aduerte quæso diligentius quid hic dicat Cyprianus: Nõ enim sola vitia memorat carnalia, verũ etiam illecebras seculares, & ipsam identidẽ zabuli infestationẽ, qua mentem is obsidet humanam. Ex iis nimirum delinquendi viris vel sanctissimis discrimẽ imminet, neque tamen ob id, hæc peccata censenda sunt, sed incitamenta magis peccatorum. Neque enim in horum singula prolapsum esse Cyprianum opinari te reor, quãquam ex horum infestatione senserit legẽ suæ carnis expergefactam. Interea tamen, dum hæc illum infestarent, legi Dei condelectabatur secundum interiorem hominẽ. Esto, ita fuerit. At quid si forte fuisset collapsus, & in horum aliquo,

Episc. Cyprian.

Universidad de Deusto Biblioteca

legem carnis ac membrorum secutus, quid prohibet, quo minus etiam in interiore homine, sentire potuerit legem Dei suo lapsui obmurmurantem, cuius voci condelectaretur, ac resipisceret.

Luth. ¶ Quæ omnia ideo vrgeo, quod scio D. Hierony. Origen. & alios impulsum alicubi sentire Apostolũ hoc loco, in aliorum persona locutum, licet aliis locis contrarium sentiat. Et D. Augustinus diu eadem sententia captiuus tandem in retractationibus & lib. 6. contra Iuli. 11. ita reuocat, vt neget à se fuisse intellectum antea Apostolum, dum in aliorum persona locutum fuisse asseruisset. Quis non moueatur authoritate principum horum virorum patrum, nihil indignor, si quis hos patres alicunde pro se adduxerit aduersus eam sententiam, si temere vno loco eos legerit, & in suam sententiam sonare viderit. Verum nec illis, nec assertionibus eorum iniuriam facio, dum verba ipsa Apost. tum illorum proprias & contrarias sententias eis prælaturo.

Episc. ¶ Certè non solum Hieronym. & Origen. sed & (quemadmodum August. contra Iulianum tradit) Hilarius etiam, & Athanasius, atque Ambrosius, ita senserunt, nempè Paulum hæc in aliorum persona fuisse locutum. Quo magis miror te, tam pertinaciter aliis locis asserere, scripturam per sese certissimam esse, facillimam, apertissimam, suiipsius interpretem, quum videas (vt tu ais) tot & tam eximios interpretes hallucinatos hoc vno loco fuisse. Ego tamen, vt ingenuè (quod sentio) dicam, opinor hunc locum secundum vtranque interpretationem intelligi posse, nec facile posse quempiam refelli, quisquis vel hanc vel illam sequi malit. Quod & dico propter patres, quos hic errasse Luth. existimat. Cæterũ, vt sæpe protestatus sum, ego nihil luctabor. Esto Paulus in sua ipsius hæc persona dixisset, quid hoc ad articuli probationem facit?

Luth. ¶ Iuuant eandem hanc sententiam & multa alia. Primum id quod Apostolus Rom. 12. præcipit vtique

sanctis & baptizatis, vt renouentur in nouitate sensus sui. Et alibi 2. Corin. 4. Et si is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. At renouari est è vetustate in nouitatem mutari. Vetustas autem peccatum est veteris hominis, sicut nouitas, gratia noui hominis. Renouari ergo arguit inesse vetustatem, sicut rursus dicit Collo. 3. Expoliantes veterem hominem cum actibus suis. 1. Corinth. 5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Quæ omnia certè affirmant reliquum vetustatis & peccati nobis esse, quod exuendum expurgandumque sit, quum ad eos scribat, qui iam erant (vt dicit) azymi & creati in nouum hominẽ secundum Deum.

¶ Ad sanctos & baptizatos vtique fatemur hoc dixisse Paulum, nimirum vt à vetustate renouarentur. Sed negamus hanc vetustatẽ vere peccatum esse, sed solummodo secundum amplam peccati acceptionem, quia videlicet parit peccatũ, quemadmodũ lingua (quia locutionem parit) pro locutione accipitur, & manus (quæ scripturam efficit) pro scriptura nonnunquam intelligitur. Nemo sane ex baptizatis est, qui non duos homines in se complectitur, exteriorẽ videlicet & interiorem, carnalem & spiritualem, terrenum & cælestem, veterem & nouum. Illum ex Adã genitum, hunc ex Christo renatum. Cæterum vt vetus homo (qui foris est) quotidie minuitur, ita nouus (qui intus est) augetur indies. Et vt vetus quotidie nonnihil fomitis infestantis deperdit, ita nouus aliquod augmentum gratiæ semper acquirit. Omnis denique Christiani vita in hoc consistit, vt se veterem exoriens nunc perfectè renouabimur, quum hoc veteris cõcupiscentiæ fermentum ex Adam contractæ, fuerit penitus expurgatum, id quod in hac mortali vita, nemini contingere potest. Hæc omnia tibi cõcedimus Luthere, verum ista nondum conficiunt fomitẽ hũc peccatum esse, iuxta propriam peccati acceptionem.

Episc. Vetustas nõ vere peccatum est.

Duplex homo in baptizatis.

Vetere decrescente nouus homo augetur.

Christiana vita in quo constat.

Vt gratia nouitatem

ita peccatū peperit vetustatem.

Sed nec certè colligis, quòd vetustas peccatū sit veteris hominis, sicut gratia nouitas est noui hominis. Sed ita rectius colliges: Sicut gratia parit nouitatem. Nā per Christi gratiam renouamur & iustificamur, sicut per Adæ peccatum, vetustatem contraximus.

Luth.

¶ Deinde parabolæ Euangelij pulchrè hic valēt. Quarum vna de Samaritano, qui semiuiuum non subito sanauit, sed alligauit tantum, & sanandum suscepit, nonne ostendit, neminem subito ab omnibus peccatis sanum factum, sed pacto fidei, in corpus Christi assumptum de die in diem magis sanari?

Episc. Hieron.

¶ Possem hic illud Hieronymi respondere tibi. Nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad authoritatem dogmatum proficere. Tu igitur, quum iam dogmata contra communem Ecclesiæ sensum statuere moliris, non parabolas (quæ possunt ad varios & multiformes intellectus torqueri) sed apertissimas, & irrefragabiles scripturas, aut rationes afferre debes. Cæterum quantum ad parabolā spectat, dici potest quòd homo iste peccator intelligitur, qui lethaliter à dæmonibus vulneratus, semiuiuus relinquitur. Vitam enim gratiæ (quæ fuerit ei dimidia) sustulerunt, naturali solum permissa vita. Sed postq̄ illū Christus à plaga sanauit, quam suscepit in anima, remansit ei nihilominus concupiscentiæ vulnus in carne, cui de die in diem (vt antea diximus) medendum fuit. Verum hoc sublato reatu, peccatum dicitur, nisi quemadmodum scriptura dicitur manus. Porro quòd dicis neminem à peccatis subito sanari, apertissimè falsum ex Euangeliis ipsis esse constat. Nam apud Matthæum Christus paralytico dimisit peccata, iubens vt omnino confideret ipsa sibi fuisse dimissa. Quinetiam vt ostenderet se potestatem habere dimittendi peccata, iussit paralytico grabatum etiam suum secum tollere. Et apud Ioannem languido cuidam annos triginta morbum habenti dixit: Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi cōtingat. Et apud

Neminem à peccatis subito sanari falsissimum est.

Matt. 9.

Lucam Magdalenæ dixit: Remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te saluam fecit. An nō iis omnibus peccata subito remissa sunt? Hauddubiè. Sed & ita remissa, vt nullum penitus in horum aliquo peccatum sit relictum, nisi forsan aliquod fuisse peccatum asseras, quod Christi potestatem penitus excessisset, id quod nemo bene Christianus agnoscet. Cæterum in illis omnibus remansisse concupiscentiam haudquaquam dubitamus.

Luc. 7.

Luth.

¶ Altero Matt. 13. de fermento in sata farinæ tria mixto, donec fermentaretur totum, quid aliud vult, q̄ fermento nouo fidei fermētari non subito, sed paulatim totum hominem? vt hæc vita cognoscatur non esse iustitia, sed iustificatio, non sanitas, sed sanatio, non finis, sed phase domini, non terra, sed migratio, & prorsus continua peccati purgatio, & transitus de virtute in virtutem, vt docet Psal. 83. & transformatio de claritate, ad imaginem Christi, vt Apostolus vocat. At talis transitus certe manifestat, reliquū esse semper peccatum, à quo recedamus, & ad maiorem iustitiam appropinquemus.

Episc. Fermētum vel verbum Christi vel gratiam significat.

¶ Nec istud conuincit fomitem, qui quotidie per iustificationem & sanationem minuitur, vere peccatum esse. Nam potest per hoc fermentum, vel Christi verbum intelligi, quod sensim treis partes orbis fermentauit, vel gratia, quæ in tribus animæ viribus recepta, totum hominem paulatim fermentat, quod fit propter fomitē, qui paulatim per gratiā subducitur, & quotidie magis imminuitur. Postquā igitur anima per gratiā sanata fuerit, manet adhuc in carne quidā langor fomitis, qui quotidianam & continuam recipit purgationem, propter quam, & tota Christiani vita transitus quidam est de virtute in virtutem, & de claritate in claritatem, & totus homo de die in diem dicitur renouari, quemadmodum postea fusius dicturi sumus. Cæterum ob hæc nihil oportet hunc fomitem vere & propriè dici peccatum, id quod semel asseruimus, neque talis transitus id manifestat.

Christiana vita.

Universidad de Deusto Biblioteca

¶Et Ioan.13.quum asseruisset discipulos esse mũdos,tamen infra dicit.15.se esse vitem,illos palmites, & tamen omnem fructiferum magis purgandum, vt plus fructificet.Quomodo enim sunt mundi & simul immundi vt purgari egeant, qui nisi mũdi essent,fructum non afferrent?Nisi quod verum est quod idem 1.Ioan.1.dicit:Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.Nouit sanctus Augustinus,quod non dixit,habuimus sed habemus.Et Psal.18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.Et Psal.50.petit spiritum rectum & cor mundum in se fieri,quum hoc non nisi iam mundus orare posset.Vnde ergo ista immunditia tam sanctis viris spiritu feruentibus, nedum baptizatis? Quod malum has mouet immunditias? nisi radicale illud originis malum, de quo Paulus Collossensib.sanctis scribit:Mortificate mẽbra vestra, quæ sunt super terram,fornicationẽ,immundiciam,libidinem,concupiscentiam malam,auaritiam. Nõn quod his peccatis seruire eos arguat, sed vt repugnent ne eis seruiant.

Episc. Quare fomes immundus dicitur.

¶Discipuli nimirum,qui per gratiã mundi fuerũt, nihilominus adhuc erant in fomite magis ac magis purgãdi.Dicitur enim fomes immundus, quia quotidie nobis immunditiã propinat, & leuioribus saltem peccatis inquinat vnũquenque.Nõ quod fomes ipse peccatum sit,sed ꝓ indefinentem subministret peccati occasionem,quum nemo tam circunspectus est, vt posset penitus deuitare. Propter quod & Ioannes affirmat illũ seducere seipsum,quisquis negat se peccatum habere.Cæterum quid hoc ad paruulos, quibus per baptismũ reatus huius fomitis aufertur.Hi profecto nec originale peccatũ iam habẽt, sed neq; adhuc rationis vsum, quo peccatum actuale queant admittere.Quo fit,vt omni prorsus careãt peccato. Quod & Augu.lib.1.de peccatorum meritis & remissione, cap.33.dilucide colligit,ostendẽs nec originale,quod à primis emanauit parentibus, nec actuale,quod à se

Paruuli baptizati omni prorsus carent peccato.

ipsis contraxerunt, in paruulis manere post baptismum. De adultis nimirum Ioan. loquitur & cæteræ quas memoras scripturæ.Et vnde hæc proueniat immunditia,superius frequenter diximus. Sed heus tu, putas in illis sanctis fornicationem,immunditiam, ac cætera fuisse peccata,quæ sequuntur?Absit. At quoniam ex fomite prodeunt hæc omnia,Paulus hũc fomitem qui in eis erat,subiugari voluit,vnde ni reprimeretur,tot suboritura fuissent mala.

¶Et vt finem faciamus,sola oratio dominica,nõne omnes concludit sub peccatum,dũ omnibus quãtumlibet sanctis mandat orare: Fiat voluntas tua,sanctificetur nomen tuum,adueniat regnum tum?Quid cõfitetur,qui petit fieri voluntatẽ Dei,nisi sese nondum plenè facere voluntatẽ Dei, ac per hoc esse inobedientẽ Deo?(neq; enim fictis verbis oratur.)Hoc solo saluus ꝓ agnoscit & deprecatur suam inobediẽtiam,ac inquantum orat & agnoscit,tantũ facit volũtatem Dei,id est in spiritu,sed in carne, contra quam sic orat,nondum facit.Ita qui petit sanctificari nomẽ domini, nõnne fatetur nomen domini adhuc in se pollui ex parte?quod dolẽs deprecatur, & impletur illud in eo Rom.7.Quod nolo malũ hoc facio,quod volo bonum,non facio. Sic qui aduenire regnũ Dei petit,certe seruum diaboli se ex parte confitetur, cũ Apostolo dicens:Video aliam legem in mẽbris meis, captiuantem me in lege peccati. *Luth.*

¶Et hoc quoque nihil ad paruulos attinet,quibus necdum fit orãdi potestas,sed ad adultos spectat dũtaxat. Tum enim perfecte regnabit in nobis Deus, quando penitus absumetur fomes iste,& Dei nomen integre sanctificabitur, atque voluntas sine omni prorsus rebellione perimplebitur in corpore simul & anima,quanquam interea vere Deus in nobis regnat per gratiam, & verè sanctificatur nomen eius, quantum ad animam pertinet,vt mox dicemus. Nũc certe nec regnum Dei, nec voluntas, nec sanctificatio, suam plenitudinem in nobis obtinent, propter *Episc. Quãdo perfecte regnabit in nobis Deus*

concupiſcentiæ rebellionem, quæ manet aduerſus ſpiritum. Et quanquã ea peccatum non ſit, niſi mens ei conſentiat, eius tamen occaſione quotidie nonnihil admittimus, quod nos non ſit vſquequaque puriſimos eſſe. Cæterum neque ſemper id vſqueadeò magnum eſt, vt ſub diaboli poteſtate nos conſtituat. De paruulis autem haudquaquam dubito, quin de poteſtate diaboli per baptiſmum penitus erepti ſint, tametſi peccati fomes in ipſis maneat per baptiſmũ. Sed quia reatus tollitur, iam non diabolus modò, ſed & quicquid peccatum eſt, prorſus ex eis effugatur. Et quanquam remaneat concupiſcentia, nõ propter eã tamen in oratione Dominica dicitur, Dimitte nobis debita noſtra, ſed propter peccata quæ poſt baptiſmum conſenſu mentis fiunt. Quod & D. Auguſtinus teſtatur lib. 1. cap. 13. contra duas epiſtolas Pelagianorum, ita dicens: Nec propter ipſam, cuius iam reatus lauacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ſed propter peccata quæ fiunt, ſiue in eius conſenſionibus, cum ab eo quodlibet vincitur quod placet, ſiue quum per ignorantiam, malum quaſi bonum placet. Fiunt autem, ſiue operando, ſiue loquendo, ſiue quod facilimum atque celerrimum eſt, cogitando. A quibus omnibus, quis etiam fidelium gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato? Illud ſanè quod in oratione ſequitur propter ipſam dicitur, Neque nos inferas in tẽtationem, ſed libera nos à malo. Vnuſquiſque enim, ſicut ſcriptum eſt, tentatur à concupiſcẽtia ſua, abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia, quum cõceperit, parit peccatum. Hi omnes concupiſcentiæ partus, & ipſius concupiſcentiæ reatus antiquus, baptiſmatis ablutione dimiſsi ſunt. Hæc Auguſtinus. Vbi palàm explicat, non propter peccata quæ naſcuntur per cõſenſum mentis in eam, ſiue operando, ſiue loquẽdo, ſeu cogitando, in quæ nemo non labitur: at propter concupiſcentiã quæ ſuggerit indeſinenter mala precamur aliud, nempe: Ne inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Aſſerit demum tam ipſius concupiſcentiæ reatum, quàm ſingulos eius partus lauacro regenerationis penitus auferri.

Auguſt.

Iac. 1.

Omnes cõcupiſcentiæ partus baptiſmo abluuntur.

¶ Scio autem, quid hic mihi oppoſituri ſint, ſcilicet omnia quæ dicta ſunt, probare non peccatum, ſed defectum, ſeu infirmitatẽ in nobis relinqui poſt baptiſmum. Sic enim fomitem & paſsiones carnis vocant. Reſpondeo, ſi ſola nos verbi controuerſia haberet, facile admitterem, vt defectum vocarent, quicquid id eſt mali, quod in prædictis ſcripturę verbis, relinqui in nobis probatum eſt. Fruſtra enim certatur de nomine, quum de re conſtiterit. Verum quod defectum ſic appellant, vt peccatum eſſe negent, & non culpam, ſed pœnam tantum peccati eſſe velint, admittere non poſſum. Neque enim ſatis eſt, quod ſine ſcripturæ teſtimoniis authoritate propria dicunt, omnia iſta defectus dici, quia deficiant à perfecta legis plenitudine.

Luth.

¶ Vtinam re cognita, quod ais, non amplius de ſolis verbis contenderes. Sed tu profecto de meris voculis certas, & iam quod defectus ab aliquibus dicatur in mediũ affers, vt vel inde capias anſam oſtendẽdi fomitẽ hunc peccatũ eſſe, id quod ab omnibus orthodoxis plane cõdemnatur, niſi iuxta fuſiorem peccati acceptionem (de qua ſuprà diximus) intelligas. Omnes enim vnanimiter aſſerunt peccata cũcta per baptiſma deleri. Quod ſi cuncta peccata penitus abolita ſunt, quomodo poteſt is fomes qui relinquitur peccatum dici? Nam ſi fomes rite peccatum ſit, & poſt baptiſmum hauddubie maneat, quomodo quæſo verum erit, quod omnia penitus delata ſunt peccata? In qua primum Hieronymus audiatur. Is enim ad Oceanum ſcribens, ait: Omnia nobis in baptiſmate condonata ſunt crimina, nec poſt indulgentiam iudicis eſt metuenda ſeueritas, dicente Apoſtolo: Et hæc quidẽ fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Om-

Epiſc.

Hieronym.

1. Cor. 6.

Universidad de Deusto Biblioteca

nla peccata donata sunt bene& fideliter.Hæc Hiero. At qui dicit omnia,ne vnum quidem excipit.Sed neque ex suo cerebro Hierony.hoc fingit,scripturam qua probet illud,etiam affert. Quomodo te quæso, iustificati sumus & sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquetur?Et rursum in eadē epistola Hieronym.Michæas,inquit,de baptismi gratia vaticinatur.Ipse auertet,& miserebitur nostri, demerget iniquitates nostras,& proiciet in profundum maris omnia peccata nostra.Et paulò post subdit:Audiamus & Ezechielem filium hominis,quomodo de eius virtute pronunciet,qui hominis futurus est filius. Assumam vos de gentibus,& aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris,& dabo vobis cor nouum,& spiritum nouum. Ab omnibus,inquit,mundabo vos sordibus . In omnibus nihil prætermittitur.Hæc Hieronymus.Aduerte quid iam postremo dixit.In omnibus,inquit, nihil prætermittitur, hoc est, si mundati sumus ab omnibus, nihil sordis peccati prætermittitur à quo non mundetur.Huic Ambrosius subscribit, inquiens: Et hæc quidem fuistis,sed abluti estis,sed sanctificati estis,in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu Dei nostri.Hæc omnia beneficia puritatis in baptismate consequuti noscuntur,quod est fundamentum euāgelicę veritatis,illic enī peccatis depositis,abluitur credēs & iustificatur domini nomine,& per spiritū Dei nostri Deo filius adoptatur.Per hæc admonet illos,quāta & qualis sit gratia quā per verā traditionē cōsequuti sunt.Hæc Ambr.Et Origen. item super Iosue Homelia 5. recēsens illud Pauli : Fuimus enim & nos aliquando insipientes,increduli errantes,seruiētes desideriis & voluptatibus variis in malitia & inuidia agentes,odibiles, odientes inuicem. Subdit: Non tibi videtur hæc opprobria esse & opprobria Ægypti?Sed ex quo venit Christus,& dedit nobis secundam circūcisionem per baptismum regenerationis,& purgauit animas nostras ,abiecimꝰ hęc omnia,

Micheæva ticiniū de baptismi gratia.

Mich.7

Ezechiel prænuntiās virtutem laucri.

Ezech.36.

Ambr.

Origen.

Opprobria Ægypti per baptismum ablata.

Universidad de Deusto Biblioteca

& pro iis assumpsimus conscientiæ bonæ adstipulationem in Deum.Tunc per secundā circuncisionem ablata sunt nobis opprobria Ægypti,& purgata sunt vitia peccatorum.Nemo ergo si integre cōuersus est, si ex corde pœnituit, si fideliter Iordanis fluenta dipgressus est,si secunda per Euangelium circuncisione purgatus est,pręteritorum mutuet opprobria delictorum.Hæc Origenes. Rursus Chrysostomus homilia 24.super Ioānem,ita inquiens:Quænam ergo aquæ necessitas? Iam abscōditum vobis mysterium aperiā. Sunt & alia,nunc verò ex omnibus vnum exposuisse sufficiat. Primum diuina in hoc cōsumantur iudicia, sepultura,mortificatio,resurrectio, vita,& hæc simul omnia. In qua enim tāquam in sepulchro , caput immergentibus,vetus homo sepelitur,emergentibꝰ nouus resurgit inde,vt facile nobis est immergi,&emersos respirare, ita Deo veterem sepelire hominem, & nouum induere.Præterea,hinc patris & filii & spiritussanctivirtutē,hęc omnia implere intelligis.Quod ne coniectura à me,sedvero sensu dictum intelligas. Audi Paulum:Cōsepulti(inquit) sumus cum illo per baptismum.Et iterum:Noster vetus homo simul crucifixus est.Et item:Complantati facti sumus similitudini mortis huius. Non solum autem baptisma crux dicitur , sed crux baptisma . Baptisma enim quo ego baptizo (inquit) baptizabimini , & baptismo habeo baptizari,quod vos nescitis. Hæc Chrysostomus. Et similia plurima suffragia recenset Hieronymus ex diuo Paulo,ad Oceanum scribens: Hic (inquit)est calculus nouus,cui nouum nomen inscribitur,quod nemo scit legere, nisi q illud acceperit. Quod enim baptizati sumus in Christo Iesu,in morte illius baptizati sumus . Consepulti enim sumus per baptismum in morte,vt quomodo surrexit Christꝰ à mortuis per gloriam patris,ita & nos in nouitate vitæ ambulemꝰ. Toties nouitatem legimꝰ,& tam masculorum nomen vxoris , non potest vlla nouitate deleri ? Consepulti sumus Christo in baptismate, & resurreximus per fi-

Chrysost.

Baptismi mysterium.

Vetus hō ē aqua sepelitur, nouus resurgit.

Coll.2.

Rom.6.

Baptisma crux.

Hieron.

Baptismæ calculus nouus.

dem operationis Dei, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Quumque eſſemus mortui in delictis, & præputio carnis noſtræ, conuiuificauit nos cum illo, donans omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Omnia noſtra cum Chriſto mortua ſunt, vniuerſa chirographi veteris peccata deleta ſunt, ſolum nomen viuit vxoris. Hęc Hieronymus. Cyprianus etiam aſtipulatur de Eccleſia loquens, ſermone quodam de ablutione pedum. Hinc egredientia quatuor Euangelii flumina, per vniuerſum mundum ſecum regenerationis euehunt lauacrum, & de abdito & ſecretiſſimo ſpirituſſancti munere, huius gratiæ liquor emanat, ſic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula, aliqua ſui poſt ablutionem illam veſtigia, derelinquat. Hæc Cyprianus. Quo quid à quoquam dici poteſt apertius? Et his Auguſt. item ſubſcribit contra Iulianum lib. 6. Tu autem qui putas, quod ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multũ erras. Omni enim peccato careret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret baptizatus, nõ omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? An non eſt malum quod aggrauat animam? Nunquid caret ignorantię malo, per quod à neſcientibus innumera perpetrantur mala? An paruum malum eſt quod homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apoſtolus: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Hactenus Auguſtinus memorauit quædam mala, quæ baptizatis non tolluntur. Sed & tandem concludit, baptizatos his malis in lauacro regenerationis haudquaquam caruiſſe, vbi tamen omnibus caruerant ſine dubitatione peccatis. Hæc Auguſt. Claret igitur non ſolum patrum, verumetiam ſcripturarum teſtimoniis, nullum non deleri peccatum in baptiſmate. Quamobrem & fomes remanẽs peccatum eſſe non poteſt,

Cyprianus.

Auguſt. Oĩ pctõ caret baptizatus, nõ omni malo.

1.Cor.2.

modo peccatum ſecundum veram & propriam peccati rationem accipiatur.

¶ Deinde, quod non licet vlli angelorum, nedum ipſis hominibus, verba Dei pro ſuo ſenſu interpretari, vt quod illa peccatum aperte vocat, illi defectum interpretentur. *Luth.*

¶ Qui defectum interpretantur, ipſi viderint. Sed quod ais ſcripturam concupiſcentiam aperte peccatum vocare, ſic nimirum & ſcripturam Chriſtum ipſum aperte peccatum vocat, nec tamen opinor vllum aut angelorum, aut hominum hoc intelligi velle de peccato, iuxta veram peccati rationem, vt ſępe diximus, cũ nec fomiti, nec motui fomitis, neque conſenſui in fomitem, Chriſtus quicquam habuit ſimile. Sed neque ipſe tam perfrictæ frõtis es, vt cũ dicat Paulus: Eum, nempe filium qui non nouerat peccatum, pater pro nobis fecit peccatum, negare poſſis, quin alio atque alio modo peccatum in iis verbis accipiatur. Nam vbi negat nouiſſe peccatum aut virulentum fomitem, aut concupiſcentiam ex ipſo ebulliẽtem, aut conſenſum in cõcupiſcentiam, aut demum omnia ſimul intelligit. At quum affirmat patrem Chriſtus feciſſe peccatum, nihil horum intelligi poteſt, ſed vel hoſtia, vel peccati vindicta duntaxat intelligi licet. Et rurſum quum dicat Paulus: De peccato damnauit peccatum. Alius haud dubie vocis huius eſt intellectus, quum dicit, de peccato: alius quum dicit, damnauit peccatum. Nam quum dicit, de peccato, Chriſtum intelligit, qui factus eſt pro nobis peccatum: hoc eſt, hoſtia pro peccato, vel quod mihi potius videtur, totam illam carnis maſſam, quæ damnauit ab Adam intelligi voluit, quam & vocat peccato obnoxiam, quæque poteſt, & meritò peccatum dici, quod peccati virus tota penitus imbiberit. Quum igitur ex hac maſſa Chriſtus pro ſuo corpore conſtruendo, nonnihil ad peccati condemnationem futuram accepit, non iniuria de peccato videri potuit damnaſſe peccatum. Nã proxime ſuperius dixerat, Chriſtũ fuiſſe miſſum

Epiſc.

2.Cor.5.

Peccatũ hoſtia ſeu pctĩ vĩdicta dici poteſt.

Rom.8.

De peccato damnauit peccatum.

in similitudine carnis peccati. Quum ergo dicit Paulus de peccato, vel massam illam peccato infectam intelligit, vel Christum hostiam factum pro peccato. Sed quum subdit, damnauit peccatum, nostram plane voluit intelligi noxam, neque originalem solam, verumetiam actualem. Cæterum quid est (te quæso) damnauit peccatum? Aut quando nobis huius damnationis fructus allatus est potiusquàm in baptismate? Tunc ergo per merita passionis Christi, qui ꝓ nobis factus erat peccatum, damnatum est quicquid in nobis peccati reatum habuit. Nam his nunc (vt Paulus ait) nihil est damnationis. Quòd si nihil fuerit in eis damnationis, profectò neque reatus quicquam erit. Esto, peccatum Paulus concupiscentiam vocet, quippe ꝙ aduersatur spiritui. Quia tamen eum qui baptizatur, hęc concupiscentia reum haudquaquam facit, non est eo modo putanda peccatum esse, quo stuprum, quo mollities, quo auaritia, quo idololatria peccatum est, quæ nimirum gehennæ reos peccatores constituet. Quando igitur tam dilucidis testimoniis compertissimum est, peccatum in baptizato non ad hunc modum manere, quid amplius verbis contendis, fomitem qui relinquitur ad hunc modum esse peccatum?

Luth. ¶ Apostolus enim manifeste dicit, se captiuum duci in legem peccati, & concupiscentiam, authoritate legis cognitam à se peccatum, quã iterum vocat peccatum ita in carne sua habitantem.

Episc. ¶ Eandem argumentationem in te retorqueo. Apostolus manifeste dicit, Christum pro nobis factum esse peccatum. Quamobrem & Christus erat propriè peccatum. Hanc vbi dissolueris, eadem facilitate dissoluemus & tuam. Nam si dixeris, alia ratione peccatum attribuitur Christo, alia negatur ipse fuisse peccatum. Sic & nos dicimus, alia ratione fomes peccatum appellatur, & adulterium alia. Nam quum Paulus intra breuem hanc sentẽtiolam, res tam diuersas, vna voce voluit intelligi, quid prohibet in tota epistola, quæ & eadem omnium authorum calculis obscurissima est similia fieri? Nempe vt eandem vocem pro variis vsurpet significatis, quod & fecit haudduble. Quàm variè (te quæso) mortem accipit, nũc pro morte corporis, nunc pro animi morte, nonnunquã pro gehennæ morte, aliquando pro morte qua peccato mortui sumus. Similiter & legem, aliquando pro lege veteri, aliquando pro noua, nõnunquam pro lege peccati, & interdum pro naturæ lege. Quas acceptiones si quis confundere velit, nũquam intelliget ea quæ scripsit Paulus. Nam vbi vox varia quædam significat, nisi quis apte secernat & secet eius significata, nunq̃ recte scripturas interpretabitur. Quod & Paulus Timotheum admonuisse videtur, cum iusserit eum recte secare sermonem veritatis.

Quàm varie Paul. mortẽ legemq̃ accipit.

2. Tim. 1.

¶ Quomodo enim non erit vere peccatum, cum ad hoc vt vere peccatum esse probet, adducat legem prohibentem concupiscere, & fateatur sese non concupiscere non posse, ac per hoc vero nõ defectu tantum, sed peccato contra legem facere.

Luth.

¶ Locus hic Pauli varie ab interpretibus accipitur, nullumque ferme verbum in eo est, quod nõ geminum habeat intellectum. Lex enim bifariã hic intelligi potest, similiter & concupiscere, atque concupiscentia, vt taceam totius sententiæ duplicem enũtiationem, vel in persona peccatorum, vel in propria ipsius Pauli. Primum Origenes, qui non minus eruditione, quàm acumine librandi scripturas clarissimus agnoscitur, affirmat legem, hic non pro lege Moseos, sed pro lege cordibus hominum inscripta debere intelligi. Aliis contra visum est, vt pro lege Moseos, hũc locum potius interpretentur. Vtcunque fuerit, nihil dubito, quin id in nostra situm sit potestate, quod vel hac, vel illa vetitum sit lege. Porro concupiscentia bifariam etiam accipi potest: aliquando pro fomite seu pro ipso motu fomitis, vt quum Paulus dicit: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius, aliquando vero pro consen

Episc.

Loc. Pauli varie acceptus.

Origenes.

Cõcupiscẽtiã bifariam sumi.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

ſu mētis in id malum, quod per fomitem ſuggeritur. Anima enim (vt Origenes ait) media eſt inter carnē & ſpiritum,quæ ſi coniunxerit ſe carni ad obediendum deſideriis eius,efficitur vnū corpus cum ea.Sin vero iunxerit ſe ſpiritui,efficitur vnus cum Deo ſpiritus.Coniungitur autem hauddubie, vel huic vel illi per conſenſum.Et is animi cōſenſus ad illicita carnis deſideria, vocatur alibi à Paulo, concupiſcentia mala.Nam eam in epiſtola ad Colloſſenſes annumerat aliis animi prauis habitibus,quibus etiam tum carere Colloſſenſes affirmauit.Fornicationem, inquit, immunditiam,libidinem,concupiſcentiam malam,auaritiam.Et paulo poſt ſubdit: In quibus & vos ambulaſtis aliquando,quum viueretis in illis. Ecce iam non erat in eis concupiſcentia mala,ſicut neque fornicatio,aut aliquid cæterorum.Et tamen hauddubie remanſit in eis concupiſcentiæ fomes.Alia eſt igitur concupiſcentia,qua voluntas cōcupiſcit ea,quę ſuggerit caro,& alia quæ ſolius carnis eſt,& quæ fomes, ſeu motᵒ fomitis appellatur. Sed & Corinthios item prohibet,ne ſint concupiſcētes malorum, ne pariter eis contingat,quod Iudæis euenit in deſerto.Hic certiſſimum eſt,non eis vetuiſſe Paulum,quod in eorum non fuiſſet arbitrio poſitum.Non ergo fomes hic ꝓhibetur,quo carere nemo poteſt,ſed voluntas & conſenſus mentis: hoc eſt,ne ſuis animis concupiſcerent ea mala, quæ per carnis fomitem excitantur. Nam vt concupiſcentia quæ ex carne pullulat, non ſic eſt in noſtra poteſtate, vt quum velimus, poſſimus non concupiſcere, ita ea, quæ ex mente proficiſcitur, in noſtro arbitrio poſita eſt, velut omnino ſpontanea. Noſtra enim ſponte,& noſtræ mentis aſſenſu concupiſcimus,ſi quando ſic quicquam à nobis fuerit concupitum, & item idipſum (modo ſic velimus) poſſumus non concupiſcere.Alioqui Paulus non affirmaſſet hāc legis particulam à nobis expleri poſſe, quod & facit ad Romanos.13.vbi ſcribit ad hunc modum: Qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa:

Col.3.

1.Cor.10.

Non adulterabis,non occides,non furaberis,nō falſum teſtimonium dices,non concupiſces. Ecce Paulus affirmat hanc expleri legis particulam, ab eo qui diligit alterum. Quamobrem neceſſe eſt, vt vel neges quempiam alterum diligere, vel fatearis illum, qui ſic diligit,hanc legis expleuiſſe particulam. Cæterum ſi neges quempiam alterum diligere, prorſus contradicis Paulo,qui.1.ad Theſ.4.ſic tradit:De fraterna charitate non neceſſe habetis vt ſcribam vobis.Ipſi nanque diuinitus docti eſtis, vt diligatis vos inuicem.Paucis ergo dicimus hoc præcepto,Nō concupiſces, vetari concupiſcentiam voluntatis duntaxat,qua carnis affectibus ipſa ſe captiuam tradit, nō autem concupiſcentiam carnis,quam penitus vitare nullo modo poſſumᵒ.Neque enim carni vetitum eſt, ne concupiſcat, quippe quæ non poteſt non concupiſcere mala.Sed neque ſpiritui dicitur, Non concupiſces, nempe qui non poteſt non concupiſcere bona.Sed animæ dicitur,quæ inter hos media eſt,vt nō concupiſcat ea,quæ carnis ſunt, neque carnis ſectetur deſideria. Quum enim concupiſcentiam carnis nemo vitare poteſt, ſi fuiſſet ipſa Dei mandato prohibita, fieri nō potuiſſet, quin in illas maledictiones prodigioſas,quæ iuſſu Moſeos tanto apparatu fulminabantur in monte Hebal, vnuſquiſque Iudæorum incidiſſet.Nam in tota illa multitudine,ne vnus quidem erat, qui concupiſcentiam illam carnis non ſit perpeſſus. Et quis tam crudelem exiſtimabit Deum, vt propter eam quę nullo modo fuerat in Iudęorum poteſtate,tanta in eos maledictionum fulmina iacularetur.Horror nimirum eſt legere tot & tam terribiles maledictiones, quæ Deuteronomii vigeſimooctauo capite ſcribuntur, & omnes promulgatæ fuerunt aduerſus eos qui mandata non eſſent obſeruaturi. Quāobrē ſi cōcupiſcētia carnis Dei mādato ꝓhibita fuit,& ea nemo carere potuit, cōſequēs eſt,vt oēs illi fuerāt maledicti.Maledictᵒ Moſes,maledictus & Aaron,maledictus & Iouſue, cæteriq; oēs,ſi ſemel dicam

Concupiſcētia voluntatis ꝓ præceptu ꝓhibita.

Deut.11.

(quantumuis boni fuissent) erãt maledicti. Et ea maledictione quam tot essent calamitates sequuturę, vt nihil eorum commodorum, quæ Deus illi populo fuerat pollicitus, adipiscerentur. Quis vnquam nisi plane insanissimus, ista crederet? Sed dicet hic Lutherus: Non solum hæ maledictiones ferebantur aduersus mandatorum trãsgressores, verumetiã aliarum quarumcunque iustificationum, quæ tradita fuerant in libro legis, quorum erat tantus numerus, vt impossibile fuisset eas omnes à quoquam obseruari. At hoc manifeste falsum esse cõstat ex Euangelio Lucæ, qui Zachariam & Elizabet asserit ambos fuisse iustos ante Deum, & incessisse omnibus mandatis, & iustificationibus absque querela. Non fuit igitur impossibile cuiquam adiuto per gratiam Dei, mandata saltẽ obseruasse singula. Cæterum (vt diximus) si carnis concupiscentia, Dei mandato vetita fuisset, impossibile fuerat hoc mandatum à quouis obseruari, quum nemo potuit hanc vitare cõcupiscentiam. Perspicuum igitur opinor ex eis (quæ diximus) factum esse, quod non carnis sed voluntatis concupiscentia duobus vltimis præceptis sit prohibita. Sed nunc ad rationem Lutheri respondeamus oportet. Quomodo (inquit) non erit vere peccatum concupiscentia, quum Paulus ad hoc, vt eam probet vere peccatum esse, adducat legem prohibentem cõcupiscere? Respondemus legem hanc, siue Mosaica fuerit, siue naturalis, non prohibere motum carnis, qui caueri non potest, sed assensum voluntatis vetat, ne vtdelicet animus concupiscat ea, quæ suggerit caro. Et nos hãc animi concupiscentiam vere peccatũ esse fatemur. Carnis vero concupiscentiam, præsertim baptizatis, negamus aliter peccatum dici, quàm scriptura vocetur manus, & locutio lingua, vti sæpe diximus.

Lucæ.1. Zacharias & Elizabet ex omni pte iusti.

Luth.

¶ Nam & ipsimet cogentur hoc peccatum dicere, quod contra legem fit quocũque modo. At defectus ille, quem extenuando peccatum, sic vocat, certe contra legem est.

¶ Siue defectum appelles, siue fomitem, seu quidquis aliud, ego plane concupiscentiam eam quæ carnis est, contra legem esse, nego. Nam quicquid in decalogo vetatur, sub pœna mortis æternæ vetatur, id quod ex cęteris manifestũ est: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, nõ falsum testimonium dices. Quid horum est, ꝓ si transgressus fueris, nõ capitaliter delinques. Capitaliter itaq; delinquit, quisquis interdicente lege concupiscit. Non est ergo carnis concupiscentia quam lex nobis interdicit, quippe quæ nisi per mortem nobis auferri nõ potest. Sed animi concupiscentia duntaxat interdicitur, quæ sola nostri arbitrii est, & quam elicimus nostra sponte. Sed si vis tam dilucidam huius rei rationem audire, vt nemo nisi pertinacissimus nõ admittat, hãc accipe. Tria sunt in nobis, vt iampridem recensuimus, caro, spiritus, & anima. Hoc tametsi tu non probes, tamen Origenes, Hieronymus, & Augustinus, ac cæteri quique confitentur. Sed & Paulus ipse Thessalonicens. scribens ait. Vt intelligat spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur. Sed & Christus item horũ meminit. Spiritus (inquit) promptus est, caro autem infirma. Et paulo antè: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Velis nolis Luthere, sic ista se habent, nec potes, nisi quàm impudentissime negare, quod quum interpretes vnanimiter, tum sacræ quoque literæ constanter asserũt. Tria sunt igitur in nobis, spiritus, animaque, & caro. Multa spiritus fecit, quæ non toti homini tribuuntur, præsertim quum animus ipse remittatur, vt exempli causa, quum animus carnis desideria sequitur, obmurmurat spiritus, & arguit delinquentem. Hoc delictum toti homini imputatur, verum haud ita delicti quoque reprehensio. Similiter & quum animus spiritui se coniungit, libenterque facit ea quę mouet spiritus, iam licet interim concupiscat caro, non ob id ascribenda est hæc cõcupiscentia toti ipsi homini, sed eius magis amolitio, quã animus facit spi

Episc.

Tria t̃ boĩe, caro, spirit⁹, & anima.

Origenes.

1. Thes. 5.

Matth. 26.

Marc. 14.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quid hō vere cōcupiscit

Si quæuis carnis concupiscētia peccatum esset, peccauit & Christus.

ritui copulatus, toti homini tribuenda est. Id ergo dicitur homo vere concupiscere, quod animus vel carni, vel spiritui addictus, concupiscit. Neque enim simul vtrique inseruire potest. Prohibet ergo lex non carnem, non spiritum, sed animum: hoc est, ipsum hominem, ea quæ carnis sunt cōcupiscere. Nam si quæuis carnis concupiscentia peccatum esset, Christus, cuius caro vitam contra patris institutum concupiuit, hauddubie peccasset. Reluctabatur enim eius caro mandato patris, & mortis calicem refugit, quem tamen pater eum bibere voluit omnino, & misit eum in mundum illius rei gratia.

Luth.

¶ Quòd si hoc vno loco sic licet verbis Dei abuti, vt peccatum' non peccatum dicam', quomodo resistemus neganti in vniuersum omnia peccata in tota scriptura dicenti, quòd adulterium, homicidium, idololatria quoque non sit peccatum, sed defectus & pœna peccati. Si ergo huic resisti debet, oportet vt peccatum simpliciter, præsertim vbi legis prohibitio adducitur, cuius comparatione prohibetur, accipiatur pro vero peccato, aut eludemus totius scripturæ authoritatem.

Episc.

Fomes vere peccatū non est, quemadmodū neque Christus.

¶ Quousque se extēdat legis prohibitio, satis antè diximus, si quicquam satis esse potest. Sed & cum fomitem dicimus non esse peccatum, secundum veram peccati rationem (quanquam Paulus ipsum vocet peccatum) non magis Dei verbis abutimur, neq; scripturæ totius authoritatem eludimus, quam negantes Christum secundum veram peccati rationem peccatum esse, cum tamen Paulus affirmet ipsum pro nobis peccatum esse factum.

Luth.

¶ Non est enim pœna, sed culpa, quādo dicit, concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces. Ergo qui concupiscit (sicut omnis facit baptizatus) scit se lege magistra cōtra quam facit, vere peccare.

Episc.

¶ Liquet ex superioribus, si concupiscentiam intelligas eam, quæ solius carnis, sublato reatu non eul

pam esse, sed pœnam duntaxat. Sin animi concupiscentiam intellexeris, culpa est hauddubie. Cum animus concupiscit: hoc est, cōcupiscentiæ carnis assentitur, tum ipse homo proprie dicitur concupiscere, & legem transgredi. Quontā quisquis ad hunc modum concupiscit, is legi penitus aduersatur.

Quū animus concupiscit, homo dicitur cōcupiscere.

¶ Et mire placet ab Apost. adductū crassissimū genus peccati, quod in nouissimo sensu tractus oēs sentiūt. Quō enim persuasisset, intētiones & opiniones cordis peccata esse, iis qui nondū persuaderi volunt, concupiscentiam esse peccatum, & contra crassissimū sensum experientiæ, & apertissimam legem sapiunt.

Luth.

¶ Crassissimum proculdubio sensum habere mihi visus est, quisquis ea peccata iudicat, quæ nihil habent voluntatis, cum tam sæpe clament authores, nihil peccatum esse, quod non sit voluntarium, quodq; peccatum ex sola voluntate pendeat.

Episc.

¶ Nam quem non facit reum ista lex: Diliges dominum ex toto corde tuo. Quis nō parte aliqua magna seipsum diligit? Verū sciebat Apostolus hoc præceptum sublimius esse, q̄ vt inexercitati capere possent, ideo assumpsit, quod præsumpsit, non posse negari ab ipsis, nimirum omnium sensu cognitum.

Luth.

¶ Hoc vbique video te moliri, vt præcepta seruare nobis impossibile sit, quum tamen Hieronymus palam pronunciet: Anathema fore, quisquis dicit Deum præcepisse quicquam impossibile. Nec Hieronymus modo, verumetiam Ioannes apostolus affirmat, non esse grauia mandata Dei. At quomodo grauia non erūt, quæ nemo potest vllo pacto seruare? Quis enim passiones peccatorum in carne non sentit? Quis nullam omnino carnis concupiscentiam patitur? Quomodo igitur graue non erit hoc mandatum ac longe difficillimum, quo nobis mandatur, vt caro non concupiscat. Adde, quod idem Ioānes in eadem epistola mendacem asseruerit eum quisquis dicit se nosse Deum, & mandata eius nō custodit. Et Paul. clamat: Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed

Episc.

Hieronym.

1.Ioan.5.

1.Ioan.2.

1.Cor.7.

Universidad de Deusto Biblioteca

Matt. 19. obſeruatio mãdatorum Dei. Sed & Chriſtus ipſe negat patere cælum iis, qui mandata non ſeruauerint. Ioan. 14. Si vis (inquit) ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Et rurſum: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Quis ergo tam perfrictæ frõtis eſt, vt neget ea, quæ nobis à Deo mandata ſunt ſeruari poſſe? Verum ſi per cõcupiſcentiam carnis duntaxat concupiſcentiam intelligamus, & eam hoc præcepto, Nõ concupiſces prohibitã, quis nõ perſpicit hoc præceptũ omni ferme momẽto violari, neq; vnq̃ ſeruari poſſe? Nõ igitur ſolũ carnis cõcupiſcentia, quę nobis hoc mãdato, Non cõcupiſces, interdicitur. At Lut. hoc diuerticulo ſuã ſententiam tueri conatur, quod præceptum aliquod eſt, quod à nemine pro hac vita poteſt adimpleri, nempe iſtud: Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua. Cui ego reſpõdeo, aliud eſſe hoc præceptum adimpleri, aliud non violari. Fieri quidem poteſt, vt hoc præceptum nõ violetur, quum tamen pro hac vita valeat à nemine perimpleri. Quæ res vt fiat dilucidior, aduertendum eſt & duplicem eſſe dilectionem, quemadmodum & vitam ac pacem, & ſanitatem, cæteraque id genus, pridem oſtendimus eſſe duplicia. Vna quidem eſt remiſſior, qua Deum in hac vita pro viribus, ſed tamen fractis, & impeditis, diligere nitimur, nempe reluctantes cõtrariis affectibus, qui nos ab hac dilectione reuocare moliuntur. Nunc enim ignorantiæ malum in intellectu patimur, obliquitatis in voluntate, obliuionis demum in corde, vt nemo plene cõſummate diligat ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Nec Paulus ipſe quidem, quod & Auguſtinus teſtatur lib. 1. contra Pelagianos cap. 11. Hęc (inquit) charitas adhuc etiam in tanto Apoſtolo, de die in diem profecto augebatur, quandiu homo eius interior de die in diem renouabatur, perficienda ſine dubio, vbi iam nõ poſſet inflari. Hæc Auguſtinus. Eiuſmodi igitur dilectionem, in patria perfectam expectamus, quando malis iis, quæ nobis ex fomite quotidie ſuppullulant, ſub-

Aliud eſt, præceptũ nõ adimpleri aliũ nõ violari.

Duplex dilectio.

Nẽo in hac vita cõſummate diligit.

latis, Deum noſtrum facie ad faciem contuebimur. Quamobrem & ad mandati huius obſeruationem, quantum ad hanc moribundam vitam attinet, non plus exigitur, quàm vt Deum præ cæteris diligamus, nihilque amemus, quod non ad ipſum referatur, neque vllum denique contrarium huic affectum, noſtros animos occupare ſinamus. Quiſquis ad hunc modum pro hac vita Deum diligit, mandatum hoc ſeruare putandus eſt, tametſi non penitus ipſum adimpleat. Cæterum iſtud aliquanto fiet illuſtrius hoc exemplo: Si cuipiam onuſto graui pondere iuſſum fuerit, vt omnibus viribus, & omni qua poteſt celeritate, montem conſcendat, is, ſi conatum debitum adhibuerit, nihil moratus, præceptum haudquaquam violare, ſed vere ſeruare putandus eſt. Veruntamen quia depoſito pondere multo celerius id feciſſet, idcirco non penitus adimpleuit. Pondus enim obſtitit, quo minus liberè vires omnes ad negotium celerrime perficiendum exerceret. Sic & cum præcipiatur nobis, vt Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & Deum ex omnibus viribus diligamus, iam toque premit onere, vt nequeant plenam impendere dilectionem, ac proinde nõ iam adimplemus hoc. Veruntamen ſi conemur pro virili noſtra, contrarium omnem affectum ex animis reiicere, id ſatis fuerit ad mãdati huius obſeruantiã, vt ipſe defectus adimpletionis, nequaq̃ ad peccatũ nobis imputetur. In qua re vel Aug. cui iſte maxime ĩ hac ſentẽtia nititur audiamus. Is de ſpiritu & litera negotiũ hoc tractans ita dicit: Neq; enim ſi eſſe nõdũ poteſt tanta dilectio Dei, quãta illi cognitioni plene perfecteq; debetur, iam culpæ deputandũ eſt. Aliud eſt enim, nõdũ totã aſſequi charitatẽ, aliud nullã ſequi cupiditatẽ. Quãobrem debet homo, quãuis longe minus amet Deum q̃ eum poteſt amare cõſpectũ, nihil tamen appetere illicitum, ſicut etiam in iis quæ adiacẽt ſenſibus corporis, poteſt oculus nullis tenebris delectari, quãuis

Deũ p̃ cæteris diligere in hac vita ſufficit.

Elegantiſſi. comparatio.

Auguſt.

Cõparatio Auguſt.

non posset in fulgentissima luce defigi. Hæc August. Ex quibus patet, ꝓ non est culpæ nobis deputandum, si non in hac vita consummatam illam dilectionem habuerimus, modo fugierimus illicita quæque. Nos enim hic à mortalibus culpis per gratię adiutorium abstinere possumus: quēadmodum oculus, quamtametsi fulgentissimam lucem ferre non possit, potest tamen non affici tenebris. Atque ita nos quanq̃ nequeamus summum illum perfectionis gradum adipisci, cauere tamen possumus, ne quicquam nostra sponte committamus, quod hanc dilectionem impediat. Sed & idem August. alibi locis pluribus testatur Deum non præcepisse quicquam impossibile, vt in sermonibus de tempore. 61. Deus (inquit) nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est, nec damnaturus est hominem, pro eo quod non potuit vitare, quia pius est. Hoc expende Luthere, & planè perspicies, Augustinum haud sensisse, vel carnis concupiscentiam nobis omnino esse vetitā, quippe quam vitare nullo modo possumus, vel plenam illam dilectionem à nobis exigi, quam neque pro præsenti vita præstare nobis vllo pacto sit possibile.

August.

Luth. ¶ Videamus autem, qua ratione moueātur, vt negent peccatum dici, reliquam baptismo libidinem. Dicunt enim baptismi iniuriam esse, si non omnium peccatorum tribuere dicatur remissionem, sicut habet fides catholica Ecclesię & sanctum Euangelium. Si ergo remissa sunt omnia peccata, quod reliquum est peccatum dici non debet.

Episc. ¶ Et rectè nimirum aiunt. Nam huic rationi tam Ecclesiæ catholicæ, q̃ patrum omnium orthodoxorum authoritas suffragatur, adeoque ipsum Euangelium superius à patribus citatum.

Luth. ¶ Respōdeo, quid hic dicere possum, nisi ꝓ vrgentibus eodem argumento Pelagianis, August. dixit, scilicet peccatum remitti, quoad reatum, sed non quoad actum, seu vt ipsius verbis vtar, peccatum istud reatu transit, actu manet. Sicut enim (vt idem ait) aliquod peccatum transit actu, & manet reatu (sicut est omne actuale) ita econtra hoc originis peccatū, transit reatu & manet actu. Ecce non negat esse peccatū, nec dicit solum defectum aut pœnam esse, sed peccatum actu & vere esse.

¶ Non recte citas Augustinum Luthere, imō tribuis ei, quod ipse nunquam aut scripsit, aut dixit. Nā vbique negat in baptizatis manere peccatum actu. Scripsit vtique aduersus Pelagianos plurima. Nec tamen alicubi reperies ab eo dictum, post baptismum manere peccatum actu. Nō negat certe concupiscentiam actu manere, sed illā vbique (sublato reatu) constanter affirmat non esse peccatum. Sępenumero cōparationem facit, originalis ad actuale peccatum, & docet quemadmodum in actualibus peccatis actus ipsi transeunt, manente reatu, ita in baptizatis manere concupiscentiam, transeunte reatu. Sic enim verba Augustini se habent, primo de nuptiis & concupiscentia, quem locum etiam suprà citauimus. Sic eorū peccatorum, quæ manere nō possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit, sic illius quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Hactenus ille. Ecce non dicit manere peccatum, sed manere cōcupiscētiam, dimisso reatu. Ad hæc lib. 1. cap. 13. contra duas epistolas Pelagianorum de concupiscentia loquens ait: Hęc etiā si vocatur peccatū, nō vtiq; peccatū est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, ꝓ manus eam fecerit, peccata autem sunt, quæ secundum carnis concupiscentiā, vel ignorātiam, illicite fiunt, dicuntur, cogitantur. Quæ transacta, etiam reos tenent si non remittātur. Et ista ipsa carnis concupiscētia in baptismo sic dimittitur, vt quanq̃ tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus. Et quib° tamen, si filios carnaliter gignūt, rursus trahit, rursusq; est nocitura nocētib°, nisi eadē forma renascētibus remittatur, & insit nihil obfu-

Episc. Lutherus Augustino tribuit, quod nunquam scripsit.

August.

August.

Universidad de Deusto Biblioteca

tura vitæ futuræ, quoniam reatus eius generatione tractans, generatione dimissus est. Et ideo iam non fit peccatum, licet hoc vocetur, siue quod peccato facta sit, siue quod peccandi delectatione moueatur, si ei vincente delectatione iustitiæ, non consentiatur. Ecce & hic asserit, quæ verè dicenda sunt peccata, nempe quæ per consensum mentis, secundum carnis concupiscentiam aut ignorantiam, illicite fiunt, dicuntur, cogitantur. Concupiscentiam autem ipsam non esse peccatum constanter asserit, eam tamen dimisso reatu manere, nec vitæ futuræ quicquam obesse, postquam reatus fuerit dimissus aperte cõfitetur. Et rursum contra Iulianum Pelagianum lib. 6. cap. 5. sic ait: In baptismo remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium cõcupiscentiarum mala. Ecce nõ manet peccatum, sed manet concupiscentiæ malum. Et paulo post in eodem: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Mutatos eos dixit in melius, non vt ea scilicet concupiscentia carerent, id quod in hac vita fieri potest: sed vt nõ ei obedirent, quod in bona vita fieri potest: atque vt ab eo, quo erant vinculo eius obnoxii, liberatos se esse cognoscerent, quod nisi regeneratione fieri non potest. Tu autem qui putas, quod si malum esset concupiscẽtia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, nõ omni malo. Quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Hæc Augustinus. Quibus verbis affirmat, baptismo dimissum esse reatum, & eundem carere peccato, quanquam non careat concupiscentię malo. Et cap. 8. eiusdẽ libri: Dixi sane quomodo manent peccata reatu, quæ prętereunt actu, sic econtrario fieri potest, vt concupiscentia maneat actu & prętereat reatu. Quod error quidẽ tuus falsum esse dicit, sed veritas verũ esse conuincit. Hactenus ille. Ecce reatus trãsiit, cõcupiscẽtia manet actu, sed non peccatum actu. Et iterum in eodem capite: Ego enim de concupiscentia dixi, quæ est in mẽbris,

Quare vere peccata dicuntur.

Oĩ ꝓctõ caret baptizatus, non omni malo.

Reatus transiit, concupiscentia

repugnans legi mentis, quanuis reatus eius in omniũ peccatorum remissione transierit, sicut è contrario, sacrificiũ idolis factum si deinceps non fiat, præteriit actu sed manet reatu, nisi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale est sacrificare idolis, vt opus ipsum quum fit, prætereat, eodemq; præterito, reat' eius maneat, venia resoluendus. Tale est carnis concupiscentia, vt maneat in homine secum per continẽtiam confligente, quanuis eius reatus, qui fuerat generatione cõtractus, iam sit regeneratione transact'. Ecce reatu transacto, manet concupiscentia, & non peccatum. Et paulo post: Qui reatus (quanuis eo manente malo) soluitur in remissione omnium peccatorum per Dei gratiam, qua liberamur ab omni malo. Quum Dominus non solum propitius sit omnibus iniquitatibus nostris, verumetiam sanat omnes languores nostros. Ecce manente concupiscentiæ malo, reatus soluitur, & remissio peccatorum fit. Sed vide q̃ apertissime scripturam introducit, subdẽs Dominus in Euangelio: Ecce, inquit, eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & in tertio die cõsummor, post multum tempus (quam hoc dictũ est) passus fuit Dominus, mentiri non potuit. Intelligitur ergo sic: Expulsio dæmoniorum, remissio peccatorum est, eo vtique quo diabolus peccatorum pater atque origo sit. Per id enim quod efficitur, id quod efficit intelligitur. Et itaque expulsio dæmoniorum, est remissio peccatorum, tanquam absoluta caussa, per quam hominis animam possidebat. Perfectio sanitatum, dum de die in diem proficit Ecclesia, & corruptionis (cuius reatus ablatus est) passio, quotidiana renouatione minuitur. Tertio consummatur dũ refurrectionem in seipso initiandam monstrauit Ecclesiæ qua ad corruptionis consummationem, summamque peruenniat sanitatem. Hæc Augustinus, vbi primũ dicit expelli dæmonia, & remissionem fieri peccatorum. Deinde concupiscentiam, cuius reatus iam sublatus est, quotidie minui. Tertio consummari, & perfici noui-

manet actu nõ peccatũ.

Comparatio elegans.

August. Luc. 13. Expulsio dæmoniorũ, peccatorum remissio.

Universidad de Deusto Biblioteca

tatem,ac ſanitatem plenam. Id quod multò apertius dicit.2.lib.de peccatorum meritis & remiſsione cap. 17.Illud nanque præcipuè propter quæſtiones,quæ de hac re motæ ſunt vel moueri adhuc poſſunt,attendere & meminiſſe debemus tantummodo peccatorũ omnium plenam perfectamque remiſsionem baptiſmo fieri,hominis vero ipſius qualitatem,non totã cõmutari,ſed ſpiritales primitias in bene proficientib' de die in diem nouitate creſcente commutare in ſe quod carnaliter vetus eſt, donec totum ita renouetur,vt animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem ſpiritalem incorruptionemque perueniat. Ecce & hic fatetur Auguſtinus,in baptiſmo plenam atque perfectam omnium peccatorum fieri remiſsionem. Et quantum ad reatum,ſequenti capitedicit: Quandiu ergo manet lex concupiſcentialis in membris,manente ipſa, reatus etiam ſoluitur,ſed ei ſoluitur qui ſacramentũ regenerationis accipit, renouariqúe iam cœpit.Ecce per baptiſmum reatus ſoluitur,manente in membris lege concupiſcentiali. Et ſubdit paulò poſt. Nec miraris quod dixi, manente concupiſcentialiter lege peccati,reatum eius ſolui per gratiam ſacramenti.Sic enim facta & dicta & cogitata iniqua, quantum ad ipſos motus animi & corporis pertinet, iam præterierunt & non ſunt. Eis tamen præteritis, & non iam exiſtentibus reatus eorum manet niſi peccatorum remiſsione ſoluatur. Sic contra in hac,non iam præterita,ſed adhuc manente lege concupiſcentiæ,reatus ſoluitur,& nõ erit,cum fit in baptiſmo plena remiſsio peccatorum.Ecce peccata plene remittũtur,& reatus concupiſcentiæ ſoluitur, manente lege concupiſcentiæ.Et tandem in calce ſubiungit Auguſtinus,Sicut ergo non mirum eſt,præteritorum factorum atque dictorum reatum manere ante peccatorũ remiſsionem,ſic contra, non debet eſſe mirum,manẽtis concupiſcentiæ reatum præterire,poſt peccatorũ remiſsionem. Ecce remiſsionem peccatorum reatus concupiſcentiæ præterit, manente concupiſcentia,

In baptiſmo plena omniũ peccatorum remiſsio.

Peccata in baptiſmo remittuntur, reatus tollũtur,manente lege carnali.

ſed non manente peccato.Nec profecto vſquã in Auguſtino legiſſe me memini,peccatum manere poſt baptiſmum.Etſi aliquãdo legatur,oportet intelligi,pro peccato impropriè dicto,ad eũ certè modum,quo tonies ipſe meminit ſcripturam dicit manũ ,& loquutionem linguam.Cæterũ quia Paulus concupiſcentiam peccatum vocat,vt ad Roma.6. Non regnet peccatũ in veſtro mortali corpore, ſic ſimiliter & varios eius motus appellat fornicationem,immunditiam, libidinem,concupiſcentiam malam,& auaritiam. Nam ad Coloſ. ita ſcribit:Mortificate mẽbra veſtra quæ ſunt ſuper terram,fornicationem,immunditiam,libidinẽ, concupiſcentiam malam, & auaritiam. Ecce quibus nominibus Paulus vocat cõcupiſcentiæ motus, & tamen ſi quis rogaſſet Paulũ,an in ipſis Coloſſenſibus eiuſmodi peccata fuiſſent, negaſſet prorſus. Nã proximè ſuperi' aſſeruit his Coloſſenſes fuiſſe mortuos. Non intellexit ergo Paulus in Coloſſenſibus fornicationem,aut auaritiam,aut immunditiam fuiſſe, ſed horum ſtimulos,quos & iuſsit ipſos mortificare. Atq; ita Paulus fomitem,& concupiſcentiam peccatum vocat,quoniam vel ex primi parentis peccato prouenerit,vel ad peccati conſenſum impellat, non quod vere peccatum ſit, ſecundum ipſam veram peccati rationem,vt ſæpe diximus.

Coloſ.3.

Fomitem & concupiſcentiam peccatum vocat.

¶ Rurſum dicent,at nos reatum hunc propriè vocamus peccatum,non illud quod remanet.

Luth.

¶ Et hic rurſum obiicit Lutherus,non vt reſpondeat, ſed vt cauillis elabatur, vt profecto dicũt qui id dicunt, neque aliter quàm hoc pacto potuit Auguſtinus Pelagianos conuellere. Reatus hic propriè vocatur peccatum, at neutiquam peccatum eſt ipſa quæ remanet(ſublato reatu)concupiſcentia.Poſſum pro hac re, locos innumeros ex Auguſtino citare, præter eos quos protuli.Verum ita Lutherus omnem exuit pudorem,vt nihil iam eum pro ſua hæreſis defenſione pudeat, vel mendacia confingere, & quod Pelagiani fecerunt, tanto patri imponere,quæ nun-

Epiſc. Vulpina Lutheri aſtutia.

Perfricuit frontem Lutherus.

quam dixerat. Illi certè (quemadmodum ad Bonifacium scribit idem D. Augustinus) de Christianis talia falsò confinxerũt. Dicunt (inquit Pelagianus quidã) Christiani baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorũ, nec auferri crimina, sed radere, vt omniũ peccatorum radices, in mala carne teneãtur. Cui respondet Augustinus: Quis hoc aduersus Pelagianos nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterum resecanda peccata. Hæc Augustinus, & tam apertè, vt vix cogitari quicquam posset apertius. Et paulò pòst de concupiscentia loquens: Hæc, inquit, si vocatur peccatum, nó vtique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, quod eam fecerit. Hæc ille. Pudet me profecto toties hæc inculcasse, nisi quòd cerno tantam hominis huius esse pertinaciam, vt nisi res cunctis dilucidissima fiat, ipse nunquam agnoscet.

Augu.

Pelagianorũ hæresis.

Concupiscẽtia quomodo peccatũ dicitur.

¶ Respondeo, in re ista seria & sacra, non licet argutiis sophisticis cauillari, quibus effingunt reatum esse respectum inter Deum & peccatorem, quo hic deputatur ad pœnam. Iniuria est gratiæ Dei, si solum istum phantasticum respectum tollere doceatur, quũ vt scriptura loquitur, gratia Dei remouet, mutet, & in nouos homines transformet de die in diem, & resista serio agatur, non respectibus tollendis, sed substãtia & vita mutandis.

Luth.

¶ Iam quũ ipse strophis, & cauillis maximè vtitur, alios dicit argutiis sophisticis cauillari. Verum ad has argutias adactus fuit Augustinus, quum aduersus Pelagianos conflictaretur, vt liquet lib. 6. contra Iulianum cap. 8. Vbi quum ostenderit, quòd in baptismo reatus concupiscentiæ per peccatorum omnium remissionem penitus abluitur, remanente nihilominus ipsa concupiscẽtia, sicut in peccato idololatriæ, trãs-

Episc. Aquã cul pat ardea. August.

eunte actu, manet reatus, mox disserit. Quid sit reat° ipse, substantiá ne an accidens? Et si accidens fuerit, in quo subiecto manet. Cæterum Augustinum ipsum audiamus. Sed quæso te, inquit, quum & ipse concedas, peccati facti, atque tracsacti, reatum manere, nisi sacro fonte diluatur, dic mihi reat° iste quis sit, & vbi maneat, iam homine correcto, rectéque viuente, nõdum tamen remissione liberato? Subiectum est reatus iste, id est, substantia, sicut spiritus, sicut corpus? an in subiecto sicut febris, aut vulnus in corpore, sive auaritia, vel error in animo? In subiecto esse dictus es. Neq; enim reatum affirmabis esse substantiã. In quo igitur tibi videtur esse subiecto. Quur quæram quid respondeas, & non potius verba tua ponã? Actu inquis, prætereunte, manet eius reatus, in illius conscientia qui deliqui t, donec dimittatur. Ergo in subiecto est, hoc est in animo eius qui deliquisse se meminit, & scrupulo agitur conscientiæ, donec fiat delicti remissione securus. Quòd si obliuiscatur se deliquisse, nec eius conscientia stimuletur, vbi erit reatus ille, quem transeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non est certe in corpore, quia non eorum accidentium, quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia eius memoriam deleuit obliuio. Et tamen est. Vbi est igitur, quum iam bene viuat homo, nihil tale committens? Nec dici posit, eorum peccatorum, eius reatum manere qui meminit, eorum vero, qui oblitus est, non manere. Manet omnino donec remittatur. Vbi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodo in mentibus angelorum, vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiauerit, cuius signo crucis consecratur vnda baptismatis vt ea diluatur reatus, tanquam in chirographo scriptus in notitia spiritalium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum? Huic chirographo nascuntur obnoxij omnes in carne, de carne carnaliter nati, ei° ab hoc debito sanguine liberandi, qui in carne quidem, & de carne, nõ

Disceptatio Augu. de reatu.

Vbi reatus consistit.

tamen carnaliter, sed spiritualiter natus est. Hæc Augustinus. Vides iam quemadmodum Augustinus de reatu disquirit, & vrget Pelagianum, vt fateatur vel substantiam vel accidens esse. Et si accidens esse concesserit, vt dicat in quo subiecto statuendus sit. Neq; enim sine subiecto potest accidés suapte natura subsistere. Cæterũ vbicũque fuerit, siue in occultis Dei legibus, seu in mentibus angelicis, seu in pectore peccatoris, per regenerationis lauacrũ hauddubiè tollitur. Neque id dicentes iniuriã aliquam faciunt gratiæ Dei, quin potius eam extollũt & euehunt, asserentes per eam baptizatos, iam vere quã tum ad animam regeneratos esse, renouatosq; & sanctificatos, atq; iustificatos, & nihilominus per eandem dum fomes indies minuitur, eosdẽ de die in diem transformari, donec in eis tandem regeneratio, renouatio, sanctificatio, iustificatio, consummata completaque fiat.

Luth. ¶ Nam ideo corpus mori & incinerari oportet, vt peccatum expurgetur, verus est morbus & serius, qui tam seriam & potestatem exigit medicinam.

Episc. ¶ Non vt peccatũ expurgetur, præsertim in paruulis, vbi nullum remanet à baptismo peccatum, sed vt peccati fomes expietur penitus. Neq; morbum hunc esse tibi facile cõcesserim, sed vt Augustini verbo vtar, languorem quendam appellarim potius.

Luth. ¶ Hæc ipsa enim gratia noui testamenti & misericordia Dei est, quod quia geniti sumus verbo veritatis, & renati baptismate, vt simus initiũ aliquod creaturæ eius, interim fauor Dei nos suscipit & sustinet nõ imputãs ad mortem quod reliquum est peccati in nobis, licet vere peccatũ sit & imputari possit, donec efficiamur perfectè noua creatura, ad finem enim purgationis patris misericordia respicit, propter quem inter medias peccati immũditias, statuit misericorditer ignoscere, donec penitus aboleantur.

Episc. ¶ Nunquã assequéris Luthere meo iudicio veritatem, quandiu promiscue res ad hunc modum hasce cõfundis. Nihil enim distinguis inter regenerationẽ

vnam aut alteram, nihil inter cõcupiscentiam & peccatum, nihil inter veniale peccatum & mortale. Neq; enim dubium est cuiuis erudito, quin factus sit per baptismum Christianus initium aliquod creaturæ Dei, hoc est noua per gratiam inchoat' sit creatura. Verum hanc creationem facile perdit, admisso lethali crimine, quo fit vt reuertatur ad diaboli seruitutẽ. Amisit enim regenerationẽ quam prius accepit, neq; Dei iam, sed diaboli filius efficitur. Non ita tamen, vt oporteat eum denuo baptizari, sed pœnitentiæ sacramento, iam satis ei fuerit reconciliari, quam & gratiã amissam ilico recuperabit. Cæterum nihil opus erit hoc fieri propter veniale peccatum, aut propter manentem post baptismum fomitem, quem gratia quotidie minuit, & purgat, donec totius hominis fiat perfecta consummataque nouitas.

Baptizat initium creaturæ Dei.

Nihil opus sacramento pœnitentiæ propter peccatum veniale.

¶ Hoc Apostolus Rom. 8. sic dicit: Nihil ergo damnationis est in iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Non ait: Nihil peccati in eis est, quum præcedente capite peccatum asseruisset, sed nihil damnationis.

Luth.

¶ Quomodo concupiscentia manente reatu, peccatum dicitur, & quomodo sublato reatu peccatum nullum est, sæpe iam pridem disseruimus, sed & tuum istud argumentationis genus negatiuum sæpius explosimus. Non dixit, inquis, Paulus, Nihil peccati in eis est, sed nihil damnationis. Ex hoc patum dialectice colliges, concupiscentiam esse peccatum, secundum veram peccati rationem. Imò contrarium magis. Nam recte sequitur. Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, ergo nihil peccati secundum veram peccati rationem. Quum quicquid hoc modo peccatum sit, reum constituat & damnationis obnoxium quemcunque, qui sic peccatum habuerit in semetipso.

Episc.

¶ Quia & si sit peccatum in eis, non nocet duplici iure, primo, quia sunt per fidẽ in Christo Iesu, quo mediatore eis ignoscitur, quicquid peccati inest.

Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

Episc. ¶Magna profecto caligine rem istam inuoluis, quum dicis peccatum eis non nocere, quia sunt per fidem in Christo Iesu, quod mediatore eis ignoscitur. Nam quid per ista velis, ego certe vix intelligo. Aut enim opinaris manere peccatum postquam ei Deus ignouerit, aut deleri fundit? Si manet, qualis (te precor) est hæc venia? Quod si funditus deleatur, quomodo fieri potest, vt in iis quibus venia data est, adhuc permaneat? An non ita mendacem constituis Petrum, qui peccata delenda conuersis pollicetur, Vt

Act. 3. deleãtur, inquit, peccata vestra. Dic mihi qua ratione delentur peccata, si permanserint adhuc in eius animo cui talis pollicitatio facta est, vt delerentur. Imo Deum ipsum mendacij reum facis, qui dixit: De

Esa. 44. leui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Profecto si peccata velut nebula deleantur, iam non manent. Falsum est igitur, quod postveniam peccatum manet.

Luth. ¶Secundo, quia non secundum carnem ambulãt, id est, pugnant contra peccatũ vt extinguãt, quo studio, quia inuiti habent peccatum in se, pro non habẽtibus Deus illos habet, nõ nisi gratuita misericordia, ne superbiat quisquã in oculis Dei de munditia sua, sed in humilitate suæ miseriæ seruetur.

Episc. ¶Sed & hæc ratio paucis labefactabitur. Si enim pro non habentibus peccatum, Deus illos habet, qui contra peccata sua pugnent, certe nec imputabit eis peccatum. At Deum non imputare cuiquam peccatum, est eidem remittere & ignoscere penitus. Ignouit ergo Deus & illis omnino peccatũ. Quod si Deus illis omnino peccatum ignouerit, quomodo adhuc manere peccatum putabitur? nisi mentiri deum diserimus, qui quum ignoscat peccatoribus, eorum etiam peccata quasi nebulam se delere testatur. An non facile quiuis intelligit quid sit delere quasi nebulam?

Non imputare peccatũ est peccatum remittere.

Luth. ¶Hoc sensu. 1. Ioan. 5. dicit: Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat, & malignus non tanget eum. At omnis

qui credit, quoniam Iesus Christus ex Deo natus est, vt ibidem dicit. Ita simul verum est, istum non peccare, & tamen peccatum habere, seu malum facere.

¶Ex eo quod D. Ioannes obscurè scripsit, tu colligere moliris, id quod multo quidem est obscurius. Possumus nimirum ex D. Ioanne vtcunque sensum aliquem capere. At quomodo simul in nobis & peccatum sit & non sit, quẽadmodum tu colligis, nullus opinor capere potest intellectus: Ioannes (si tamen Augustino credendum sit) non de quouis peccato loquitur, sed de quodam certo, nempe illo quod est cõtra mandatum dilectionis, vt sit sensus, Qui est ex Deo, hoc est, quandiu seruat hoc semen & hanc in se regenerationem (de qua D. Ioannes ipse loquitur) non habet hoc peccatum, nempe fraterni odij, aut nõ peccat hoc ipso peccato. Nã suprà dixerat: Qui odit fratrem suum, in tenebris est. Et hunc loquendi tropum non semel vsurparunt scripturæ. Nam idem Ioãnes alibi testatur Christum de Iudæis dixisse, Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nec potest hoc de quouis intelligi peccato, sed de certo quodã, nimirum infidelitatis. Ioannes igitur nõ de quouis hic peccato loquitur, sed de odij in fratrem solo. Et quanuis hoc peccato careat, qui natus est ex deo, nihil prohibet eundem in aliis mitis offendere, quemadmodũ & Iacobus ait: In multis offendimus omnes. Et certe non dissimiliter Ioãni loquitur ipse Iacobus, quum duo simul hæc affirmet. Qui offenderit in vno, factus est omniũ reus, & in multis offendimus omnes. Neque enim censet eos (qui iustificati sunt) omnium reos esse, nec tamẽ asserere dubitat eosdem in multis offendere. Non igitur illud vnum de quo dicit: Qui autem offenderit in vno, factus est omnium reus, de quouis accipiendũ est peccato, sed de certo quodã, quemadmodum & Ioannes de certo quodam intelligit, nimirum de charitate. Cæterum quod iustus simul peccet & non peccet, aut eodem momento peccatum habeat & non ha-

Episc. Quomodo peccatum in nobis sit & non sit, nemo capit.

1. Ioan. 2.

Ioan. 15.

Iacob. 3.

Iac. 2.

beat, nunquam Luthere comprobabis. Nam fugiunt ista sensum & rationem omnem.

Luth. ¶Concludamus ergo cũ pulcherrimo verbo Augustini, peccatum, inquit, remittitur in baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur. Ecce est & remanet peccatum, sed non imputatur.

Episc. Dignũ patella operculum. ¶Dignum certe patella (vt in prouerbio est) hoc operculum accessit, nempe pudendum errorem, mẽdacio concludit apertissimo, vbi (te quæso) dixerat hoc Augustinus? Cita locum, quod & hauddubie fecisses, modò res ita haberet. Non vtique peccatum Augustinus manere dicit in baptizatis, sed concupiscentiam, quam & creberrimè negat peccatum dici, nisi quomodo scriptura manus dicitur, & loquutio lingua, nempe quoniam in nobis peccato facta est. Crebrò igitur affirmat concupiscentiam in baptismo remissam, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quam & vbique clamat, sublato reatu, nõ esse peccatum.

Luth. ¶Quare perseuerandum est in vsu scripturæ & antiquorũ, & non defectum, sed vere peccatũ appellãdum libidinẽ, & alias passiones reliquas baptismo.

Episc. ¶Redde mihi quemlibet antiquorũ (modo sit orthodoxus) qui tuæ sentẽtiæ subscribat, & asserat peccatum secundum veram peccati rationem, in baptizatis relinqui, & protinus herbam tibi porrigemus. Ego certe non paucos, & eosdem vetustissimos, grauissimosque paulo superius recensui, qui planè contrarium apertissimè testãtur, quique pro sua sententia scripturis nituntur dilucidissimis.

Luth. ¶Etaliud esse omnia peccata remitti, aliud omnia tolli. Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere, id quod illos fefellit, qui remissionem intellexerunt omnimodã expurgationẽ, ac sic defectum pro peccato accipere seipsos coegerunt, ex malo intellectu in peiorem lapsi.

Episc. ¶Quid vis aliud Luthere, si non tibi verbũ istud remittere, satis fuerit. Num si dixisset scriptura purgari peccata, crederes ea non manere? Et hoc scriptura quoque non semel asserit. Nam diuus Paulus de Christo ad Hebræos meminit, quod purgationem effecerit peccatorum. Et D. Petrus in epistola sua secũda similiter. At si verbum istud nõ satisfaciat, quid de expiatione dicemus? Ex hoc nimirum verbo, D. Paulus vtitur ad Hebræos secundo de Christo loquens, quòd debuit per omnia fratribus similis reddi, ad expiandum peccata populi. Sic enim traduxit Erasmus. Sed quid multis moror? An non Ioannes dixit, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et quid, te quæso, remittere est aliud, quàm tollere? Num forte (quod Pelagiani nobis obiiciunt) opinamur, baptismo radi peccata, & non radicitus tolli, sed manere post baptismum radices peccatorum? Absit. Nam & hoc Christianæ Reipublicæ proceres condemnarũt, velut sacris literis aduersum, & prorsus inimicum. Tolluntur enim hauddubiè peccata per baptismum omnia, id quod prophetæ non tacuerũt, quemadmodum ex Hieronymo suprà recensuimus. An quum iubemur fratri remittere si quid in nos deliquerit, non euellere penitus omnẽ offensam ex corde tenemur, & prorsus condonare? Alioqui partem aliquam iuxta te retinere licebit. Quod qui fecerit, is profecto nullam à Deo veniam sperare potest. Tu plane falleris, non illi quippe qui remissionem istam velut rasuram quandam existimas, & non magis plenam omnium peccatorum euulsionem.

Heb.1. 2.Pet.1 Ioan.1.

Luth. ¶Nam hæc sententia eorum, homines in securitatem & superbã præsumptionẽ ducuntur dum peccatis ablatis sibi puri visi, omittunt studia expurgandi peccati, vt cuius conscij iam non sunt. Quta impia opinione plurimi pereant necesse est.

Episc. ¶Nullum inde periculum imminet, aut securitatis, aut superbæ præsumptionis, nisi stultis, qui nolunt aduertere, quàm fuerit sibi singulis momẽtis aduersum concupiscentias suas dimicandũ. Quibus ut diligentius prospiciant quum in priora peccata, tum

in longè grauiora multo deterius corruét, necessum est. Quis enim non potest, si surrepserit negligentia, de virtutum culmine, rursum ad vitia delabi, & in trãquilitate positus, breui momento naufragium pati? Certe quisquis istud cogitat, nunquam omittet studium cohibendæ concupiscentiæ, quantumuis per sacramenta, si liberum à peccatis prioribus factum sibi persuaserit. Semper enim pertimescet, ne si per incuriam relabatur, suus lapsus maiori sibi vertatur ingratitudini. Verum tu videris Luthere, in quantum desperationis barathrũ omnes deiicias, quum sacramentis neges peccata tolli, aut quàm stolidam securitatem peccatoribus suades, quum doceas fide sola, scelera quantumcunque grauissima deleri, nihil explicans quãta & qualis fides ad hoc exigatur. Quòd si feceris, tum profecto cunctis palàm innotescerer, in quantum laqueum eos induxeris.

Luth. ¶Sed & eò peruenerunt insaniæ, vt etiam libidinem ineuitabilem parentum sanctorum, dum generant quantumuis indomitam, & summo, inuictoque furore, contra legem Dei concupiscentem, defectum vocare, sint coacti. Hoc est vere nimis extenuare peccatum, dicere tam atrocem libidinis impetum, esse defectum. Sed de hoc satis.

Episc. ¶Hic audio te dicere, libidinem quantũuis indomitam, & summo inuictoque furore, defectum à quibusdam vocari, non peccatum. Quum tamen qui sic vocarit, neminem exprimis. Ego igitur quid hac de re senserit Augustinus, paucis subiiciam: Is enim affirmat ardentiorem amatorem etiam propriæ vxoris adulterum esse, & qui contra naturæ morem eam cognouerit, execrabilius facere, quàm si sic abusus fuisset meretrice. Ecce quomodo libidinem ardentiorẽ vel ex propria perceptam vxore, peccatum vocat August. Cæterum idem lib. de bono coniugali, cap. 6. sic distinguit: Coniugalis concubitus, generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ verò satiãdæ, sed tamen cum coniuge propter fidem thori, venialem

habet culpam. Adulterium verò, siue fornicatio lethalem habet culpam. Hæc Augu. Ecce in primo, nulla culpa, nempe quum sola generandi causa concubitus sit. In secũdo venialis. In tertio lethalis culpa est. Sed an libido culpam aliquam habuerit, an nullam, nihil ad articulum spectat. Hoc enim tibi, sicut & alia pleraque superius allata, penitus extra causam declamatum est. Nihil enim ad peccatum paruulorum attinebant illa quòd tamen in eis post baptismum remanere te monstraturum es pollicitus. Sed & quisquis id negauerit, hunc Paulũ & Christum conculcare clamabas, cũ nihil horũ hactenus probaueris. Quin tu potius hæc asseuerans Paulũ & Christum conculcas, id quod lectori (feceris nécne) iudicãdum relinquo. Quamobrem hic huius articuli finis esto.

ARTICVLVS TERTIVS.

FOMES peccati etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur à corpore animam ab ingressu cæli. *Luth.*

¶Deesse hic nonnihil opinor ad sententiæ integritatem. Nam quomodo moratur fomes animam à corpore, & ab ingressu cæli? Sed de anima loquitur postquã à corpore migrauerit, quam ab ingressu cæli per fomitem putat remorari. Quanquam de peccato originali variæ sint apud scholasticos opiniones, ego tamen libenter Augustinum sequor, qui visus est vbique dicere. Reatus baptismo tollitur, vt iam non proprie peccatum dicatur amplius ea, quæ manet in carne concupiscentia, sed neque si quẽ in animo motum ea concitet, modò mens ei non cõsentiat in peccatum, is motus illi imputabitur. Quod & dilucide testatur August. libr. 1. de ciuitate Dei cap. 25. sic inquiens: Quod si illa concupiscentialis inobediẽtia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua moueatur, quanto magis absq; culpa est in corpore non cõsen- *Episc.*

Peccatum originale duobus constare, videlicet concupiscentia & reatu.

tientis,si absque culpa est in corpore dormiẽtis.Hæc Augu.Ecce concupiscentialem inobedientiam membrorum,asserit tam in corpore nõ consentientis culpa vacare,quàm in corpore dormiẽtis. Reatus igitur eius seu mentis in eam consensus, qui ad animã pertinet,postquam aufertur per baptismum,quid iam superest,ꝙ animam à corpore & à membris concupiscẽtiæ separatam, ab aditu in cæleste regnum remoretur?Nihil profecto.Quã rem Augu.lib.2.de peccatorum meritis,& remissione cap.28. testatur inquiens: Sicut enim facta & dicta & cogitata iniqua,quantum ad ipsos motus animi & corporis pertinet, iam præterierunt & nõ sunt,eis tamen præteritis, & non iam existẽtibus,reatus eorum manet,nisi peccatorum remissione soluatur,sic contra in hac,non iam præterita,sed adhuc manente lege concupiscentiæ, reatus eius soluitur,& non erit,quum fit in baptismo plena remissio peccatorum.Denique si cõtinuo consequatur ab hac vita migratio,non omnino quòd obnoxiũ hominem teneat,solutis omnibus,quæ tenebant. Hactenus ille.Audis hic ex D.Augustino, solutis per baptismum omnibus,quibus reus peccator habebatur, nihil omnino superesse, protinus ex hac vita migraturo,quòd eum ab ingressu cæli detineat.Sed iam rationibus tuis respondeamus.

August.

Solutis peccatis nihil est ꝙ ab ingressu cæli animam detineat.

Luth. ¶Quanuis hanc conclusionẽ,sæpius testatus sim non assertam, sed disputatam, tamen iam non disputo sed assero eam,postquàm nihil video contra eam produci ab vllo aduersario.

Episc. ¶Hoccine tibi videtur satis vt approbes & asseras esse verum, quicquid ab aduersariis tuis non impugnetur?Inspectare potius oportuit orthodoxorũ patrum libros,quidnam illi senserint,vt tuam illis conformare sentẽtiam potuisses,nam si sic mentiri veritatem velis,vt illud verum affirmas,quoties ij, quorum ipsi iudicium haudquaquam probas , nihil asserunt, quo tua sententia damnetur , parua tibi fides in tuis assertionibus adhibenda est.

¶Si enim vera sunt quæ proximo articulo dicta sunt,fomitẽ esse vere peccatum, per gratiã Dei verã magis ac magis purgandum,& nemo possit cum peccato cælum intrare,sicut.2.Pet.3.promittit,Cælos nouos & terram nouam expectamus, in quibus iustitia habitat.Puto satis proba consequentia duci, Animã fomite impediri ab ingressu cæli. *Luth.*

¶Duo memoras , nempe fomitẽ esse peccatum & eũdem magis ac magis per Dei gratiã esse purgandũ. Vt istud tibi concedimus,ita illud constantissime negamus.Nam fomitẽ sublato reatu peccatum nõ esse, satis abunde superiori docuimus articulo. Sed finge nos vtrunque donasse tibi, nisi tertium iis adiunxeris,nempè fomitẽ ipsum in anima,postquàm à corpore soluta sit,manere,nunquã ex eo colliges, animam ab ingressu cæli posse per illum remorari . Nos vero cum Augustino dicimus,fomitem ad corpus pertinere,reatum autẽ ad animum.Atque ideo negamus animam sublato reatu,simul & extincto corpore, per fomitem præpediri , quo minus ingressus ei pateat in cælum.Nam de paruulis hoc certissimum est, ꝙ sublato per baptismum ipso reatu, si tunc à corporibus eorum animæ migrarint,protinus in cælũ essent auolaturæ.Quod certè nõ fieret,si fomes in eorum animabus remaneret.Quamobrem & palàm est, non in anima,sed in carne remanere fomitem. *Episc.* *Fomes ad corpus,reatus ad animam pertinet.* *Fomitem ab ingressu cæli animã nõ morari.*

¶His adde,ꝙ illi fingũt,& ego per impossibile posui,fomitem esse posse sine peccato actuali, quũ assidue lex membrorũ captiuet & repugnet legi mentis, vt Paulus cõqueritur.Res enim viua & quotidie mouẽs est peccatum, sicut & ipsa anima in qua habitat. Nã & iustitia res est viuẽs & mouens. Nõ enim quiescere potest anima, quin vel amet, vel odiat eà quæ Dei sunt.Vnde fit vt quum ipsimet concedãt actuale peccatum morari ab introitu cæli,cogentur concedere, quod & fomes moretur, qui origo viuacissima & inquietissima actualium peccatorum est. *Luth.*

¶Sed neque hac collectione quicquã statues,nisi *Episc.*

priusin anima fomitē ſuum habere domicilium probaueris,quod ego prorſus inficior.Eſto fuerit fomes origo quantumuis inquietiſsima viuaciſsimaque nihil tamen in animam agit, abſque conſenſu mentis. Quandiu mens non aſſentita fuerit, fomes carnis nihil oberit ad ingreſſum cæli. Cæterum lōge aliter eſt de peccato actuali,quod animam occupat per voluntatis aſſenſum. Irrepſit enim ipſum ſtimulante fomite. Quo fit vt niſi peccatum ipſum ante condonetur,animam prorſus impedit ab ingreſſu cæli.

Luth. ¶Omitto hic dicere,quod originale peccatum,vt omnia peccata,ita & incredulitas eſt.At nemovnquā ſatis diligit,credit,expectat quādiu eſt in carne. Spiritus enim prōptus eſt,ſed caro infirma,etiam in Apoſtolis,ideo fomes vere eſt actuale peccatum, actualis priuatio,ſiue defectus eius rei, quæ adeſſe debet, & actualis poſitio ſeu præſentia infirmitatis & aliorum affectuum,qui deeſſe debent.

Epiſc. ¶Bone Deus,qualem hic audio collectionem?Nihil profecto mirum eſt,ſi multos in errores incideris, quum ſimilibus argutiis vſqueadeo futilibus innitaris. Quid ſi nemo.ſatis diligit retrahente fomite, & quid ſi caro ſit infirma,non ob hæc conuinces,fomitem actuale peccatum eſſe?Iſta magis quæ ſequuntur ad rem faciunt,nempe quòd ſit actualis priuatio,ſeu defectus eius rei,quæ deberet ineſſe,& actualis poſitio infirmitatis,& aliorum affectuum qui deeſſe debe rent.Ex iis rectius colligeres fomitem peccatum eſſe, modo peccatum aliquod in carne confiteremur.Sed nos extra animam cum Auguſtino nullum omnino peccatum reponimus. Quod ſi dixeris fomitem ſaltem hunc defectum, & hanc poſitionem in anima producere.Reſpondemus,nō ex eo ſatis probe colligi, fomitem eſſe peccatum actuale, ſed defectum illum,& illam poſitionem magis præſertim quum per negligentiam, aut conſenſum mentis intra animam ſemel admiſſa fuerunt.

Luth. ¶Vt vere dixerit D. Iacobus: Non eſſe initium

creaturæ Dei nondum complementum, partim iuſti, partim peccatores,hoc vno ſalui, & ab impiis diſcreti,quod peccatum agnoſcimus, confitemur & expugnamus,cui illi potius obediunt.

Epiſc. ¶Nuſquam certe apud Iacobum lego, fomitem, aut concupiſcentiam peccatum eſſe.Sed hoc lego,vnumquenque à concupiſcentia ſua tentari,cui ſi cōſentiat,mox eūdem in peccatum trahi. Vnuſquiſque (inquit) tentatur à concupiſcentia ſua,abſtractus & illectus. Deinde, concupiſcentia quum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò quum cōſummatum fuerit, generat mortem. Hæc palàm oſtendunt concupiſcentiam peccatum non eſſe, tametſi ſtimulet ad peccādum.Porro quòd ex eodem affers,nos initium aliquod eſſe creaturæ Dei,nondum complementum nihil refragor.Nunc per gratiam initiamur, vt ſimus filii Dei,verum poſthac,quum abſorpta penitus fuerit carnis & fomitis rebellio,donatique perfecta filiorum adoptione,tam corpore quàm animo,per gloriam conſummabimur,& tum id quod iam initiatum eſt,vere complebitur.Nam quum in originali peccato duo ſunt,nempe reatus & fomes.Reatu per baptiſmum abluto, manet adhuc fomes, qui per aſsiduam carnis mortificationem tādem aſſumetur. Verum ex hoc haudquaquam conſequitur, fomitem peccatum eſſe, neque quod animam ipſe remoretur ab ingreſſu cæli,ſi reatus ei ante per baptiſmū ablutus fuerit.

Iacob.1.

In originali duo ſunt reatus & fomes

ARTICVLVS IIII.

Luth. Imperfecta charitas morituri ſecum fert neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnā purgatorii,& impedit introitum regni.

Epiſc. ¶Si nos huic articulo nonnihil adiecerimus, quod alibi tu conſtanter aſſeris, hoc eſt neminē, qui hinc migrauerit, habuiſſe perfectam charitatem, ilico ſequetur, vt nemini protinus à morte patuit in cælum

aditus,nisi pri' purgatorii pœnas ipse luisset. Quod sanè quàm absurdissimum est. Nã ita quum alii,tum Stephanus ipse, qui proxime ante mortem vidit cælos apertos,eosdem post mortem obseratos inuenisset,nisi prius in purgatorio fuisset purgatus.Sed agè, comprobemus id quod per nos assumptum est. Neminem perfectam habuisse charitatem.Id quod faciemus ex tuis assertionibus potissimum. Asseris ipse, quemque iustum in omni opere bono peccare. Stephanus ergo pro Christo mortem oppetiens in ipso opere peccauit. Atqui cum peccato, vel tua sententia, perfecta charitas stare non potest, quamobrem vt Stephano charitas fuit imperfecta, ita pariter & timorem habuisse comprobatur. Adde, quod Stephanus fomite non caruit. Fomes autem per te peccatum.Ad hæc,fomes peccati iuxta te,quãquam nullum adsit actuale peccatum, moratur tamen animam ab ingressu cæli.Quando igitur nemo tibi caret peccati fomite, quum in hac moribunda vita, quisque non sanus est,sed sanandus,non iustus,sed iustificandus,nemini iuxta tuam opinionem, hinc discedenti confestim introitus in cælum patet.Quod à veritate quàm longe fuerit alienũ,quis non videt. Cæterum quid ipse pro hoc articulo astruendo profers in medium,iam audiamus.

Luth. ¶Quum de iis rebus & de vniuerso statu animarum sanctarum post mortem, nihil habeat scriptura sancta,sicut nec de purgatorio,nihil possum adducere pro isto articulo quem neque asserui.

Episc. ¶Ex hoc sanè teipsum & maxime quidem prodis quisnam sis. Quid enim attinet de rebus hisce disserere,quas ipse putas probari non posse?Præsertim quum tu nullam admittis probationem,nisi quæ per scripturas fit,& has pro purgatorio asserendo, negas vllas inueniri posse. Ad quid igitur (te quæso) confert hæc disceptatio, nisi ad subuersionem audientium? Hoc nimirum quæris, vt Germani tui male de purgatorio sentiant, quo facilius ipsi contemnant

indulgentias. Sed tibi esto,displiceant indulgentiæ. Num propterea debes hoc errore seducere populũ, vt credant non esse purgatorium? Tu dicis te credere.Quid tum?Si populus audiat abs te, purgatorium probari non posse,neque teneri quenquam Christianum ad fidem eorum, quæ neutiquam ex sacris literis haberi queant, purgatorium protinus existimabunt rem commentitiam,id quod profecto,nisi vehementer fallor, moliris. Sed & teipsum implicas hæc asserens, nempe quum ais, probari purgatorium ex sacris literis neutiquam posse,simulque nullam præter quàm ex iis probationem admittendam esse,& tamen præter hæc vere te credere purgatorium esse.Sit vere purgatorium credendum sit, & sacræ desunt literæ,quibus ipsum astruatur, aliunde certe petì debet huius rei comprobatio. Neminem enim vsqueadeo cæcum arbitror,vt non videat æquum esse,quatenus Ecclesiæ non desint,pro veritatibus,quas credit,iustæ probationes. Quales quum non præstent sacræ literæ, ex aliis saltem petendæ sunt locis,nimirum à traditionibus apostolicis,ab Ecclesiæ consuetudine,à sacris interpretibus, & demum ab id genus cæteris,de quibus antè fecimus mentionem.

Lut. vndeaquaque constrictus.

Luth. ¶Nunc autem asseró, & ipsam ex præcedentibus infero & probo. Quum enim Ioannes apostolus vere dicat:Timor pœnam habet,& timorem non expellit nisi perfecta charitas, vt idem dicit, clarum arbitror hinc fieri,timorem esse in imperfecta charitate, quæ eum expellere nequit.

Episc. ¶Fallere nos hac argumentatione tua conaris Luthere.Nam aliter accipis ipse perfectam charitatem, aliter Ioannes hoc loco. Ioannes enim tamen perfectam appellat charitatem, quando sic viuitur,vt non violetur fraterna dilectio. Nam hoc mandatum nouum sæpius vocat,quod & in hac vita seruandũ esse, passim cõtestatur.Sed &quisquis illud seruat,hũc asserit perfectã Dei charitatẽ habere.Qui seruat,inqt, verbũ eius, nẽpe de fraterna dilectione, vere in hoc

Perfecta charitas est quãdo sic viuitur, vt nõ violetur fraterna dilect. 1.Ioã. 2.4.

charitas Dei perfecta est. Et rursum inquit: Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. Hanc insuper charitatem paulo post affirmat præbituram nobis erga diem iudicii fiduciam, timoremque foras missuram, vt iam seruato fraternæ dilectionis mandato, liberi simus a formidine futuri cruciatus. Nam si quoddam per incuriam nostram, nobis interea peccatum subrepserit, charitas ista (cui fidere iubemur) multitudinem operit peccatorũ. Vides iam qua ratione Ioannes affirmat perfectam charitatem foras mittere timorem. Tu tamen hanc scripturam ita torques, vt videatur ea de charitate patriæ ita loqui. Nam tu nullam vis perfectam intelligi charitatem, nisi postquam hinc migrauerimus sublata penitus omni fomitis rebellione. Aliter itaque Ioannes perfectam intelligit charitatem, aliter tu. Quamobrem non potes non male colligere, duas has charitates confundens, & alteram pro altera vsurpans. Nam iuxta D. Ioannis, de perfecta charitate sentẽtiam, non est dubium, quin complures hinc exierint, perfectam habentes charitatem. Verum iuxta tuum de perfecta charitate sensum, nemo cũ perfecta charitate potest hinc exire.

Perfecta charitas foras mittit timorem.

Aliter Ioãnes intelligit pfectam charitatem, aliter Luth.

¶ Hoc autem vitium charitatis (sicut Augustinus appellat) quid est aliud quàm fomes & residuum originalis peccati, ꝙ hominem priuauit à recta, secura & perfecta charitate Dei? Quare verum est, imperfectã charitatem impediméto esse ad introitum regni propter vitium quo imperfecta est. Et scio aduersarios nihil habere quod contradicant, nisi suas opiniones sine vlla authoritate scripturæ.

Luth.

¶ Si quod vitium in hac charitate fuerit, postea dicemus. Interea non refragamur hãc charitatem, quã Ioannes perfectam asserit, repugnantem sibi carnis fomitem perpeti, qui & est (vt dicis) residuum originalis peccati. Sed & idem fomes, vt iam remanet cum illa, quam Ioannes perfectam vocat charitatem, ita neque vitiat eam culpabiliter, neque quéquam eam

Episc.

habentem excludit ab ingressu in regnum Dei. Relinquitur enim in morte fomes vna cum carne, à quibus anima facta iam libera fraternam possidens charitatem, fiduciã habet ingrediundi cælum, à quo nul lam omnino repulsam metuit: quẽadmodum de parvulis nuper baptizatis superius ostendimus. Nam ipsi protinus vt hinc discesserint, in cælum euolant nihil à fomite morati. At inqules: Quis hic veram fratris dilectionem assequutus est? Tibi respondeo. Iuxta tuam opinionem nemo in hac vita potest assequi. Nam singula mandata facis nobis impossibilia. Verũ iuxta Ioannis hanc epistolam, multos non dubito fuisse assequutos. Nam solos hos qui charitatem istam obtinent, in Deo manere, & Deum nosse, atque in lumine esse Ioãnes confitetur. Porrò multos fuisse, qui dum hic viuerent, in Deo manebant, Deum noscebant, lumineque illustrabantur cælitus, nemini non persuasissimum esse reor. Hæc ergo charitas, de qua Ioannes tradit, quanquam non sit illa quæ post hanc vitam consummatissima futura est, nihilominus est pro statu viæ perfecta, timoremque expellit, & præbet fiduciam ingressuris in regnum. I nunc Luthere, & gloriare te scire, nihil habere tuos aduersarios, ꝙ sententiæ tuæ contradicant, præter opiniones suas, absque vlla authoritate scripturæ, quum tua scriptura, quam tu falsum & in diuersum contorques, maxime pro illis faciat, planeque conuincat multos fuisse, qui timore propulsato, perfectam in hac vita charitatem, iuxta morem loquendi scripturarum, assecuti sunt.

Relinquitur in morte fomes vnà cũ carne.

Singula mãdata Luth. impossibilia.

1. Ioan. 4. Charitas ꝙ statu viæ pfecta timorẽ pellit, præbet q̃ fiduciã ingressuris ĩ regnum.

¶ Quis ergo iam neget, timorẽ istum pœnam habentem, posse vere purgatorium esse solum, quum non sit maior pœna spiritus nostri, quàm fuga & paruor? Nisi quis contra omnium sensum sapere velit.

Luth.

¶ Quum dixit Ioannes: Timor pœnam habet, cruciatum intellexit miseræ conscientiæ, quæ fraterna careat dilectione. Metuit enim iram Dei, quisquis odio in fratrem laborat. Verum nec is metus, neque

Episc.

Universidad de Deusto Biblioteca

cruciatus inde prorumpens, quicquam facit ad animæ purgationē, nisi protinus ipsa resipuerit. Quòd si resipuerit, non absterserit tamen per veram pœnitudinem reliquias peccatorum, verisimile est non timorem solum, verumetiam inordinatum amorem atque id genus alios affectus manere non expurgatos. Ob quos expurgandos, multo rationabilius Ecclesia credit ignem statim purgatorium, quā Lutherus qui solum cruciatum ex timore prouenientem opinatur animarum purgatorium efficere.

Luth. ¶Et scriptura paucis locis ignem, frequentissime autem pauorem tribuit damnatis & impiis, vt Psalm. secundo, Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Et omnes fatentur faciem iudicis Christi fortius torturam impios, quàm ipsum ignem inferni.

Episc. ¶Hi loci scripturarum quos memoras, nihil ad purgatorium spectant, sed neque ad gehennam. Neque enim gehenna qui torquentur, visuri sunt faciem iudicis, nequevocem eius audituri. Porro si de gehennæ supplicio loqueris, q̃ damnati & impii (vt tu dicis) perpetiuntur, non raro Christus in Euangeliis hoc supplicium ignem vocat. Quod qui vel semel Euangelia perlegerit, non potest ignorare. Sin de purgatorii cruciatu velis intelligi, quomodo qui negas vllum pro illo in scripturis haberi testimonium, has iam in hunc finem scripturas citas? Cæterum an ignis aliquis purgatorius ex scripturis comprobari posset, in eius articuli confutatione quem de illo peculiarem habes inferius dicturi sumus.

Luth. ¶Iam cum ipsimet fateantur, animas non ab igne sed in igne pati, quam possunt aliam pœnam dare, q̃ fugam & horrorem?

Episc. ¶Ex vniuersa certe disputatorum turba, nemo est qui tuæ opinioni suffragatur. Nam omnes ab igne pati non dubitant, quanquam non penitus eodē modo, sed plerisque visum est, ignem vt instrumentum Dei motū animas vere cruciare, in quorum albo Richardus est, qui non veretur affirmare, quod ignis quanquam sit corporeus, affligit tamen spiritus. Et Bonauentura putat ignem afflictiua qnadam præsentia, spiritus affligere. Et Varro spiritum seu animam opinatur ab igne realiter pati. Scot⁹ arbitratur ignē vt nolitum & apprehensum affligere. Multi volunt animas intentionaliter ab igne pati. Cæterum nemo repertus est, qui non aliquam ab igne molestiam, animas & dæmones accipere credat, præsertim cū in Euangelio Christus asserat hunc ignem diabolo simul & angelis eius fuisse paratum.

Nota doctores.

Luth. ¶Sed secure ipsi sic opinantur de rebus, quarum nihil vnquam gustauerunt & cognouerūt, ideo promptè damnant aliena.

Episc. ¶Si gustasses ipse pœnas & cruciatus istos, tum esset aliqua ratio, cur tibi potius quàm illis crederemus. Sed cum nihilo magis tibi, quàm illis hoc negocium cognitum sit, cur tibi tantum arroges, vt præ illis fides adhibeatur, non video. Et sane quum hi longe plures sint, & nec ingenio, nec doctrina contemnendi, par esset, vt illorum sententiis ipse crederes, nedū non damnares, nisi firmiora pro tua parte produxisses testimonia.

Luth. ¶Ego autem nitor vel vni authoritati Ioannis, qui timori pœnam & timorem dat imperfectæ charitati. Si tantum & ipsi pro sua sententia adduxerint scripturæ, paratus eo doceri.

Episc. ¶Nunquam id mihi Luthere persuadebis, vt sis paratus doceri, quum tantam ipse tibi præ cæteris vindices scripturarum notitiam, nec verearis eis ad tua statuenda mendaciter abuti. Porro quantum authoritas illa tibi proderit, quam ex Ioanne deprompseras, cæteri iudicent, qui superiora sunt lecturi. Ego certe aut plurimum fallor, aut pro nostra tantopere parte faciet, vt nec pervim queat alio detorqueri. Sed ad huius articuli confutationem ista sufficiūt.

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTIGVLVS V.

Luth. TRes esse partes pœnitentiæ. Contritionem, cõfessionem, satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis doctoribus.

Episc. Tres pœnitentiæ ptes. ¶ Multa sunt, quemadmodum in vestibulo nostræ disputationis ostendimus, quę nemo Christianus reiicere potest, tametsi nequeant in sacris inueniri scripturis. Nam pleraque per Christum & apostolos oretenus erant tradita, quæ tamen per eos nunquam erant commendata literis. Neque tamen dubito, quin harum singulæ possent in scriptura sacra fundari. Verum quia fateris te priores duas partes: hoc est, cõtritionem & confessionem haudquaquam negasse, leuasti nos hac opera, vt iam nihil necesse sit, nisi de tertia tecum congredi, nempe de satisfactione. Cæterum neque satisfactionem simpliciter negare visus es, sed qualem ipsi docent, quam & improbare non esse tibi difficile iactitas. Sic enim ais.

Luth. ¶ Malitiose hunc articulum congesserunt. Non enim negaui contritionem & confessionem, sicut tamen sonat articulus, & ipsi videri me talia docuisse volunt, sed satisfactionem negaui, quale ipsi docent, quod mihi non erit difficile probare.

Episc. ¶ Ego certe de quibus loqueris haud scio. Neque enim mihi animus est, priuatas quorundam opiniones tutari, sed communem Ecclesiæ catholicæ comprobare sententiam, quę credit post solutum reatum peccatorum manere quasdam adhuc in animis hominum reliquias, per satisfactionem expiandas, præsertim in quibus non antecessit tanta contritio, quanta potuit (gratia cooperante) totum animum penitus expurgare. Nam si pusillus dolor antecessit, absoluitur à culpa per sacramentum, at remanet adhuc (soluto reatu) rubigo quædam quæ & pœna peccatis debita tolli debent, priusquam anima cælum ingrediatur. Euenit tamen interdum, vt is qui fuerat absolutus, non multa prius admisisset crimina, ad eadem nõ grauissima, vehementi quoque pulsus occasione, tanta sceleris detestatione venisset ad sacerdotem, tanta pœnitudinis acerbitate peccata sua detegisset, tam exundanti lachrymarum profluuio, vt priusquam petiisset veniam, accesserit non solum à culpa liberatus, verumetiam à pœna, cui fuerit obnoxius. Duobus itaque modis (vt suprà diximus) Ecclesia credit peccatores Deo posse reconciliari. Altero per ingentem & acerbum dolorem, nondum absolutionis suscepto sacramento. Altero per susceptionem sacramenti dolore nonnullo præcedente. Vtroque certo modo suam paratus est Deus elargiri gratiam. Secundus tamen modus facilior est, & peccatori securior. Nam quanta (non suscipienti sacramentum absolutionis) pœnitudo suffecerit, explicatu difficile est. Cæterum præter gratiam, siue hoc, siue illo modo comparatam, oportet vt peccator molestias in se tantas suscipiat, quibus reliquiæ peccatorum: hoc est, tam pœna debita quàm rubigo post culpam condonatam relicta, penitus expurgentur. Duo ergo sunt quæ nobis hoc principio statuere necessarium erit. Alterum, ꝓ post absolutionem plerunque maneant eiusmodi peccatorum reliquiæ. Alterum, ꝓ hæ per aliquas molestias à nobis perpessas expiandæ sunt. De priore disseramus primum. Accedat ad absolutionis sacramentum quispiam, qui per totam vitam grauissimis & abominandis sceleribus contaminauerat sese. Et accedat si de ac dolore nihilo maioribus, quàm satis fuerit ad huius sacramenti susceptionem. Ego certe tam fidem q̃ dolorem, voto saltem affectatum, exigi non dubito. Verum si dixero sine fide formata, & dolore qui ex charitate nascitur, neminem ad absolutionẽ suscipiẽdam idoneum esse, quis iam de sacramenti fructu securus esse potest, cum nemini certum sit suam fidem formatam esse, aut dolorem suum ex charitate proficisci? Hæc igitur incertitudo (si quidem hoc dixerimus) peccatorum cõsciẽtias vsqueadeo diseruciabit,

Post solutũ reatũ peccatorũ manere ĩ aĩa reliqias ꝑ satisfactionẽ expiãdas

Duobus modis peccatores Deo reconciliantur

Post absolutionẽ plerũque manẽt ĩ aĩa reliquiæ peccatorum.

Universidad de Deusto Biblioteca

vt innumeros etiam ad desperationem impellet. Tutius est igitur vt dicamus, fidem quamlibet cum nonnullo dolore sufficere, vt quis per sacramenti susceptionem, confidat se prorsus ab omni peccatorũ reatu, iam liberum esse factum. Is ergo quem pridem statuimus omni scelerum genere spurcissime commaculatum, & à primum suscepto baptismate, flagitiis omnibus assuetum, postq̃ à culpa fuerit absolutus, nondum liber est ab omni pœna, quam ex sententia patrum (vti mox dicemus) vel hic vel alibi tolerare debet. Iam nimirum absolutus est à peccato pro reatu, & ab æterna pœna securus, at remanet in eius anima vinculum, & obligatio ad pœnam temporariam, pro peccatis quanquam remissis adhuc perpetiendam. Neq; enim ita remissa sunt, quin dignæ pœnæ debitum adhuc subeundæ maneat, cui peccator est obnoxius. Quod sane dubium inter alia numeratur, cum in oratione dominica dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Neque prius in cælum aditus patebit nobis, quam hęc debita quoquo modo fuerint integre persoluta. Omnibus igitur ad sacramẽtum absolutionis accedentibus, quantumcunque fuerit, inter eos noxarum discrimen, hoc tamen commune est, quod tota penitus cuique cõdonata sit noxa, verum hoc interest, q̃ vnus pœnæ cumulatiori q̃ alius, inde redit obnoxius. Tanta nimirum est diuinę bonitatis clementia, vt incunctanter omnem absoluto condonet reatum, quãquam ipse remaneat ad temporariã pœnam pro qualitate prioris culpæ sustinendam obligatus. Quantum igitur ad noxæ cõdonationem spectat, pares sunt, & qui grauissimis, & qui leuissimis inuoluti sceleribus fuerant. Nam vniuersa singulis est condonata culpa. Cęterum in pœna luenda iustũ est, vt adhuc sint impares qui tam impares antè fuerũt in culpa. Nã scriptum est: Quãtum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Et alibi: Pro mensura delicti, erit & plagarum modus. Quę scripturæ nimirum & hic, & ibi non dissimilem

Cuiq; peccatori p̃ absolutionem tota noxa condonata.

Pœnæ ĩparitas post absolutionis sacramentum.

Apoc. 18.

Deut. 25.

Satisfactio.

habent rationem. Sed hactenus de priori. Iam age secundum comprobemus, nempe, quod vel per molestias aliquas ab ipsis peccatoribus perpetiendas, vel alio quopiam pacto, pœna cui obnoxii sunt persolui debeat. Meminit Euangelium Matthæi, & Lucæ, Ioannem Baptistam, populum ad se confluentem, fuisse cohortatum, vt dignos agerent pœnitentiæ fructus. Agite (inquit) fructus dignos pœnitentiæ. Quem sanè locum, nemo interpretum aliter intelligit, quàm pro pœnitentiæ acerbitate. Clamat Augustinus: Sunt digni fructus virtutũ, fructus qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores postulat. Et Gregorius item: Notandum est (ait) quòd amicus spõsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos fructus pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud nanq; est fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructũ facere. Vt enim secundum pœnitentiæ dignos fructus loquamur, sciẽdum est, q̃ quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur vt licitis vtatur, sicq; pietatis opera faciat, vt tamen sibi voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse (quod est grauius) in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neq; enim par fructus boni operis esse debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit: aut eius qui nullis, & eius qui in quibusdam factnoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur: Facite fructus dignos fructus pœnitentię, vniuscuiusque conscientia conuenitur, vt tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto maiora sibi intulit damna per culpã. Hæc Gregorius. Et Chrys. item: Facite (inquit) fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus, si vtique peccatis aduersa faciamus? Aliena rapuisti, & incipe donare iam propria: longo es tempore fornicatus, à legitimo quoque vsu suspẽdere coniugii, ac perpetuã continentiam sæpius paucorum dierum castitate me-

Matt. 3.

Pœnitentiæ fructus.

Aliud est fructum facere, aliud dignum pœnitẽtiæ fructũ facere.

Universidad de Deusto Biblioteca

ditare.Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fe-
cisti,refer benedictionis verba cõuitiis:& percutien
tes te,nunc officiis,nunc etiam beneficiis placare cõ
tende.Neq; enimvulnerato sufficit ad salutẽ tantum
modo spicula de corpore euellere, sed etiã remedia
adhibere vulneribus. Delitiis antè & temulenta dif-
fluebas,ieiunio & aquę potuvtrunq; compensa,vt fa
mem superes imminẽtem.Vidisti impudicis alienum
decorem oculis, fœminam iam omnino non videas,
maiori tactus cautione post vulnera.Hæc Chryso.Et
Paulus in Actis,affirmat se gentibus annũciasse,qua-
Act.20. tenus pœnitentiã agerent,& cõuerterentur ad Deũ,
digna pœnitentia opera facientes. Ecce nõ satis fuit
eis resipiscere,perq; fidem adDeũ cõuertì,nisi digna
pœnitentiæ opera simul accumularent. Quã rem a-
pertius Romanis indicat,inquiens: Sicut exhibuistis
Rom.8. membra vestra seruire immunditię, & iniquitati ad
iniquitatẽ, ita exhibete mẽbra vestra seruire iustitiæ
in sanctificationem. Hoc est,quo sordes peccatorum
contraxistis ardentiori studio,iam nõ minori debetis
easdem euellere.Neque enim,opinor,te velle cũ Io-
Iouiniani hæresis peccata paria. uiniani sectatoribus asserere, cunctas animas parem
immunditiam contraxisse,atq; in lutum peccatorum
æ qualiter esse collapsas. Quamobrem neque dices,
opinor,iis quæ parum, & ad breue momentum fue-
rint inquinatę,tanta expiatione opus esse,atque illis
quæ prolixo tempore, magnisque sceleribus iacue-
rint immersæ.Quod si tu tam perfrictę sis frontis, vt
strophis tuis,ista putes te statuere posse,nihil dubito
quin æquus lector aliud sentiet.Nam quis ambigere
Aliud pœnitere, aliud digne pœnitere,aliud resipiscere,aliud opa resipiscentiæ ꝓducere. potest,quum Euangelium audiat,de dignis pœniten-
tiæ fructibus loqui, simul & Paulum ad opera digna
pœnitentiæ cohortari,quin aliud sit pœnitere,aliud
dignè pœnitere: aliud resipiscere,& aliud opera re-
sipiscentiæ digna producere.Et maximè quum idem
Paulus moneat eos, qui iam per gratiam sanctificati
sunt,quatenus exhibeant deinceps sua membra tan-
ta sedulitate seruire iustitiæ in sanctificationẽ, quan

ta prius exhibuerunt eadem immunditiæ, & iniqui-
tati seruire ad iniquitatem. Atqui, tu dices Paulum,
intelligere sanctificationem istam pro fomitis expia
tione. Sed quis non videt reliquias peccatorum a-
Reliquiæ peccatorum expiandæ. ctualium,nihilo minorem expiationem, quàm vnius
originalis peccati fęces exigere?Quamobrem si san-
ctificandi simus à fomite(qui relictus erat ex origina
li peccato)multo magis à peccatorum actualium reli
quiis expurgandi sumus.Atque ita iustitiæ, quã non
Iustitiæ quã violauimus est satisfaciendum. Adam,sed nos ipsi violauimus,fatisfacimus. De pec-
catis igitur actualibus loquitur Paulus,cum dicit:Si-
cut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ.
Et eorum reliquias expiari iubet,cum subdit:Ita ex-
hibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificati-
onem.At cui quæso te iustitiæ,& in quam sanctifica-
Iusti p gratiã intus iustificantem, nõnũq; propter peccatorũ reliquias iusti dicunt tionem?Iusti nimirum erãt,& sanctificati,ad quos lo-
quebatur Paulus,quãtum ad gratiam intus iustifican
tem attinebat.At erant iidẽ adhuc,propter reliquias
peccatorum etiam iniusti,quippe, quas nondum ex-
piassent, digna pœnitudine, & iusta molestiarũ per-
pessione.Quemadmodum &Dauid(posteaquam re-
missam intellexit peccati sui culpam)non destitit re-
liquias eius multis lachrymis & acerba persequi pœ-
Psal.30. nitudine.Dixi,inquit,confitebor aduersum me iniu-
stitiam meam domino, & tu remisisti impietatem pec
cati mei.Quid autẽ aliud est impietas peccati, quàm
reatus & culpa peccati, quæ simul atque condonata
fuerat, mansit nihilominus nonnihil, quod tametsi
culpa non erat,iusto tamen erat vindicandum & ex-
piandum supplicio. Propter has vtique reliquias a-
bolendas, Dauid gemitibus & lachrymis, ieiuniis,&
vigiliis,variaque id genus maceratione,carnem affli
xit suam. At istud erat quod Baptista commonuit ple
bem,& ad quod Paulus hortabatur,iste de operibus,
ille de fructibus pœnitentiæ dignis loquens.Perspi-
cuum igitur ex iis opinor esse, quod maneat in pec-
catore post remissam culpam nonnihil debiti,cui vel
molestiarum perpessione,vel aliis modis, quos infrà

memorabimus(quum de indulgentiis erit sermo)prius oportet satisfieri, q̃ peccator cælum ingredi permittatur.De qua satisfactione(quia negat eam Lutherus ab antiquis sanctis doctoribus approbatam) iam quid ipsi censeant, in medium afferemus, atque id quidem non truncatim, quod ipse nobis obiicit, sed plenis(vt aiunt)velis. Ambrosius primum ad corruptam quandam ait: Secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur.Si tibi ante oculos ponas,de quanta gloria rueris,& de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores,vbi erit fletus oculorum,& stridor dentium sine fine. Cum hoc certa fide sicut est, animo conceperis, quia necesse est præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quàm pœnitentiæ solatium,quantamuis afflictionem,quantũuis laborem,& indecorem subire esto contenta,dummodo ab æternalibus poenis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprii facti tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans,sicut es quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines,qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt,defluant oculi lachrymas qui masculum simpliciter non aspexerunt. Pallescat facies,quæ quondam viruit impudice. Denique totum corpus incuria maceretur,cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cæra,ieiuniis inquietans seipsum,& cogitationibus ventilans,quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur,quia in membra corporis quũ haberes dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talis actio poenitentiæ,si fuerit perseuerãs,audebit sperare,& si non gloriã,certæ poenæ vacuationem.Et paulo post.Peccator ergo si sibiipsi nõ pepercerit,à Deo illi parcitur.Et si futuras poenas gehennę perpetuas in hoc paruo vitę spatio compensauerit, seipsum ab ęterno iudicio liberat.Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina.Grande scelus, grãdem habet necessariam satisfactionem.Hęc Ambr. Et idem de poenitentia:Qui enim agit poenitentiam,non solum diluere lachrymis debet peccatum suum,sed etiã emendatioribus factis operire,& tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum.Hæc ille. Similiter & Aug.homilia.1.postquam distinxit tertiam actionem poenitentiæ,& de duabus loquutus fuerit: hoc est, de ea quæ ad baptismum exigitur,& de altera quæ p̃ quotidianis, sed minutis peccatis necessaria est, iam de tertia subdit in hũc modum:Tertia actio est poenitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quam legis decalogus continet. Et de quibus Apostol⁹ ait: Quoniam qui talia agunt,regnum Dei non possidebunt. In hac enim poenitentia maiorem quisq; in se seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus,nõ iudicetur à Deo. Sicut idem Apostolus ait: Si enim nos iudicaremus, à domino non iudicaremur. Et in libro de vera & falsa poenitẽtia, capite decimoquinto sic ait:Ponat se omnino in potestate iudicis,in iudicio sacerdotis,nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente, paratus sit facere pro reparanda animæ vita quæcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam,cum gaudio enim debet facere immortalis futurus,quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur Deum certus de venia, qui omnibus modis,& sine tędio dubius rogaret potestatem terrenam.Abstineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrii commisit illicita. Semper offerat Deo mentem & cordis contritionem, & deinde quod potest de possessione. Et ne dixeris illum de publico

Peccatoris nomen deletur de libro vitæ ꝓpter peccatũ.

Pœnitendi modus ex Ambr.

Pœnitentiæ fructus.

Tres pœnitẽtiæ actiões

1.Cor.11.

Pœnitẽtem sacerdotis iudicio subijciẽdũ, Aug. authore.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cõfessio nõ dimidianda.

pœnitente loqui eundem admonet, vt cautus, sit ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, & diuersa diuersis sacerdotibus velit manifestare. Quidam enim vni cælant, qui alii manifestanda conseruant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta totam putat peruenire. Hæc Augustinus. Accedit his Gregorius. Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa. Et reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Minima sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquii testimoniis non affirmo. Lex certe veteris testamenti alienam vxorem concupisci prohibet. A rege vero fortia iuberi militibus, vel desiderari aquam non pœnaliter vetat. Et cuncti nouimus quòd Dauid concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam coniugem & concupiuit, & abstulit. Cuius culpam, digna verbera sunt sequuta, & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui quum longe post, contra hostium cuneos sederet, aquam bibere de Bethleemitica cisterna ex desiderio voluit. Cuius electi milites inter cateruas aduersantium medias erumpentes, aquam quam rex desiderauerat illæsi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum, aquam desiderasse reprehendit, eamque, domino fundens libauit, sicut illic scriptum est, Libauit eam domino. In sacrificio quippe domini effusa est aqua, & conuersa, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam cõiugem nequaquam timuit, post etiam quia aquam concupisset, expauit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, cõtra semetipsum iam rigidus etiam à licitis abstinebat. Sic agamus pœnitentiam, vt ea quæ commisimus perfectè defleamus. Hæc Gregorius.

Pœnitentia Dauid.

2. Reg. 23.

Quòd si vetustiores adhuc requiras, Origen. homilia 8. super Leuiticum. In vulneribus, inquit, corporum posteaquam curata fuerint, remanet interdum ipsius vulneris signum quod cicatrix appellatur. Vix enim est qui ita curetur, vt nullum suscepti vulneris residere videatur iudicium. Trãsit nunc ab ista legis vmbra ad veritatẽ eius, & intuere quomodo anima quæ peccati vulnus acceperit, etiamsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. Quæ cicatrix non solum à Deo videtur, sed & ab eis qui acceperũt ab eo gratiam, qua præuidere possint animæ languores, & discernere quæ sit anima ita curata, vt omni genere vestigium illati vulneris abiecerit, & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vestigio cicatricis indicia. Et rursum infrà. Sed vide, quia etiamsi mundetur quis à peccato, & non sit iam in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi, purificatione indigent, & ea quam exposuimus, & alia nihilominus quæ mandantur in consequentibus. Obseruauimus enim & hoc quod scriptum est de lepra, in qua die mũdatus fuerit, post hæc inter cætera quæ mandãtur, tertio dictum est & mundus erit. Et iterum ad vltimum scriptum esse & mundabitur, vnde mihi videtur esse quasdam & in ipsa purificatione differentias, & (vt ita dixerim) profectus quosdam purgationum. Hæc Orig. Suffragatur & Chrysostomus homil. 41. de pœnitẽtia inquiens: Pœnitentiã exhibuit beatus Dauid ita dicẽs: Lauaboper singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratũ meum rigabo. Et olim patratum peccatum, post tot generationes quasi nuper accidisset, lugebat. Pœnitẽtem irasci non oportet, neque sæuire, sed conteri tãquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam iudicatum reum, tanquam ex sola saluari misericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem redargutum, tanquam iniucundum & reprobum, tanquam innumeris dignum suppliciis. Si hæc cogitet non irascetur, non indignabitur, sed lu-

Peccati cicatrix in anima sanata residet.

Psal. 6.

Pœnitendi modus ex Chrysost.

gebit,flebit, gemet, & conqueretur noctem & diem. Pœniteutem nunquam oportet obliuioni peccatum tradere,sed Deũ quidem rogare,nec eius meminerit, ipsum vero nũquã ipsius obliuisci.Si nos eius meminerimus, Deus obliuiscetur. A nobis ipsis vltionem sumamus,nosipsos accusemus,ita placabimus iudicẽ. Hæc Chrysostomus.Sed & Leo primus,cui propter eruditionem ac vitæ sanctimoniam in concilio Calcidonensi à CCCCCC.&XXX. patribus ter sanctus fuit acclamatum, scribit in hunc modum Theodoro episcopo Foroliuiẽsi. Mediator,inquit,Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem,vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent,& salubri satisfactione purgatos, cõmunionem sacramentorum per tanuam recõciliationis admitteret.Cui vtique operi ipse saluator interuenit,nec vnquã ab his abest quæ ministris suis exequenda commisit,dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, vt si quid per seruitutem nostram bono ordine & gratulando impletur affectu non ambigamus per spiritum sanctum fuisse donatum.Et rursum infrà.Vnde oportet vnumquenque Christianum conscientiæ suæ habere iudicium,ne cõuerti ad dominum de die in die differat,nec satisfactionis sibi tempus in fine vitę suę constituat,quem periculose ignorantia humana concludit,vt ad paucarum horarum se reseruet incertũ, & cum posit pleniore satisfactione indulgentiam promereri,illius tẽporis angustias eligat, quo vix inueniat spiritum,vel confessio pœnitentis,vel reconciliatio sacerdotis. Hæc Leo. Addit iis & calculum Hierony.super Malachiam sic inquiens: Qui peccator est,& quem mordet propria conscientia, cilicio pœnitentiæ accingatur,& plangat vel propria delicta,vel populi,& ingrediatur Ecclesiam, de qua fuerat egressus,& cubet,vel dormiat in sacro vt præteritas delicias per quas Deum offenderat,vitæ austeritate cõpenset. Hæc Hieronymus. Quibus verbis quid

Matt.vlt.

Cõscientiæ iudicium.

Modus pœnitendi iuxta Hiero.

aliud magis peccatori commẽdat, quàm satisfactionẽ quæ nimirum compensatio est, quam pro præteritis voluptatibus exhibemus Deo per vitæ austeritatem. Propter quam & idem Paulam egregiam fœminam laudans,dixisse tradit.Turpanda est facies, quam cõtra Dei præceptum purpurisso, & cerussa & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus quod multis vacauit deliciis . Longus risus perpeti compensandus est fletu.Mollia lintheamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutãda.Et hæc omnia quid aliud quàm satisfactionem indicant, hoc est, rubiginis ex prioribus peccatis relictæ purgationem . Et Cyprianus item non minori sanctimonia quàm doctrina præditus,sermone 5.de lapsis,quosdam qui fidem redintegratam & reuersionem ad Deum sibi sufficere (quibusdam hoc docentibus) confidebant, alloquitur in hunc modum: Agite,inquit, pœnitentiam plenam,dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam , nec vos quorundam moueat aut error improuidus,aut stupor vanus qui quum teneantur in tam grandi crimine,percussi sunt animi cæcitate,vt intelligant delicta,nec plangant.Et paulopost,pacem sibi vltro,nemine dante,sumpserunt, falsa pollicitatione seducti,& apostatis ac perfidis iuncti , errorẽ pro veritate sumpserunt.Cõmunicationem non cõmunicãtium ratam ducunt,hominibus cõtra Deum credunt, qui cõtra homines Deo nõ credunt.Eiusmodi hominis quantum potestis effugite,perniciosis contractibus adhærentes,salubri cautione vitate.Sermo eorũ sicut cancer serpit,colloquium velut contagiũ trãsilit,noxia & venenata persuasio persequutione ipsa petius interficit,illic superest pœnitẽtia, quæ satisfacit.Hæc Cypria.Ecce non satis est cũ fide ad Deũ cõuerti,sed opus est item pœnitẽtia quæ satisfaciat . Et continuo subdit:Qui autem,inquit, pœnitentiã criminis tollunt,satisfactionis viã claudunt.Ita fit vt dũ temeritate quorundã vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur. Vos vero fra-

Satisfaciendi modus ex Cypriano.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

eres,quorum timor in Deum pronus est,& in ruina li
cet animus constitutus mali sui memor est, pœniten-
tes ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimũ
conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam de-
licti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes mi
sericordiã Domini,nec tamen iam veniam mendicã-
tes.Deus quantum patris pietate indulgens semper
& bonus est,tantum iudicis maiestate metuẽdus est.
Quàm magna deliquimus,tam granditer defleamus.
Alto vulneri diligens & longa medicina non desit,
pœnitentia minor crimine non sit. Putásne Domi-
num citò posse placari,quem verbis perfidis abnui-
sti,cui patrimonium præponere maluisti, cuius tem-
plum sacrilega contagione violasti? Putas facile eũ
misereri tui,quem tuum non esse dixisti?Orare opor
tet impensius& rogare,diem luctu transigere,vigiliis
noctes ac fletibus ducere,tempus omne lachrymosis
lamentationibus occupare, stratos solo adhærere ci-
neri,in cilicio volutari & sordibus, post indumentũ
Christi perditum nullum iam velle vestitum,post di-
boli cibum male ieiunium, iustis operibus incumbe
re,quibus peccata purgantur, eleemosynis frequen-
ter insistere,quibus à morte animæ liberantur. Hæc
Cyprian. Et rursum in calce : Qui sic Deo satisfece-
rit,qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus
virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit,
exauditus & adiutus à Domino,quam contristauerat
nuper,lætam faciat Ecclesiam, nec iam solam Dei ve
niam merebitur,sed coronam.Sed ne dicat Lutherus
hęc de publica satisfactione dicta fuisse.Audiat quid
in eodẽ sermone paulò superius dixerit ad eos,quo-
rum erat crimen penitus occultũ.Videt,inquit,Deus
corda & pectora singulorum,& iudicaturus non tan-
tum de factis,sed & de verbis,& de cogitationibus no
stris omnium mentes,voluntatesque cõceptas in ipsis
adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Deniq; quã-
do & fide maiore, & timore meliore sunt,qui quan-
uis nullo sacrificij aut libelli facinore cõstricti, quo-

Pœnitentia crimine minor non sit.

Eleemosynis à morte anima liberatur.

Pœnitens non solum Dei veniã, sed coronã meretur.

niam tamen de hoc vel cogitauerũt,,hoc ipsum apud
sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur
exhomologesin conscientiæ faciant, animi sui pon-
dus exponant,salutarem medelam paruis licet & mo
dicis vulneribus exquirant. Ecce tres hic pœniten-
tiæ partes insinuat.Primum,contritionẽ& confessio-
nem, cum iubeat eos Dei sacerdotibus dolenter &
simpliciter confiteri,deinde satisfactionem,quũ hor-
tetur salutarem medelam paruis licet vulneribus ex-
quirere:de qua paulò post apertius adiungit.nec ces
ser,inquit,in agenda pœnitentia,atque Domini mise
ricordia deprecanda,ne quod minus esse in qualita-
te delicti videtur,in neglecta satisfactione cumule-
tur.Hactenus ex Cypriano. Cassianus item ex Pym-
sio collatione 20.cap.7.subscribit inquiens: Dum a-
gimus pœnitentiam & adhuc vitiosorum actuum re-
cordatione mordemur,necessarium est vt ignem con
scientiæ nostræ obortus ex cõfessione culpæ lachry-
marum imber extinguat. Quum vero cuiquã in hac
humilitate cordis,& spiritus cõtritione defixo, atque
in labore & gemitu perduranti,horũ recordatio fue-
rit consopita,& conscientię spina de medullis animę
gratia Dei miserantis euulsa,certum est eum ad satis-
factionis finem atque indulgentiæ merita peruenis-
se,& ab vniuersorum criminum labe purgatum.Hæc
Cassia.Et rursum collatiõe 23.cap.15. Quisquis post
baptismum & scientiam Dei, in illud mortis corpus
incurrerit,hoc est in aliquod capitale crimen,sciat se
non quotidiana gratia Dei, id est, facili remissione,
quam momentis singulis exoratus Dominus noster
erroribus nostris donare consueuit,sed aut diuturna
afflictone pœnitudinis,ac pœnali dolore purgandũ,
aut certe pro his in futuro æterni ignis supplicij ad-
dicendum.Hoc item Cassianus. Vides iam satisfactio
nem,non solum in scripturis fundatam, verumetiam
ab antiquis & sanctis assertam authoribus,vt nisi pu-
dere prorsus dedidicisses,huiꝰ articuli te maxime pu
deret.Sed iam vt statuis hunc articulum audiamus.

Satisfactio.

Luth. ¶ Ostendant si possunt, vbi in tota scriptura, vnus apex aut iota scribatur, pro peccato mortali vno debere satisfieri septem annis? dicant vbi pro differentibus peccatis, differentes pœnas statuat Christus & Apostoli? Nónne hæc omnia sunt postea inuenta ab episcopis? imò dét vnum ex antiquis patribus, in quo legantur quadragenæ, septenæ, & similia, vbi fecerint, libens reuocabo.

Episc. ¶ Quid si non de septenni satisfactione, mentio peculiaris in sacris literis habeatur? Quid si nusquã lectum sit, Christum aut Apostolos pro differentibus peccatis, differentes pœnas statuisse? & demum quid si dari non potest vnus ex antiquis patribus, in quo legantur quadragenæ, septenæ, & similia? Num propterea satisfactio, nõ erit pars tertia pœnitentiæ? Hæc negatiua dialectica (qua tam frequenter vteris) quis non videt quàm sit arridenda. Satis nobis est, tam ex scriptura quàm ex patribus, non minori eruditione quàm vitæ sanctimonia conspicuis, ostẽdisse pro peccatorum qualitate, satisfactionem omnino breuiorẽ aut prolixiorem, asperiorem aut remissiorem oportere fore. Quæ res nõ immerito succedentes episcopos admonere potuit, quatenus illi iuxta vnctionem à spiritu sibi datam, Canones quosdam instituerent, quibus Ecclesiarum præfecti, satisfactionem pœnitentibus iniungendam moderarentur. An tibi videtur cœtus episcoporum in tam salubre negotium ascitus, contemni debere? Nũ credis tot episcopos pro salute animarum congregatos, nihil amplius apud eos qui piè sapiunt, ponderis habituros, quàm vnum Lutherum, & eundem audacissimum, tam scripturarum, q̃ patrum temeratorem? Qua fronte potes hæc dicere? Siccine putas Deum rem Christianorum abiecisse, vt totius Reipublicæ Christianæ patribus & proceribus studio profectus animarum collectis, non inspiraret quæsitam & concupitam veritatem? An reliquit ita nos spiritus ille paracletus, quem Christus manifestum apud nos in æuum pollicitus est, & veritatem o-

mnem edocturum? Insanis profecto, si ita credas. Cæterum si qua sit Yuoni fides adhibenda, qui Carnotẽsis episcopus fuit, doctrinaque pariter & sanctitate non infimus, is tam ex conciliis quàm patribus multa collegit, pro quadragenis & septenis illis, crebram satisfactionis & canonum pœnitentialium facit mentionem. Interdum quæ Hieronymum introducit de iisdem canonibus ita loquentem: Mensuram temporis in agenda pœnitentia, idcirco non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant qualiter vnumquodque emendandũ sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporis quàm doloris, nec abstinentia tãtum ciborum, quam mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ, fide, & cõuersatione pœnitentium, adbreuianda præcipiunt, & negligentia protelanda existimant. Tamen pro quibusdam culpis, modi pœnitentiæ sunt impositi, iuxta quos cæteræ perpendẽdæ sunt culpæ, quum sit facile per eosdem modos, vindictam & censuram canonum æstimare. Hæc Hierony. Ex quibus quisque potest perspicere, non recenter inuentos hos fuisse canones, sed ante Hieronymi tempora, quibus tametsi non pro singulo quoque crimine, modus satisfactionis præscribitur, ex paucis tamẽ quæ illic tradita sunt licebit æstimare cætera, licebit & perpendere quòd sacerdotis prudentis arbitrio relictum sit, quanti temporis cuique peccatori satisfactio sit imponenda.

Yuo Carnotensis de quadragenis & septenis.

Pœnitentia arbitraria.

¶ Legimus sane multos à Deo propter peccatum castigatos, vt Dauid, Mosen, Aaron, Mariã, populum Israel, & aliquos eorum, quos Christus in Euangelio curauit. Et 1. Corin. 11. Multi infirmi inter vos & dormiunt multi. Sed hæc nõ erat satisfactio, quam isti docent, scilicet remissibilem per claues, ita & modo multos punit Deus pro peccatis, quas pœnas tamen Ecclesia non potest auferre per claues. Quare verũ dixi, arbitriã istam satisfactionem nec in scripturis, nec

Luth.

patribus inueniri, inueniri autem pœnam remissibilem à Deo impositam, vt in Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus hominum peccata eorum.

Episc. ¶ De clauibus Ecclesiæ quid per eas remitti posset inferius sub articulo de indulgentiis dicturi sumus. Nunc saltem ex dictis opinor constare, peccatorem aliquem post remissam culpam, nonnullius pœnam debitorem esse, cui per tolerationẽ pœnæ (quã dicũt) pœnitentiæ satisfieri vsqueadeo potest, quòd post hanc vitam purgatorius ignis peccatori nihil officiet. Cæterum quòd ais, inueniri pœnam irremissibilem à Deo impositam, nihil refragamur. Sed tamen & constat aliquam à Deo constitutam pœnam, remissam fuisse, id quod non aliunde quàm ex iis (quę per te citata sunt) exemplis comprobabo. Dauid primũ, quum esset triduana populi sui pestilentia punienduS, vsqueadeò semetipsum afflixit, vt misertus eius Deus, nõ amplius quàm vnius diei vindictam voluit exerceri. Sublata est igitur biduì sequentis molestia, propter seueritatem quam in semetipsum Dauid exercuit, nimirum vt pœnam à Deo constitutam pœnitenti, si vere & digne pœniteat, intelligamus haud irremissibilem esse. De Mose vero & Aaron haud scio quas pœnas memoras, nisi quod non sint permissi populum in promissam terram introducere, quod sane per dignam pœnitudinem, & assiduas preces (modo id ardentius petiissent) quis nouit an fuissent impetraturi. De Maria sorore Mosi, quæ graui lepra percussa fuerat à Deo, num legis eã ad preces Mosi post septem dies fuisse purgatam? De populo similiter Israel, an non in Hieremia scriptũ est dixisse Deum? Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei? Et de Corinthiis demum, quorum nonnulli morbis percussi sunt, nónne Paulum audis eodem loco docentẽ, quo medio flagellum Dei vitasse potuerunt? Si nosmetip-

Pœnam aliquã à Deo constitutã nonnunquã remissam fuisse.

2. Reg. vlt.

sos, inquit, diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Luth. ¶ Dicent forte delictũ arbitrio Ecclesiæ taxãdam poenam pro peccatis. Respondeo, hoc iam non est scripturas, sed propriam sententiam afferre, probetur, quo loco Christus hoc arbitrium reliquerit Ecclesię? tibi enim non credo.

Episc. ¶ Diximus ante sæpius Luthere, non omnia per scripturas probari posse. Satis enim fuerit, si dictorũ modorum (quos in vestibulo totius disputationis nostræ memorauimus) aliquo statui posset, quod asseri-mus. Nos tamen & scripturas, & sanctorum patrum suffragia (quibus res hæc fieret dilucidior) tot produximus vt veriti fuimus, ne prolixitatis tædio lectorẽ grauauerimus. Quibus si non credideris, nemo non iudicabit (scio) te pertinacem esse. Nam æquius est, vt tu, tot & sacrosanctis authoribus, qui pro sua sententia scripturas etiã afferunt, crederes potius, quàm vt nos (reiectis & patribus & scripturis) tibi, qui nullum alicuius momenti suffragium attulisti, fidem adhibeamus.

Luth. ¶ Nam vbi dicit: Quodcunque ligaueris, &c. magis ad culpam, quàm ad satisfactionem pertinet. Culpa enim ligari & solui propriè dicitur, non confessio aut satisfactio, ita & illud: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Alioquin dicere debuit: Quorum remiseritis satisfactiones, remittuntur eis. Quare diuinitus aut nulla est satisfactio, aut remitti humanitus non potest.

Episc. ¶ Semper tui similis es Luthere. Nã eiusmodi collectionibus scatent omnes assertiones tuæ. Sed mirum est, quomodo iam sis oblit', quod nuperrimè nobis obieceras, nempe non intellexisse nos vim huius verbi remittere. Aiebas enim paulò superius, aliud esse omnia peccata remitti, aliud omnia tolli. Baptismũ omnia remittere fateris, at nullum penitus tollere, sed incipere tantum vt tollantur. Quod ais etiam, illos fefellisse, qui remissionem intellexerunt omnimodam expurgationẽ fuisse. Constes igitur aliquãdo

Universidad de Deusto Biblioteca

tecum,nec Prothei more,toties teipsum transfigures.
Si remittere sic,vt ais, intelligendum sit,cur nõ vides
ex iis Christi verbis quũ dicit: Quorũ remiseritis pec
cata remittũtur eis,protinꝰ cõsequi,reliquias aliquas
peccati manere post condonatam culpã. Nam si ba-
ptismus,peccatum originale tua sententia non pror-
sus ita remittat vt nihil eius omnino relinquat ex-
piandum,quid prodigij fuerit,si sacramentum abso-
lutionis,aliquid actualis peccati manere sinat, quod
per satisfactionẽ expieẽ? Et id sanè(quod reliquitur)
non potest aliter q̃ Deo cooperante deleri. Porro
quid discriminis inter has duas Christi pollicitatio-
nes fuerit,inferius dicturi sumus vbi de indulgentiis
disseremus,Articulo nempe.19.

Luth. ¶Hoc libens concesserim, quòd Ecclesia mater,
pio affectu præuẽtura manum Dei castigat filios suos
satisfactionibus quibusdam,ne incurrãt flagella Dei,
sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerũt
iudicium Dei.Hæc pœna quidem est arbitraria, non
in totum,vt illi volunt,sed tamen necessaria.

Episc. ¶Si per impositam satisfactionem rectè præuenit
Ecclesia flagellum Dei,quod id exercet in viuos,cur
nõ similiter prẽuenisse laudabitur castigationem illi
quam idem in purgatorio nihilo mitiorem, imò lon-
ge acerbiorẽ sumet à mortuis? Neque satis fuit Ninę-
uitis nouam inchoasse vitam nisi ieiunia, preces, la-
chrymas,saccumque,& cinerem adhibuissent.

Luth. ¶At nostri indulgentiarij etiam cõtra Ecclesiam
asserunt, remitti penitus omnem satisfactionem etiã
à iustitia diuina requisitam,quod est erroneum & im-
pium.Nam aut nos,aut homines, aut Deus punit pec-
cata,quod illi per indulgentias tollunt omnino.Con-
tra hanc eorum fictam & falsam satisfactionem,quam
& solam habent,ego pugnaui, quam ideo solum fin-
xerunt,vt lucra sua augerent,& homines exhaurirẽt,
fallerent,ac perderẽt,quum si essent pij pastores, po-
tius imponerent pœnas,& Ecclesiæ exemplo præue-
nirent Deum sicut Moses eum præuenit occidendo

filios Israel,propter peccatum vituli aurei.

¶Si quid indulgentiarij perperã aut dixerint, aut *Episc.*
fecerint sui quæstus gratia,non est episcopis hoc im-
putandũ.Neque enim vlla res est homini vsqueadeò
conducibilis,quæ non posset interim in eius incom-
modum verti. Cæterũ quantum indulgentiæ valeãt,
& quantum profuerint,iis qui rite sunt illis vsuri,suo
loco fusius dicturi sumus.

¶Optimum autem fuerit, si nosipsos puniremus. *Luth.*
Hoc autem facimus,quando ex toto corde vitam to-
tam mutamus, hac enim pœnitentia & satisfactione
Deus contentus est,quantum probant scripturæ sa-
cræ,& præsertim Ioan.Baptist.Luc.3.Sic.1.Corin.11.
Si nosipsos iudicauerimus, non vtique iudicaremur
à domino,quum autem iudicamur à domino, corripi
mur,vt non cum hoc mundo damnemur. Ecce pœna
& correptio prorsus irremissibilis,quæ à Deo impo-
nitur & exigitur.

¶Vt istum minimè probo, qui propter susceptas *Episc.*
indulgentias, in reliquiis veterũ delictorum expur-
gandis,tepidior efficitur,ita illum vituperio dignum
arbitror,qui tãtum Dei beneficium nobis eripere co
natur.Quid enim si quidam indulgentiis abusi fue-
rint?Num indulgentiæ propterea dãnari merentur?
Haudquaquam.Sic enim & Dei misericordiam dam- *Deus aliã*
naremus,qua multo maxima pars hominum indies a- *pœnitentiã*
butitur.Quod autem ais,Deum non aliam pœniten- *q̃ nouã vi-*
tiam,& satisfactionẽ à peccatoribus expectare,quàm *tam exigit.*
vitam nouam, Ecclesia longe aliter sentit & docet.
Quam rem opinor tam scripturis,quàm patrum asti-
pulationibus,dilucide comprobaui. Sed & ipsa quæ
producis testimonia, tam ex Ioan. Baptista, Luc.3.q̃
ex Paulo.1.Corinth.11.militant aduersum te. Nam *Virtutum*
quantum ad illud interpretes vnanimiter clamant, *fructus.*
alios esse virtutum fructus,alios dignos pœnitentiæ *Pœnitẽtiæ*
fructus.Et quantum ad Paulum attinet.Palam est iu- *fructus.*
dicium nostrum quo nosipsos iudicamus, præuenire
iudiciũ Dei, & satisfactionem pœnæ (cui per pecca-

tum obnoxij sumus) posse diuinam à nobis auertere corruptionem. Sic enim Chrysostomus super Diuum Matthæum testatur, inquiens: Si vis (quod ego consulo) nec hic à Deo poena quauis cruciari, tuipse tibi iustus sis iudex, referas tibipsi rationes viuendi. Audi Paulũ dicentem: Quoniam si nosmetipsos iudicauerimus, non vtique iudicaremur. Si id facies ordine paulatim progrediens, ad coronam quoq; peruenies. Hæc Chrysostomus homilia quadragesima secunda.

Luth. ¶ Vehementer autem odi & sublatum vellem hoc vocabulum satisfactio, quod non modo in scripturis non inuenitur, sed & periculosũ habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro vllo peccato satisfacere, quum gratis ille ignoscat omnia.

Episc. Satisfactio ¶ Facile puto te vocabulum istud satisfactionis odire. At non tam huius voculæ caussa, quàm Romanę curiæ, quam agresti (vt aiunt) odio prosequeris. Cæterum exempla passim in scripturis habentur, vt de Niniuitis, Achab item & Manasse regibus, aliisque compluribus, quorum ingentem poenitudinem & afflictiones sua sponte susceptas, clementia Dei, velut iustam pœnæ (quæ sceleribus eorum debebatur) satisfactionem admisit, cohibuitque flagellum, quod illis inferre meditabatur. Quando igitur de re conuenit, frustra de vocabulo contenditur id quod tu nunquàcitas. Neque vllum in eius vocabuli sensu periculum imminet, nisi ꝙ tu contra patrum omnium sententias, nodum hunc tandem in hoc scripto quæsiisti.

Tone. 3. 3. Reg. 21. 2. Para. 33.

Luth. ¶ Deinde occasio fuit, vt è salutari poenitentiæ remedio nundinas facerent. Vellem magis, vt disciplina, castigatio, visitatio, correptio aut alio quopiã scripturæ sanctæ vocabulo nominaretur, quo significaretur non esse remissibilem, sicut reuera remissibilis non est, disciplinã domini multo minus vendibilis & cauponabilis aliquando crederetur, sicut hodie videmus fieri, conficta ista noua satisfactione, quæ plenariè remittuntur, cum talis (vt dixi) esse non possit, nedum poenitentiæ tertia pars censeri debeat.

¶ Si quicquid esse potuerit occasio mali tollere molireris nec ignem, neque aquam, sed nec aerem ipsum nobis relinqueres. At quid tam anxiè turbaris de vocabulo, quum sole clarius Dei clementia fulget in scripturis. Num is qui tam facillimè culpam donat, se tam grauem exhibebit, vt pro poena culpæ debita, nullam admittet satisfactionem? Quin certè multo benigniorem peccatoribus Deum ipse facias. Et profecto, nisi fallor, perparum inter te, & istos interest (quos vocas indulgentiarios) nisi quòd tu per fidei virtutem, vno momento culpam simul & poenam culpæ debitam, sublatam asseris, illi post delatã per sacramentum absolutionis culpam, non per indulgentias, omnem poenam culpis debitam aboleri prædicant. Tu simul, & culpam & poenam condonari putas, illi separatim, vno quidem momento culpam per sacramentum absolutionis, & alio per indulgentias poenam. Isti non minus vitam nouam necessariam existimant, atque tu. Et tu pro veteribus delictis, nihilo maiorem exigis castigationem quàm illi. Sed & pro futuris ipsi cautelam adhibendam sentiũt, quam ipse non refugis, imò probas quàm maxime. Perparum igitur tibi cum illis dissidet, si quid meum de vobis iudicium valeat. Cæterum quia super hac re postea prolixius disceptaturi sumus, iam ad reliqua transeamus.

Episc. *Quid inter Lutherum & indulgentiarios interest.*

¶ Vnde in sermone meo vernaculo insigniter adieci, non esse istas tres partes poenitentiæ vt ipsi morem habent de eis loqui, semper enim volui exceptã disciplinam domini, quam esse negaui ab vllo remissibilem, sed tantum imponibilem, ideò aliam necessario fore & nusquam descriptam quam illi satisfactionem docent, tota in manu Papæ positam, etiam inuita iustitia diuina.

Luth.

¶ Quicquid ipse peruerse docueris, ipse videris. Certum est Ecclesiam catholicam ita docere, quèadmodum ante diximus, hoc est nonnihil in plerisque peccatoribus (deleta culpa) manere, cui poena maior

Episc.

aut minor pro criminis qualitate secundum diuinæ iustitiæ taxationem debetur. Neque enim (vt tu nequiter opinaris) par pœna cunctis constituitur, quū longe dispares erant in noxa. Porrò, quoniam huius taxationis mensura nobis incerta est, priores patres spiritu sancto pleni, Canones quosdam (vt quum ex aliis, tum ex Hieronymo superius audire potueras) nobis reliquerunt. Ex quibus coniicere valebimus (pensatis tamen lachrymis, & luctu cuiusque peccatoris) quanta satisfactio cuique fuerit imponenda. Cæterum adhuc vsqueadeo se nobis clementissimū exhibet Deus, vt nō solum austeritate, nostræ in nos vindictæ, posset hæc impleri satisfactio, verumetiam aliis modis longe facilioribus, de quibus & mox dicturi sumus, vbi etiam apparebit, diuinam iustitiam cum sua clementia modis omnibus conuenire. Sed de hoc articulo iam satis.

ARTICVLVS SEXTVS.

Luth. De contritione.

CONtritio quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationē peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis. Hæc cōtritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.

Episc. Mos Lut.

¶ Id tibi moris esse Luthere, nec semel animaduerti, quod quum duobus, pluribusve modis res quæpiā obtineri queat, tu tamen vnum ex illis adeo mordicus tenes, vt sæpe damnationis reliquis, hoc solo contendas, rem acquiri posse. Sic nimirum facis de gratia, quæ quum posset, & per fidem, & per sacramenta comparari, tu reiectis sacramentis, soli fidei tribuendas putas diuinæ gratiæ consequutionem. Similiter & quum iustificatio sanctificatioq; duplex vtraque fuerit, vna quidem per gratiam acquisita, altera verò per opera, singulis penè momentis acquirenda,

tu simul has permisces, alteram alteri, vt totam vitam nostram non iustitiam, sed iustificationem esse contendas. Et nunc haud dissimiliter, quum contritio potest duobus parari modis, hoc est, vel per timoris vel per amoris viā, tu timore posthabito, solo vis amore cōtritionē à peccatoribus quæri. Quæ sententia tua quantū dissideat, nō à patribus modo, verū etiā à scripturis, mox videbimus. Interea, quibus rationibus hunc articulum statuas, iam excutiamus.

Contritio duobus modis parari potest.

¶ Quanuis hanc conclusionē etiam Cassianus doceat, & sensus cōmunis omnium ita in se experiatur, vt superfluum sit probari eam, tamen vt obstruatur os loquentium iniqua, scripturas Dei consulamus.

Luth.

¶ Duo dicis, & Cassianū hanc docere conclusionē, & præterea sensum cōmunem omnium eandem in se experiri. Mira certe est hæc audacia, ne dicam temeritas, qua sic generatim de communi omnium sensu pronuncias. Ego sanè quis tibi sensus fuerit haud scio, verum in me plane sensi, nec semel quidem, hanc viam ad contritionem vehementer mihi prodoceat nusquam inuenio. Vellem indicasses locum. Ego sanè volumina duo, alterum de Cœnobiorum institutis, alterum de collationibus patrum, quæ scripsit idem Cassianus, diligenter excussi, & tantum abest vt in eis hoc repererim, vt etiam legerim illic plurima, quæ non mediocriter huic aduersantur sententiæ. Primum collatione tertia, capite quarto tres vocationum explicat modos, quorum primus (vt ait) ex Deo est. Secundus per hominem. Tertius, ex necessitate. Ex deo quidem est, quoties inspirato quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes, nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exuscitat, Deumque sequitur, & eius inhæret præceptis, compunctione saluberrima cohortatur, vt in scripturis sanctis Abrahā voce dominica de genitali solo, & totius cognationis suæ affectibus, patrisq; domo legimus euocatum, dicente

Episc.

Cassianus.

Tres vocationum modi. Primus ex Deo.

Universidad de Deusto Biblioteca

Domino:Exi de terra tua,& de cognatione tua,& de domo patris tui.Quo etiam modo B.Antonium accitum esse cognouimus, qui occasione suæ conuersionis à sola diuinitate percepit. Ingressus nanque Ecclesiam ibique audiens in Euãgelio Dominum prædicantem. Qui non odit patrem & matrem,& filios, & vxorem,& agros insuper & animam suam,non potest meus esse discipulus.Et si vis perfectus esse,vade & vende quæ habes,& da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo,& veni sequere me. Præceptum hoc Domini velut specialiter ad se directum,cum summa cordis compunctione suscepit.Confestimque renuncians cunctis,sequutus est Christum, nulla exhortatione,neque doctrina hominum prouocatus. Secundus vocationis modus est, quem fieri per hominem diximus,quum vel exemplis quorundam sanctorum, vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur.Quo nos quoque gratia Domini retinemus ascitos, qui prædicti viri monitis ac virtutibus incitati, huic nos studio professionique tradimus, quo ordine etiam in scripturis sanctis per Mosen filios Israel de afflictione Ægypti legimus liberatos. Tertius vero vocationis modus est, qui ex necessitate descédit, quum nos diuitiis mũdi huius vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione bonorum ac proscriptione percutiunt,vel charorum morte compungunt,ad dominum(quem sequi in rerum prosperitate contempsimus) saltem inuiti properare compellimur.Cuius vocationis necessitatem in scripturis quoque sæpissimè reperimus, quum filios Israel ob merita peccatorum suorum legimus a domino traditos hostibus suis ob quorum damnationem crudelitatemque sęuissimam rursus conuersos ad dominum proclamasse,& misit eis, inquit dominus,saluatorem Aoth filium Gera,filium Gemini, qui vtraque manu vtebatur pro dextera.Et rursum:Clamauerunt,inquit,ad dominum qui suscitauit eis saluatoré,

Luc.14.
Matth.19.

Secundus per hominẽ.

In Exodo.
Tertius ex necessitate.

Iudith.3.

& liberauit eos,Othoniel videlicet filiũ Chenez fratrem Caleph iuniorem.Et de talibus in Psal.dicitur: Quum occideret eos,tunc quærebant eum, & reuerebantur,& diluculo veniebant ad eum,& recordati sunt,quia Deus adiutor eorum est, & Deus excelsus redemptor eorum est. Rursumque : Et clamauerunt ad dominum quum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.Hæc Cassianus.Vides hic solum primum modum ex inspiratione diuinæ gratiæ proficisci,tertium verò necessitatis esse, quæ eos vrgeat & adigat. At quæ potest vrgentior esse necessitas,quam quando miser peccator,ponderata suorum criminum grauitate,multitudine,fœditate,nõ solum æternæ beatitudinis amissionem, verumetiam æternę damnationis acquisitionem metuit? Hęc profecto necessitas (si nulla potest alia) coget peccatorem ad Deum ingemiscere,& pro peccatis suis conteri.Quã rem & idem apertius explicat tres modos recensens, quibus vitia vincuntur.Tria sunt(inquit)quę faciũt homines à vitiis temperare: id est, aut metus gehennæ,siue præsentium legum, aut spes atque desideriũ regni cælorum,aut affectus boni ipsius,amorque virtutum.Nam timor ita mali contagium legitur execrari.Timor domini odit malitiam.Spes etiam vitiorum omnium excludit incursum. Non enim delinquent omnes,qui sperant in eum. Amor quoq; ruinam non metuit peccatorum,quia charitas nunquam cadit.Et iterum:Charitas operit multitudinem peccatorum. Et idcirco beatus apostolus omnem salutis summam, in istarum trium virtutum consummatione concludens:Nunc(inquit)manent fides, spes, charitas, tria hæc.Fides nãque est,quę futuri iudicii,ac supplicio- rum metu,vitiorum facit cõtagia declinari.Spes,quę mentem nostram de præsentibus auocans, vniuersas corporis voluptates cælestium præmiorum expectatione contemnit.Charitas quæ nos ad amorem Christi, & spiritualium virtutum fructum mentis ardore succendens, quicquid illis contrarium est, toto facit

Psal.77.

Psal.106.

Tria sunt quæ faciunt boĩes à vitijs tẽperare,timor, spes, amor.

Prouer.8.
Psal.33.
1.Pet.4.
1.Cor.13.

odio detestari. Quæ tria licet ad vnum finem tendere videantur, prouocant enim nos à reb⁹ illicitis abstinere, magis tamen excellentię suæ gradibus abinuicem disparantur. Duo nanque superiora proprie hominum sunt eorum, qui ad profectũ tendẽtes necdũ affectum concepere virtutũ. Tertium specialiter Dei est, & eorũ q in se imaginẽ Dei ac similitudinẽ receperũt. Ille nanq; solus, ea quę bona sunt nullo metu, nulla remunerationis gratia, puocãte, sed solo bonitatis affectu operatur. Hæc. 11. colla. cap. 6. Et rursum coll. 9. cap. 29. duos modos, quantum ad propositum spectat, quibus ad lachrymarum compũctionem peruenitur memorat. Alterum quãdo fletus emanat, qui peccatorum spina cor nostrum compungente pferi, de quo dicitur: Laborauí in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum: Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & per noctem, & non des requiem tibi, neq; taceat pupilla oculi tui. Alterũ quãdo pfluunt lachrymę, quę absq; vlla quidẽ taliũ criminũ cõscientia, sed tamen de metu gehennę & horribilis diuinii iudicii recordatiõe procedũt, cuius terrore propheta perculsus, orat ad Deum. Nõ intres, inquiens, in iudicio cũ seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sed & eundẽ adhuc Cassianũ audi lib. 4. ca. 39. docentẽ quõ per timorem quis seruilem ascendere potest ad charitatẽ, vbi nostræ salutis principiũ affirmat esse timorẽ domini. Per quẽ ait nos & initium conuersionis & vitiorum purgationem accipere, ita vt cum penetrauerit hominis mentem cõtemptum ei rerum omnium parit, obliuionem parentum, mundiq́ue ipsius gignit honorem. Subinde contemptu rerum ostendit humilitatem acquirit. Postremo quum humilitas fuerit inveritate possessa, confestim ad charitatem quę timorem nõ habet, perducet, per quam vniuersa quæ prius non sine pœna formidinis obseruabas, absque vllo labore velut naturaliter incipies custodire, non iam contemplatio-

Bifariã ad lachrymarũ cõpunctionẽ peruenitur.

Psal. 6.

Thre. 2.

Psal. 142.

Timor seruilis.

ne supplicii, vel timoris vllius, sed amore ipsius boni & dilectione virtutum. Hæc ex Cassiano strinximus, vt vitarem prolixitatem. Ex quibus liquet illum de timore seruili hæc dixisse, quippe quem non sine formidine supplicii esse testatur, & hunc etiam fatetur initium esse nostræ salutis, cuius ductu peruenitur, vt ex amore tandem ipsius boni simul, & delectatione virtutũ operemur. Quod si aliquando Cassianus hunc doloris motum, qui ex amore procedit, laudat magis & probat potius, quàm illum qui ex recordatione peccatorum oritur, nequaquam inde conficitur, ꝓ istum damnauit. Sed neque per hũc modum hypocritam, & magis peccatorem fieri, ostendi potest vllo prorsus loco docuisse. Cassiano quoque subscribit & Augustinus tractatu. 9. super epistolam Ioan. Si nullus (inquit) timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linũ quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem. Hactenus August. Suffragatur & Hieronymus super Esaiam, ca. 25. Sicut ad partum (inquit) multer appropiquãs, dolore cogitur exclamare. Sic nos in angustia requirimus te, & à facie formidinis tuæ concepimus, & parturiuimus, & peperimus, non carnis liberos, sed spiritus. Hoc Hiero. Similiter Chrysostomus de compũctione cordis. Quid, inquit, corporis viribus opus est, quum cor conterere debeamus? Hoc solum est quod à nobis exposcitur, vt semper recordemur mala nostra, & ad animum reuocemus, & conscientiã gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennã ponam⁹ in conspectibus nostris, & angelos qui in die iudicii vbique discurrunt, & congregant, de omni orbe terrarum, eos qui trudẽdi sunt in gehennã ignis. Ponamus etiam & illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac proiici à regno cęlorũ, quod (vt mihi videt) grauius est ipsa gehenna. Hæc & alia id genus pluri-

Semp peccata nostra ob oculos ponẽda.

Excludi à regno grauius est ipsa gehenna.

Universidad de Deusto Biblioteca

ma, recenſet Chryſoſtomus ob oculos peccatori po-
nenda, quibus incutiat ei compunctionem cordis.
Quid plures memorem authores, quum facile nemo
queat inueniri, qui non iis conſentiat. Aſſentiuntur
& ſcripturæ. Dauid primum, qui formam pœnitentię
Pſal.17. tradit. Circundederunt (inquit) me dolores mortis,
& torrentes iniquitatis conturbauerunt me: dolores
inferni circundederunt me, præoccupauerunt me la-
quei mortis, in tribulatiõe mea inuocaui dominum.
Num cernis hic apertiſsime, quomodo rerum harum
metu Dauid fermè cõſternatus, diuinam adactus eſt
Eſaiæ.26. opẽ implorare? Et Eſaias ait: Domine, in anguſtia re-
quiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua
eis. Sicut quæ concepit, quum appropinquauerit ad
partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſu-
mus à facie tua domine. Concepimus, & quaſi partu-
riuimus, & peperimus ſpiritum, hoc iuxta veritatem
Hebraicam, quanquam Hieronymo placet eundem
habere ſenſum, à facie tua, & timore tuo. Timorem
inſuper hunc incuſsit Baptiſta peccatoribus, quum
Lucæ.3. dixit: Genimina viperarũ, quis oſtendit vobis fugere
à ventura ira? Facite ergo fructꝰ dignos pœnitentiæ.
Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Om-
nis ergo arbor non faciens fructum bonum, excide-
tur, & in ignem mittetur. Hæc Baptiſta. Nec Baptiſta
ſolum, ſed & Chriſtus ipſe. Quoties gehennam, quo-
ties ignem æternũ, quoties tenebras exteriores, quo-
ties fletum & ſtridorem dentium peccatoribus ipſe
Chriſtus comminatur. Et quid ſibi vult terroribus in-
ſtis, niſi cõtritionem cordibus eorum inducere? Cur
eorum exemplo, ſuper quos turris cecidit in Siloe, &
Lucæ.13. aliorum quoque quorum ſanguinem Pilatus cum ſa-
crificiis miſcuit, terret peccatores? niſi quòd eiuſmo-
di terrorem multis profuturum nouerat, ad veræ pœ-
Matth.10. nitentiæ conſequutionem. Denique quum dixit: Ti-
mete eum, qui poſtquam corpus occiderit, habet po-
Lucæ.12. teſtatem mittendi animam in gehennam ignis. Et rur-
ſum quum ingeminat: Amen dico vobis, hunc timete:

vbique timorem hunc incutere molitur. Sed iam ra-
tiones & ſcripturas quas Lutherus conſulturum ſe ia
ctitat expendamus. Sat ſcio, ſi non efficaciores ad no
ſtra confirmanda ſcripturas adduceremus quàm fa-
ciat ipſe, mox idipſum nobis opprobaret. Sed teſtimo
nia noſtra rem ipſam, ob quam ea citauimus, protinꝰ
exprimunt. At Lutheri non ita. Neq; enim quod mo-
litur efficiunt, niſi cum argumentis & mixturis qui-
buſdam antè fulciantur, id quod lectori non dubito
manifeſtum eſt.

¶ Primum, hoc nemo negabit, Cõtritionem quan Luth.
tumlibet magnam, niſi fiat amore iuſtitiæ, & (vt ipſi-
met dicũt) in charitate Dei, nõ eſt vera, ſed ſimulata.

¶ Non hic ſermonis vitium vel apertiſsimum, ob-
iiciam tibi, quod tamen tu ſcholaſticis exprobrare ſo Epiſc.
les. At hoc ſilere non poſſum, quòd quum non igno- Contritio
res iſtos, aduerſum quos conflictaris, contritionem quid ſit.
aſſerere, motum eſſe quendam animi formatum cha-
ritate, præter quem & alium cordis motum ſtatuunt
charitatis expertem, quem vocant attritionem, tu ta-
men vt totam inuoluas diſputationem, alteram cum
altera confundis. Et neutram ais veram eſſe, ſed ſimu
latam, niſi fiat amore iuſtitiæ. In quo vehementer no
ſtra cum tua pugnat opinio. Neque tamen negaue-
rum, quempiam per Dei gratiam ita mutari poſſe, vt
ex barathro ſcelerum omnium ad amorem hunc re-
pente vocetur. At iſtud non opinor fieri communi-
ter, ſed magis per gradus quoſdam, vt videlicet à ſor-
dido flagitiorum volutabro, gradatim in ipſam con-
ſcendat charitatis puritatem. Sed quod ad rem atti-
net, ego certè non dubito, quin verè doleat aliquan
do peccator, quando non ex charitate dolet. Nam vt
quis citra charitatem (id quod omnibꝰ apertiſsimum Verꝰ dolor
eſt) verè dolet, & deflet charorum amiſsionem, aut ia ĩ peccatore.
ctura alicuius rei precioſæ, ſic poteſt peccator mor
tem & damnationem animæ propriæ, cęleſtisque re-
gni diſpendium, citra charitatem lugere. Poteſt enim
ipſium rationis lumen peccatori perſpicuum redde-

re,& ante oculos ponere,quantam ex ea re iacturam sit perpessus.Quod si vere lugeat, & doleat ex corde,non est ob id censendus hypocrita. Neque enim aliud foris simulat, quod non vere sentiat intus, sed quem in vultu foris dolorem exhibet, eundem gerit intus in corde.Cæterum pẽsitemus quem in modum Lutherus hunc hypocritam esse probet.

Luth.

¶ Omnia enim quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana,& falsa sunt,vt.1. Corinth. decimotertio docet Paulus,quia nõ fiunt ex toto corde. Quod autem ex toto corde non fit,iam hypocrisis est,sicut dixit Christus Matth.15.Cor eorum longe est à me. At contritio per peccatorum collectionem parata,sine amore Dei & iustitiæ,hoc est, sine corde conterit, de hac enim loquutus sum, quare necessariò sequitur, vt faciat hypocritam, qui nec volenter nec amanter conterit in corde suo.

Episc. Insignis Lutheri dialectica.

¶ Papè, cuius aures huiusmodi dialecticen ferre possunt? Nusquam enim hic peccatur. Primum,illud à vero longe disidet,omnia,quæ extra charitatem fiunt,nihil,vana,falsaq; esse.Nam agit quis extra charitatem constitutus,opera multa quæ vera sunt,quanquam non meritoria, neq; Paulus aliter Corinthios docuit.Ait enim:Si habuero prophetiam,& nouerim mysteria omnia,& omnem scientiam,& si habuero omnem fidem,ita vt montes transferam,charitatem autem non habuero,nihil sum.Quid hic te precor opinaris Paulum velle?an ꝓ ista nihil sunt & falsa? Num tu putas Balaã & Caiphę prophetias nõ veras fuisse ꝓphetias,& eosdẽ nõ veros fuisse ꝓphetas,tãetsi fuerint charitatis exptes?Et mysteriorũ notitia, cuius & pleriq; participes sunt q̃ charitate carẽt, nũ ob id ea notitia vera nõ erit,ꝓ hi charitate carẽt? Et sciẽtiam rerum naturaliũ,existimabis nullãbis esse,qui gratia nõ fuerint præditi?Nã fit plerunque vt qui meliores sunt,minorem in illis rebus peritiam habeant. Et denique fidem qua montes loco dimoueantur,tu prorsus falsam,& impotentem iudicabis, quia sit informis,&

Quæ extra charitatẽ fiunt, nõ sunt oũno nihil, vana & falsa.

1.Cor.13.

absque charitate? Tota nimirum aberras via. Nam Pauli testimonium quod adducis, plane militat contra te,& conuincit alium esse verborum intellectum, quàm tu ex ipsis concipis. Quis enim non perspicit, quin vera potest illic esse prophetia, vbi non est charitas,& mysteriorum itẽ notitia vera, simul & sciẽtia rerum vera,fides quousq; adeo vera,vt sit etiã portẽtifica.Quis,inquã, nõ dilucidè cernat has, nõ õnino nihil,neq; falsas esse,sed tantum nõ meritorias, nihil enim possessori conferunt ad cælestis gloriæ meritũ, absque charitate.Et proinde Paulus asseruit,habentem eas nihil esse,quippe quòd in oculis Dei non acceptãtur vt præmio digna,& ideo quantũ ad eius reputationem nihil sint,hoc est, nullius meriti.Ad quẽ sanè modum,& primus motus peccatoris, quo ꝓpter gehennæ metũ incipit à peccatis auerti,dolẽs & deflens animæ suæ iacturam, quanq̃ adhuc meritorius non sit,quum citra charitatem non fiat,est tamen verus dolor non hypocritarius. Sed aliã adhuc Lutherus huius rei probationem annectit, quia non fiunt, inquit,ex toto corde. Quid si non fiant ex toto corde? Num ob id nihil sunt,& falsa? Es ne iam oblitus illius quod supra dixeras:Neminem esse,qui nõ magna ex parte seipsum diligit, vt propterea nequeant Deum ex toto corde diligere. Omnis ergo dilectio, & omne opus quod facimus hac tua ratione nihil esset,& falsum,quia non ex toto corde proficiscuntur. Deinde subsumis: Quod autem ex toto corde nõ fit, iam hypocrisis est. Si iustam argumentandi formam seruasses,dixisse oportuit: Quod autem ex toto corde non fit,iam hypocrisis est.Sed hoc stare nõ potest. Nam & sic teipsum in omni opere conuinceres hypocritam esse, quum nihil agas (vt asseris) ex corde prorsus toto. Sed plurimum interest ex corde quicquam agi,& ex toto corde.Neque enim paruam,eius vocis toto, vel adiectio,vel exemptio, facit in sequelæ contextu variationem. Ex corde nimirum dolet is peccator,de quo loquimur, quanquam non ex to-

Cõtra Lut. ex suis ipsi verbis.

Plurimũ interest,ex corde quicq̃ agere, & ex toto corde. Matth. 15.

to corde. Si non ex corde doleret, dolorem tamen in vultu prætexeret, iam rectè colligeres hũc dolorem hypocrisim esse. Verum is in corde dolet, quanquam non ex toto corde. Neque probatio quam subitcis satis est valida. Nam quanquam hi, de quibus loquitur Christus, hypocritæ fuerint, quum aliud corde, aliud vultu simulabant, vultu quidem & ore, præ se ferebãt esse Dei cultores, corde tamen aliud longe diuersum meditabantur. Et propterea dixit Christus: Cor autẽ eorum longe est à me. Licet, inquam, hi fuissent hypocritæ, non tamen id cõsequitur de peccatore nostro, qui dolorem quem vultu præ se fert, eundem gerit in corde. Sed neque protinus oportet vt is hypocrita sit, cuius cor non fuerit approximatum Deo. Filius enim prodigus, quanquam erat adhuc (vt Euangelium ait) longe positus à patre, quia tamen gradum alium versus patrem ascenderat, hypocrita dici non potuit. Iam post tot tricas intricacissimas adiungis: At contritio per peccatorum collectionem parata sine amore Dei & iustitiæ: hoc est, sine corde conteritur. Hic ego reclamo penitus. Nam & si non amore Dei conteratur, is de quo loquimur, conteritur tamen amore sui, nempe quòd in iacturam tantam inciderit, quòd vltionem & gehennã imminere sibi formidet, quam iam studet euitare. Atque hoc est violenter & amanter conteri, quantũ ad se, licet non adhuc quantum ad Deum.

Lucæ. 15.

¶ Ego enim hypocritam aliter diffinire non possum, quàm eum, qui id quod facit, non ex animo & syncero corde facit. Animũ autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, sed sola charitas spiritus.

Luth.

¶ Nihil ad nos attinet, quã hypocritæ diffinitionem ipse pro tuo capite somniaueris. Hypocrita non est dicendus, nisi qui ficto simulatoque animo quicquam facit aut loquitur. At is de quo iam disserimus ex animo facit, quanquam nõ adhuc propter Deum. Quod autem subdis: Animum autem talem & cor nõ

Episc.

Hypocrita quis cẽsẽdus

dat nec natura, nec collectio peccatorũ, sed sola charitas spiritus. Huic nos respondemus: Quòd si natura dare non potest, potest tamen fides informis: quæ vt infra charitatem, ita supra naturam est, talem animum, & cor exhibere: atq; id præsertim inspecta peccatorum multitudine, cæterisque damnis horrendis, quæ sequuntur ex illis. Neque negauerim hunc doloris motum à spiritu concitari. Cæterum pleraque sunt dona spiritus, quæ quibus donantur, citra charitatem accipiunt: quod genus illa sunt, de quibus superiùs diximus, nempe prophetia, notitia mysteriorum, scientia & fides, quas innumeros absque dono charitatis accepisse, compertissimum est.

Fides informis.

¶ Quòd si dixerint se loqui de cõtritione in charitate facta, iam articulus nihil ad me. Non enim vnq̃ sic docui, imò quia vt meũ damnant, de contritione naturali & impia extra fidem loqui eos oportet, quã esse hypocrisim satis iam ex dictis constare puto.

Luth.

¶ Non vsqueadeo rudis es Luthere (quãquam id dissimules) vt ignores quid disputatores de contritionibus, cum generali influxu, & auxilio Dei posse considerare peccatum ab se cõmissum, vt offensiuũ Dei, & vt auersiuum à Deo, vt impeditiuum præmii, & supplicii inductiuum, ac proinde posse voluntatem eius peccatum sic consideratum detestari. Et in hoc detestationis motu pergere, donec ex congruo tandẽ infundatur gratia. Infusa verò gratia, iam idem motus (qui pridem dictus erat attritio) contritio dicitur. Videtur, charitate formatam esse. Attritionem verò, quæ discussionem illam & collectionem & detestationem peccatorũ cõplectitur, penitus informẽ esse. Verũtamẽ eãdẽ opinãtur ex fide simul & aliis donis Dei gratuitis proficisci, quę supra naturã sunt, sed citra charitatẽ. Nec est dubiũ, quin tã fides q̃ spes, ac cętera id gen° dona, sunt ĩ multis peccatorib° absq; charitate, id quod etiã ex tuo Cassiano superi° apertè cõstitit.

Episc.

Luth. ¶Aut opinantur hic fortè, mediam & neutralem suam theologiam, ꝙ illa collectio, licet extra charitatem facta sit, nõ tamen sit ficta, quia præparat ad gratiam proximè, dum facit homo quod est in se. Verum de ista impietate inferius suo loco. Ego enim peccatum assero, quicquid ante gratiam fit in homine, tantum abest vt præparet ad gratiam.

Episc. Præparatio ad gratiam. ¶Non satis est, asserere quicquid tuo cerebro visum fuerit, sed probes etiam oportet, id quod asseruerís. Nos cum tuo Cassiano fidem opinamur & spem nondum formatas charitate, non solum non esse peccata, verumetiam inspectis peccatorum incommodis, excitare posse peccatorem, & eundem ad gratiã prẽparare. Et idipsum necesse est vt tu confitearis, modo tibiipsi velis adesse. Nam in sermone de Eucharistia doces, quòd hæc præparatio quæ sequitur cunctis communicare volentibus sit necessaria, videlicet vt primum confiteatur omnia peccata, quæ manifestè sunt mortalia, & maxime quæ inuidiam, displicentiam, ac amaritudinem habent in proximum. Quòd si sentiat quis aliquam amaritudinem sic adhæsisse, vt deponi haud facile possit, tum consulis, intret in cubiculum suum, & patrem oret, quatenus is per suam gratiam id faciat, quod suis viribus ipse non potuit, hæc facienti, gratiã ex eucharistia polliceris. Ex hoc nimirum aperte sequitur, ꝙ præparatio illa ante gratiam per fidem facta, nõ fuit prorsus inutilis, sed quia fateris necessariam esse, fateri etiam debes, eandem gratiæ consequendæ fore conducibilem.

Sua i Luth. tela retorta.

Luth. ¶Secundo de altera parte, ꝙ ea cõtritio faciat magis peccatorem, latius dicẽdum quo & prior pars maxime nititur. Hic Apostolum inuoco, qui dicit Rom. 5. per legem abundare peccatum. Et ad Gal. 3. per legem augeri transgressiones. Et 1. Cor. 15. virtus peccati lex. Quibus verbis prorsus neutralem illam theologiam euacuat, quæ inter odium & gratificantem amorem medium fingit naturalem amorem legis, qui contritionem istam paret.

¶Quorsũ hęc Pauli testimonia de lege spectant? Neq; enim articulus ille tuus, vllã facit de lege mentionem. Quis ergo non videt, q̃ procul à negotio petita sunt hæc testimonia? Quid enim si præcepta legis duntaxat spectanti, peccandi detur occasio. Num propterea qui fidem spectat, & per fidẽ peccatorum incommoda non poterit peccata detestari? Lex enim ad peccandum neminem adegit inuitum. Tantum egit vt appetitus, accepto mandato, legi magis reniteretur. At hoc non est vim inferre peccandi, sed occasionem duntaxat. Neque enim nos amorem legis naturalem hanc parare contritionem opinamur, sed fidem cum eius dispendii recordatione, quod ex peccato prouenit. Fides enim ob oculos peccatori statuit grauitatem, multitudinem, fœditatem suorum scelerum. Præsentat æternos gehẽnæ cruciatus, quos & omnino videre facit (nisi resipiscat) effugere se nõ posse. Ostendit & cælorum præmia, quæ iam peccator amisit, recuperaturus tamen eadem, si dignè conteratur. Hęc hauddubie collectio citra charitatem fieri potest, quæ si cordis aliquem motum excitet ad detestanda peccata, quod fieri plerunque compertissimum est, iam factus est quasi gradus quidã, quo peccator propius ad culmen veræ contritionis accessit. Et profecto rationi consentaneum est, vt qui tã longe positus antè fuerat à salute, non repente sed paulatim, & quasi gradibus quibusdam ad eam reuertetur. Quo fit, vt is qui iam à peccatis auertere se cœpit, & ad Deum conuerti, gradum vnum conscendisse, iamque charitati vicinior effectus esse credatur, quàm antè fuerat. Vtrumque fit, non meretur sanè peccator, ob hunc detestatiõis motum notã aliquam deteriorem, vt dicatur iã peccare grauius & esse magis peccator, quàm fuerat pridem.

Episc. Lex ad peccandũ neminem adegit inuitum.

¶Si enim hic amor stet, & per ipsum non augetur peccatũ, mendax est Paulus, qui generali sentẽtia dicit, legem esse auctricẽ, & virtutẽ peccati, ita vt è solo Christo pendeat victoria eius. Ergo faciat quicquid

Luth.

potest natura ante gratiam, auget peccatum, quia nõ
potest nõ odisse legem. At hoc odium est peccatum,
imò augmentum peccati, quum non solum peccet cõ
tra legem, sed odiat non licere peccare, prohibẽte sci
licet lege. Ita fit, vt irritante lege & cõcupiscentia &
peccatum magis placeant, & lex magis ac magis dis-
pliceat. Quum ergo collectio peccatorum extra gra-
tiam, non nisi legem sibi præstituat, ad quam peccata
sua confert, impossibile est, licet metu pœnæ, vel spe
præmii fortiter simulet, vt non magis odiat legem q̃
peccata, & magis diligat peccata q̃ iustitiam legis.

Episc. ¶Hoc totum extra caussam tibi declamatum est.
Nos enim non de lege aut amore legis loquimur, tan
tum inquirimus, quid amor peccatoris ad seipsum,
adiutus fide simul & spe, citra charitatem posset. An
scilicet amor iste fide speque fulcitus, libratis grauis-
simis & acerbissimis peccatorum incommodis, posset
compunctionem & contritionem tantã excitare pec
catori, qua promoueatur aliquousque versus charita
tem. Non negamus, quin si peccator legis imperium
spectet, inde magis inardescit illi' cõcupiscentia, nisi
per gratiam fuerit adiutus. Sed nos alio spectare facil
mus peccatorem, nimirum ad iacturam, quam ex pec
cato contraxisse fide cõtemplatur, simulque ad recu
perandæ gratiæ possibilitatem. Et hac consideratio-
ne non dubitamus, fidem posse nonnihil ad salutarẽ
compũctionẽ inducere. Alioqui dona ista, nempe fi-
dei & spei, sunt incassum donata peccatoribus. Dic
mihi tu, qui de scripturis tantopere gloriaris: Publi-
canus ille, qui tametsi peccator in templum ascende-
rat, descendit tamen inde iustificatus, qua ratione cõ
sequutus est hanc iustificationem? Nimirum quia se-
ipsum humiliauit. Sic enim Christus ait: Omnis enim
qui se humiliat, exaltabitur. Et aduerte quid dicat:
Qui se, inquit, humiliat. Vt intelligas hunc publica-
num nõnihil ad suam ipsius humilitatem fecisse. Sed
cur humiliauit sese? Certè quia fœditatẽ, grauitatem,
multitudinem scelerum suorum cõtuitus est, ac pro-

Publicanus quomodo iustificatus.
Luc. 14. & 18.

Inde se indignum arbitrabatur, quivel propius acce-
deret, vel oculos in cælum attolleret, sed pectus suũ,
sub quo latuit tanta scelerum latrina, verberabat a-
trociter, & orabat, dicens: Deus propitius esto mihi
peccatori. Quid hic respondebis? Non potes dicere,
publicanum hunc non iam fuisse contritum? Et quo-
modo sibi parauit hanc contritionem, nisi per colle-
ctionem, & detestationem peccatorum? At dices for-
te, quod priusquam in templum ascenderat, fuit iusti
ficatus. Christum ergo mendacem facis, qui per hanc
humiliationem in templo factam, docet eum fuisse
iustificatum. Sed dices adhuc, fidem habuit, & orauit,
& hæc sine gratia fieri non possunt. Certe sine gratia
quę iustificat, ea fieri potuisse non est dubium, quum
& Pharisæus ille similiter, & credidit, & orauit, & ta-
men iustificatus non erat. Sed hoc te fallit Luthere, q̃
tu neminem putas credere posse, aut orare absq; gra
tia iustificãte. Quum tamen tot in scripturis testimo
nia sint aduersum te. Cæterum & iis perspicuum esse
puto, quàm sint nullius momenti cuncta, quæ iã pro-
duxeras. Labefactat enim huius Euãgelii contextus,
non articulum solum, sed & singulas argutias, quibus
eundem stabilire conaris, non modo quæ lectę sunt,
sed & cæteras quæ subsequuntur.

¶Et quid faciat impius extra gratiam, quum supe *Luth.*
rius articulo primo docuerimus, quanto sudore iusti
& sancti viri condelectentur legi Dei, & resistant le-
gi membrorum repugnanti, & captiuanti? si illi colli-
guntur, non modo odisse, sed & repugnare legi Dei,
& captiuari, quid facient impii, in quibus ista pugna
spiritus nondum est?

¶Si de impio loquaris, qui resipiscere nõ studet, *Episc.*
profecto concedimus, q̃ magis ac magis in omnium
scelerum charybdim absorbetur. Sed nos de isto con
tendimus, qui totis viribus ad Deum conuerti cona-
tur, quales multos esse nemo dubitat, & his Deũ prę-
sto esse qui manum porrigat. Alioqui frustra pecca-
tores, vel ad cõciones audiendas accedunt, vel elee-

mosynas faciunt, aut preces fundunt, aut alia id genus opera faciunt, quibus ad ignoscendum flecti cõsueuit Deus. Quod si concesserimus quid potest magis ad perniciem peccatorum excogitari?

Luth. ¶ Quid faciat caro, vbi spiritus non est? præsente spiritu pugnat contra legem Dei, & tu dicis, ꝓ absente spiritu pugnat pro lege Dei? Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & tu docebis solam carnem nullo pugnãte spiritu, facturam pro spiritu? Quid potest insanius dici & fingi?

Episc. ¶ Spiritu nullus carere potest, quisquis homo fuerit, quum tres has partes, nempe spiritum, animam, & carnem in singulis hominibus esse, superius affirmauimus. Nec spiritu caruit ille sceleratissim⁹ hominũ, nimirum ipse publicanus, de quo meminit superius Euãgelium. Spiritum equidem habuit, qui per fidem carni aduersabatur, & qui de carne quasi vltionem sumens, publicanum impulit, vt conspectis horrendis illis detrimentis, quæ sibi per carnem illata fuerant, duriori verbere suum pectus impeteret.

Luth. ¶ Malę cupiditati tribuitur vt faciat opus contra quod ipsa eadem summis viribus pugnat, dum præsens est bona cupiditas.

Episc. ¶ Non malę cupiditati tribuimus hoc opus, sed fidei, tametsi nondũ formatæ. Neq; enim publicanum excitauit mala cupiditas ad cõtritionem, sed fides & timor Dei, atque suorum peccatorum horror.

Luth. ¶ Credo hæc factura fidem, per legem non nisi augeri peccatum, id est odio haberi iustitiam, & amari peccatum, idque toto pondere & summis viribus, vbi natura sola fuerit extra gratiam, quum in gratia summis viribus pugnet cõtra legem. Simul credo pateat non modo hypocritam, sed & magis peccatorem fieri, collectorem illum contritionis ex peccatorum & legis intuitu.

Episc. ¶ Et nos cõcessimus, si nõ alio spectes, q̃ ad imperiũ legis. Sed hoc nihil ad nos. Nos enim Euãgelium docuit, ꝓ ille qui sub lege fuerat, ob id quia se humi-

liauit, per collectionẽ & detestationem peccatorum suorum ad tantam peruenit cõtritionem, vt esset iustificatus. Et quum hoc illi contigit tempore legis, quis tam impudens erit, vt iam sub tempore gratię paria facientes, inurat hypocriseos nota, dicatque factos hypocritas, & nunc magis quàm ante fuerant, esse peccatores, ꝓ ob oculos damna suorum peccatorum constituerent, vt per fidem ea detestarentur.

Luth. ¶ Quin eat quisque in cor suum, & non mentiatur sibiipsi, respondeatque mihi. An nõ cor suum ita inueniat, vt mallet nullam legem esse? An non odiat pœnam peccatorum esse? An non sentiat sibi placere voluptatem, gloriam, opes, scientias, &c. Quis est qui his non afficiatur? At affectus, nonne vellet non esse prohibita? Quod si quis simulet non se multum ista curare, fateatur saltem ex parte illis affici. Si non fatetur, nõ credo ei prorsus, cum omnes sancti id quærantur de seipsis, & has repugnantes leges membrorum assiduè accusent. Quid ergo contra proprium sensum & vitalem pulsum experiẽtiæ, fingimus amorem naturalem legis, & odium peccati, quo præparatur homo ad gratiam, cum ista sint non in corde nata, sed natãtia sicut spuma & pervim extorta, sub quibus alitur eo fœdius, & maius odium legis, quo fortius simulatur odium peccati. Horũ certe impiorum est illa violenta conscientia, quam Paulus cauterisatam vocat ad Timotheum primo.

¶ Superius dixi, non amorem legis naturalem, aut omnino naturale peccatorum odium hãc contritionem operari, sed fidem, sit ea licet informis. Credidit enim publicanus cũ esset in tẽplo, Deũ sui cordis inspectorem fuisse. Quę fides incussit ei timorẽ primũ, deinde scelerum horrorẽ, post hęc humilitiationem sui, demum & pectoris vltionem, atq; implorationem clementiæ Dei. Quod & fecit tanta detestatione sui tanta cordis contritione, vt tãdem apud Deum esset iustificatus. Egit interim nihilo minus caro, natura q; suum opus, verum præualuit fides, quemadmodum

Episc. *Publicani fides.*

& In illis fecit, quos memoras, sanctis. Quanquam ea ro peccatum amet, & legem ac virtutes odiat, recalcitretque magis, quo plus arcetur, si tamen anima, spiritum & fidem sequatur, potest ad tantam cordis compunctionem ascendere, vt tandem iustificationis assequatur gratiam. Id quod ipse confiteri debes, si tecum velis constare. Nam in commentariis ad Galatas asseris, fidem promereri gratiam, & fidem mereri vt spiritus detur. Quid ergo prohibet, quin hæc opera, quæ ex fide proficiscuntur, quanquam haud dum affuerit gratia, præparare possent ad gratiam. Quando enim quis ob oculos peccata sua statuit, simul & Dei beneficia reuocat ad memoriam, cogitans quàm supra modum se prębuisset ingratissimum tam benignissimo patri, suamque ingratitudinem detestatus, de seipso tandem supplicum sumit. An non hi motus omnes ex fide nascentur? Quamobrem quum ipse palàm affirmas, fidem promereri gratiã, cur non & hi motus & opera ex fide profecta, possent identidem ad gratiam præparare?

Luth. ¶ Vnde ego sentio, & doceo, perniciosum esse genus docendi, quo intuitu pœnarum, pręmiorum, peccatorum, docentur pœnitere. His enim doctrinis coercentur quidem ab opere, & cauterisatam violentamque formant sibi conscientiam seu bonum propositum, & maiore malo occultũ illum affectum contemptæ legis, & amati peccati nunquam intelligunt, nec obseruant, imò iis studiis occultam contenti satisfecisse istis impiis dogmatibus operam, quibus tamen si libere loqui concedas, statim dicent, se non ex animo pœnitere, & nisi lex infernusq; esset toto impetu malle explere mala sua, præsertim tentati.

Episc. ¶ Si fuerit hoc dicendi genus perniciosum, profecto Christus pernicioſe docuit. Nam hoc vsus ipse fuerat docẽdi genere, quemadmodum ex superioribus constitit. Cæterum nihil prohibet quẽquam ex animo pœnitere, tametsi deprehendat hos affectus in carne sua repugnãtes. Nã & iis neq; sãctissimi viri caruere.

Sed animus fide adiutus, & præ mentis oculo, damna quæ ex peccato incurrit constituens, simul & commoda quæ per resipiscentiã acquirere posset iugiter cogitans, non est dubium, si velit spiritum suum admonitorẽ sequi, & (quoad poterit) carnis affectibus reluctari, ac Deum assiduis interpellare precibus quin is tandem ad veram emergeret contritionem.

¶ Quanto ergo rectius sane docerentur istum affectum capitalem, pessimum, occultum agnoscere, & donec ab amore legis inciperẽt, pœnitere, sese hypocritas esse scirent, & nil de hypocrisi tali pręsumerẽt, imò super ea magis quàm super peccatis, quorum intuitu fictum istum dolorem coegerunt. *Luth.*

¶ Duos modos ante recẽsuimus ex Cassiano, quibus ab veram compunctionem peruenitur, altero timoris, amoris altero. Quos ad harum rerum expertissimus simul, & exercitatissimus pugil D. Antonius in epistola quadam ad fratres astruit, nos vtrũque probamus, reiicimus neutrũ quanquam hunc secundum & laudabiliorem efferimus, si tamen peccatoris animum penetrare queat. At vbi non quibit, alter ille nequaquam spernẽdus est. Nihil enim ambigo, quin maxima pars eorum, qui veram contritionem assequuntur, à timore potius incipiunt quàm ab amore. Cæterum quòd contritio per timorem parata, neque faciat hypocritam, neque magis peccatorem, satis superque iam diximus. *Episc. Eodem ar ticulo. Contritio per timorẽ parata, neque facit hypocritam neque magis peccatorem.*

¶ Admitto sane crassos illos & induratos impios, qui nondum conscientias habent, terroribus illis sicut seruos indomitos vrgeri ad pœnitentiam, sicut magistratus gladio coercet sceleratos. Sed vbi cõscientiæ sunt, ibi certæ instituendæ sunt, vt à Christo primum incipiant, & in misericordiam eius credẽtes vitam mutent. Tum enim primum pœnitentia vera incipit, quando ex amore fluit, sicut ipsi dicunt. Tũc non amore commodi, ne timore pœnæ, sed affectu solius iustitiæ peccata colligent, & ponderabũt, vt hæc fusius in sermone de pœnitentia dixi. *Luth.*

Episc. ¶Gaudeo iam tãdem inuenisse te crassos aliquos, quibus opus est, vt terroribus istis agitentur. Sed vide, num eadem crassitie pro maxima parte laboram omnes? Si dixerit propheta Dauid: Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui, multo magis id nobis optandum erit. Seruus iste crassus, quo non est crassior alter, caro inquam nostra, timore iudiciorum Dei cohibere debet & coerceri districtus. Sicque postquam incœperimus à timore, peruenietmus tandem ad amorem, vt subinde timor paulatim designat, & affectus in nobis iustitiæ tandem aliquãdo regnet ac triumphet.

Psal. 118.

Luth. ¶Quando enim de pœnitentia docemus, eam docere debemus, qua fiant Christiani ex corde pœnitentes, quod nõ facimus nisi fidem doceamus omniũ primo, iis qui peccata sua sentiũt, ne præuenta stulta operum opinione, incipiant salutem à seipsis operantibus & currentibus & non à miserante Deo. Aliud enim genus est docendi induratos illos, ferreas cerui ces & æreas frontes ab extremis saltem peccatis coercere, etiã si corde inuito, & coerceri odiente peiores in semetipsis fiant, minus tamen nocebunt aliis.

Episc. ¶Fides vtiq; tam istis crassis q̃ illis quos dicis habere cõscientias, necessaria est. Hæc iustitiã Dei monstrat, quæ metũ incutit, mõstrat & misericordiã quæ fiduciã præbet. Multis obfuit soli' misericordiæ recordatio. Fecit enim vt præsumerẽt. Multis enim itẽ solius iustitiæ, quæ fecit vt desperarent. At ambæ simul cõfœderatæ profuerunt omnibus. Hæc dixerim vt intelligas non vnicum esse modum vocãdi peccatores, sed alios timore, alios amore vocatos esse, & timorem huic magis necessarium esse, q̃ amorem, alteri secus amorem conducere potius q̃ timorem. Ex quo patet, & erroris occasionem tibi fuisse, ꝙ quum duo sint capitales modi quibus resipiscere peccatores cõsueuerunt, vnum timoris, amoris alterum, tu tamen illum ita mordic' amplecteris, vt hũc omnino reiicias. Sed de hoc articulo iam satis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

VErissimum est enim prouerbiũ omni doctrina de cõtritionibus hucusq; data præstantius quo dicitur, Optima pœnitentia noua vita. Luth.

¶Falsum & hunc articulum esse cõstat, ex iis quæ disseruimus articulo quinto. Tollit enim omnem satisfactionem, quã non in scripturis modo, verũetiam ex probatissimis authoribus docuimus esse vsqueadeo necessariam pœnitenti, vt nisi pro commissis antè satisfecerit, non illi patebit in cælum aditus. Continuè (inquit Augustinus) dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Pœna enim proprie dicitur læsio quæ punit & vindicat, quod quisque cõmisit. Ille enim pœnam tenet, qui semper punit quod cõmisisse dolet. Hæc Augustinus de vera & falsa pœnitentia cap. 19. Nec est quod nobis obiiciat. Metanœã resipiscentiam aut transmentationem dici, non pœnitentiam, quasi Lutherus vim huius verbi (si diis placet) iam tandem cognoscat magis, quàm priores patres quotquot ante nos ingenti numero præcesserũt. Hi certe quod & verissimum est, nouam vitam à nemine putant ritè inchoari posse, nisi quem veteris pœniteat, & qui pro noxis prioribus in se seuerius vlciscatur. Mutare vitam cuique quantumcunque sceleratò facile est, quod & Chrysostomus docet homilia. 1. super Ioannem, verum in ea sic mutata perseuerare difficile. Neque si sic perrexerit, id ei sufficiet, nisi pro qualitate delictorum, aut condignam subierit poenam, aut alio quouis pacto satisfecerit. Episc. Cõtinue dolendũ de peccato. Pœnitere quid sit. Nouã vitã inchoare nemo potest, nisi quẽ veteris pœniteat.

¶In omnibus hominũ verbis, nihil verius est communib' prouerbiis, adeò vt & scriptura sancta sæpi' prouerbia tanquã verissima citet. Quocirca mirum, quid illis acciderit, vt cõtra omnium sensum, & sentẽtiam audeant damnare, vt mea non sit ista sententia, vnde & defendendam eam relinquo omnibus. Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

Episc. ¶ Pleraque sunt prouerbia, quæ non semper verissima sunt, quanquam & hoc prouerbium, secundum aliquem sensum verum esse posset, vt si de iis pœnitentibus loquamur, qui frequenter incipiunt pœnitere, sed perficiunt nunquam. Sunt enim plurimi, qui pœnitudinis iter sæpe tentant, at non eousque pergunt, donec formetur in eis vita noua. De huiusmodi certè (quorum neque paruus est numerus) dici potest, quod inter eos is optime pœnitet, qui nouam attingit vitam, & in eadem perseuerat, nimirum vt sic per comparationem intelligatur. Optima pœnitentia noua vita.

Quomodo intelligitur, optimā pœnitentiam esse nouam vitam.

Luth. ¶ Ego autem defendo quod addidi, quod ostendi id prouerbij cum scriptura conuenire, vt Paulus Gal. 2. dicit, In Christo enim Iesu neque circuncisio, neque præputium aliquid valet, sed noua creatura. Hanc sententiam debuerant damnare, quo stabiliui prouerbium, dum me voluerant damnare. Plane enim hic Apostolus docet, omnia vana esse, nisi simus noua creatura in Christo. At pœnitentia, quæ sine amore iustitiæ agitur, vetⁿ adhuc est creatura, nó plus valens quàm circuncisio aut præputium.

Episc. ¶ Primum erras in huius scripturę intellectu, quémadmodum in altera simili prius abs te citata feceras, nempe hac: Si charitatem non habuero, nihil sum. Vtrobique sane Paulus intelligit nihil esse, hoc est, nullius æstimationis esse, quantum ad cælestis gloriæ cõsequutionem spectat. Et si certe quicquid in homine charitatem & gratiam antecedit, id nihil esse concedimus. Cæterum hoc non est esse penitus nihil, vti proximo disseruimus articulo. Mihi nunquam persuadebis, quod eleemosyna, oratio, iniuriarum dimissio, ac cætera id genus opera, nihil omnino peccatori conferunt, quo posset ad gratiam citius peruenire. An nó iis modis Cornelius Centurio (quemadmodum in Actis traditur) homo gentilis, nullis adiutus sacramentis, peruenit ad salutis viam? Alioqui non audiisset ab angelis sibi dictũ: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ

Quomodo antecedit gratiã nihil est quo ad cælestis gloriæ consequutionẽ.

Act. 10.

ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Nõ est ergo prorsus nihil, si quis peccator extra charitatem existens, studio resipiscendi, faciat aut eleemosynam aut orationem, aut cætera id genus, quanquam non inde mereatur ex condigno præmium. Quod & Diuus Hieronymus palam testatur in commentariis Epistolæ ad Galatas: Consideremus, inquit, diligenter, quia non dixerit, volo à vobis discere, vtrum ex operibus spiritum accepistis, sed adiecerit, ex operibus legis. Sciebat enim & Cornelũ Centurionem, spiritũ ex operibus accepisse, sed non ex operibus legis quã nesciebat. Si autem è contrario dicitur, ergo & sine auditione fidei accipi spiritus potest. Nos respõdebimus accepisse quidem eum spiritum, sed ex auditu fidei & naturali lege, quæ loquitur in cordibⁿ nostris, bona quæque facienda & vitanda mala, quam dudũ quoque Abraham, Mosen, & cæteros sanctos iustificatos retulis, quam augere deinceps potest operum obseruatio, legis quoque iustitia, non tamen carnalis legis quæ præteriit, sed spiritualis quia lex spiritualis est. Hæc Hierony. Sed & pœnitentiam quæ antecedit iustificationem non esse prorsus nihil neque nullius momenti, vel ex eo liquet, quod Petrus eam Simoni Mago suaserat, quum is esset expers charitatis. Pœnitentiam, inquit, age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Profecto si Petrus opinatus fuisset, aut pœnitentiam, aut orationem, nihil potuisse conferre peccatori extra charitatem cõstituto, nunquam huic homini sceleratissimo consuluisset, vt eas faceret. Quãobrem à vero longe dissidet, asserere, quicquid charitatem antecedit in homine prorsus nihil esse, nec valere quicquam. Dicas quicquid velis Luthere, scio nunquam hunc locum dilues. Sed hæc scriptura Pauli quam producis, non probat nouam vitam esse optimam pœnitentiam, sed magis hoc ipsum probat, quod nos iam diximus, hoc est, eam pœnitentiã quæ præcessit gratiam, & nouam vitam, nihil esse, hoc est,

Aliud est accipere spiritum ex operibus, aliud ex operibus legis. Cornelius ex operibus spiritum accipit, sed nõ ex operibus legis.

Act. 2.

Luth. prostratus.

nullius esse meriti, quum ea nondum fuerit charitate formata. Neque enim satis dialectice sequitur: Poenitentia (quę nouam creaturā antecedit) nihil valet, igitur noua creatura, aut nōua vita est optima poenitentia. Possunt enim hæc ab inuicē secerni, vt docet Christianus, & vita noua manere, peractapoenitētia. Quod si mutare vitam sufficeret absque poenitentia, nemo est, qui non facile poenitentiā à se repudiaret, quum ex opinione tua planè constet eam semper autnoxiā esse, aut non necessariā. Nam si poenitentia nouam præcedat vitam, noxia est per te, quum peccatoris cōditionem deterioré faciat, vtpote magis peccatorem & hypocritam eum constituat. Sin vero sequatur, iam non erit necessaria, quia noua ipsa vita sufficit, quę tibi dicitur optima esse poenitentia. Ad hunc itaque modum, peccatori quantumcunque grauissimo, ita noua sufficeret absque omni pœnitentia.

Luth. ¶ Nam & Paulus quum conuerteretur luce subita circumfulsus eodem momento charitate indutus est dicens: Domine quid me vis facere? Hæc verba, non dicit poenitentia seruilis, quæ potius horret & fugit à facie domini, sicut Iudas Scarioth. Charitas sola dicit: Domine quid me vis facere?

Episc. ¶ Conuersio Pauli singularis fuit, & stupenda potius, quàm sit ad multitudinis exemplum trahenda. Veruntamē habet ea conuersio nonnihil simile cum multis poenitentibus, præsertim, quod à timore coeperit, quemadmodum Augustinus ad Bonifacium de correctione Donatistarū scribit: Vbi est, inquit, quod isti clamare consueuerunt, liberum est credere vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum apostolum. Agnoscant in eo, prius cogentem Christum, & postea docentem, prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem, quomodo ille, qui poena corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnib' qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas

foras mittit timorem. Hæc August. Hoc igitur cū Paulo multitudini commune fuit, quod à timore coeperit eius conuersio. Quam rem & Acta testantur, quæ tradunt illum in terram cecidisse, & tremētem ac stupentem dixisse: Quis es tu domine? Neque enim vtutu citas, primum dixit: Domine quid me vis facere? Sed primum scisciatur quisnam esset, qui se nomine proprio cōpellabat, Dixit enim qui Paulū in terram prostrauit: Saule, Saule, quid me persequeris? Nō fuit igitur charitate, primo ipso momento, Paulus indutus, sed timore prius, & deinde post timorem ac fidē, introducta fuit charitas, velut per setam linum. Quo fit vt neque timor ille noxius fuerit, sed salutaris, quanquam citra charitatem, animum aliquādiu pressit. Fuit enim principio deiectus & increpatus ipse Paulus, necdum sciebat à quo sibi id factum fuerat. At vt audiuit, Ego sum Iesus, quē tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Mox creditit & charitatem induit. Nam & obsequētem se protinus ostendit, quum dixit: Domine quid me vis facere? Neq; enim charitas fidē potuit antecedere. Prēcessit ergo timor, subsequuta est fides, atque ita tandem subintrauit & charitas.

Pauli conuersio à timore incœpit. Act. 9.

fides Janua est ad cæteras virtutes nam absq; fide impossibile est Luth. placeredeo

¶ Sis ergo certus, simul dum homo conteritur, simul & gratia infunditur, & in medio terrore diligit iustitiam, si verè poenitet, si autem non simul diligit, non vere poenitet.

¶ Veram contritionem sæpe diximus neminem absque gratia possidere posse. Sed timorem, & cōcussionem, & dolorem, quem dicunt atterentem, quis nō ex superioribus intelligit, plerunque priores esse gratia. Quod si illa non sufficiāt, audiamus adhuc quid nam hi dixerint, quibus Baptista poenitentiam prædicabat. Neque enim verbulum amoris aliquod eis ipse protulit, sed timoris omnino. Quid enim aliud, quàm genimina viperarum appellauit, & lapidibus etiā inferiores eos fecit, ac minabatur futuram iram? Sed & securis meminit ad radicem arboris positæ,

Episc. Vera cōtritio absque gratia non possidetur.

Luc. 3. Timor salutaris nonūq; gratiā antecedit.

simulque & excisionem atque ignem interminabat. Et tamen hæc audientes, timore concussi, leges quasdã viuendi petierunt. Quid, inquiunt, faciemus? Certum est in his timorem salutarem antecessisse charitatem, si tamen charitas tum affuerat, quum iam instrui petiissent, quidnam essent facturi. Neque dubiũ est quin illa pœnitentia, quæ charitatem antecessit, vera fuisset pœnitentia, simul & salutaris quanquam non adhuc ex condigno meritoria.

Luth. ¶ Probani enim sæpius infusionem gratię fieri cũ magna animi concussione. Sicut beata virgo ad ingressum angeli turbata est, & hac ipsa turbatione ad summum amorem virginitatis impulsa est. Neque enim vehementius vnquam amauit virginitatẽ, quàm hac hora, in qua viri personam solitaria intuens, metuit violentiam castitatis. Ita peccator dum virtute Dei compungitur, & visitatur per gratiam, vehementer concutitur, atque hac ipsa concussione ad odium peccati & amorem iustitiæ rapitur. At qui sua vel legis solius virtute pœnitet, concutitur quidem, sed fingit odium peccati, quia stat sententia. Virtus peccati lex. Nollet enim sic concuti, multò magis ij fingunt, qui sine cõmotione solis cogitationibus frigidis peccata recogitant.

Episc. ¶ Ineptissimas hauddubiè probationes adducis. Quid enim hoc ad rem facit quòd virgo beata turbabatur ad ingressum angeli? Oportet probes, eam fuisse turbatam potius ad infusionem gratiæ. Quid enim mirum est, iũ virgo quæ sola fuerat, & virginitatem suam Deo consecrarat, subito præsentem, intra sui thalami penetralia iuuenem cernens, ilico turbaretur? Sed certe nimis quàm stupendum esset, si purissimus eius animus in quo nullum gratiæ vel leuissimum fuerat obstaculum, ex ipsius gratiæ perfusione non maximopere consolaretur. Vtcunque fuerit, satis apertum est, Euangelium hoc nusquam asseruisse quod ipse moliris, nempe quod beata virgo turbata fuisset ad infusionem gratiæ. De peccatoribus tamen

aliud est, in quibus magna sunt obstacula gratiæ, quę sanè per timorem prius excutienda sunt, & animus ita præparandus, atque (vt sic dicam) habitandus ad gratiam suscipiendam. Porrò quisquis hanc præparationem damnat, & noxiũ esse diffinit, quicquid antecedit charitatẽ, is omnem aufert peccatoribus resurgendi conatum, simul & funditus eis tollit animum emendandi sese. Sic enim neq; deserendorum peccatorum studium, neque conuertandi sui ad Deũ affectus, neque resipiscendi appetitus, sed neque diuini amoris cõcupiscentia, nihil inquam horum (modo cũtra charitatem fiant, vt & fieri posse non est dubium) nemini non erit fugiendum, quum (si Luthero credimus) peccatorem omnino deteriorem faciant, & longe magis hypocritã, quàm antè fuerat. Hoc profecto dogma quàm sit perniciosum, & peccatoribus cũctis exitiale, nemo tam cæcus est, vt non intelligat, ac digitis ipsis palpet vel crassioribus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

NVllo modo præsumas confiteri venialia peccata, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est vt omnia mortalia cognoscas, vnde in primitiua Ecclesia, solum manifeste mortalia confitebantur. *Luth. De confessione.*

¶ Opinor neminem vsqueadeò cæcum & insanũ esse, vt ob vnius Luthері sentẽtiam, velit tanto discrimini seipsum exponere, quatenus ea peccata quę vel nqrit vel dubitat esse lethalia, sacerdoti non aperiat, & maxime quum intelliget antiquissimos, simul & eruditissimos, atque etiam sanctissimos patres asseruisse tantam exomologesis, hoc est confessionis necessitatem esse, vt quicunque mortaliter deliquerint, eos oportet aut sacerdoti priuatim, aut publicè coram toto populo, sua peccata detegere. Neque facile crediderim patres ipsos hãc vsqueadeò duram prouinciã nobis imposuisse, nisi persuasissimum habuissent, hãc exomologesin aut ab apostolis institutam, aut in ipsis *Episc. Lethalia peccata priuatim sacerdoti aut publicè coram populo detegenda.*

scripturis sacris dilucidè traditam fuisse, seu rem cũctis peccatoribus apprime necessariam, & quam contemnere non possent absq; dispendio salutis animarũ suarum. Expedat igitur quisque secum, an tutius fuerit horum patrum, simul & scripturarum assertiones admittere, suasque animas à tanto periculo custodire, an Lutherum de confessione temere pronuntiantem, & suo capiti, non patribus, nec scripturis innixũ sequi, & cum eo funditus perire. Nos igitur quid patres primum in hac re senserint, deinde, quid scripturæ sacræ diffiniant commemorabimus. Cæterum ne quis neget alios hinc subscripsisse, non grauabimur, quid alij quoque senserint, in medium afferre. Origenes in primis super Psal. 37. scribens ait: Vide quid nos edocet scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut hi qui habent intus exclusam escam indigestam aut humoris, aut phlegmatis stomacho grauiter & moleste imminentem, si vomuerint, reuelãtur, ita etiam hi qui peccauerunt, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum & confitetur, simul emouit & delictum atque omnem morbi digerit caussam. Tantummodo circunspice diligentius, cui debeas confiteri peccatũ tuum. Proba prius medicum, cui debeas caussam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmitãte, flere cum flente, vt condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demum, siquid ille dixerit, siquid consilij dederit, facias & sequaris. Hæc Origenes. At inquiet forte quispiam: Non hæc de priuata confessione debent intelligi, sed de publica. Cui respondemus, quod siue de publica siue de priuata quisquis intelligat, palàm est Origenem sensisse, quodcunque mortale peccatum fuerit, hoc ipsum per confessionem euomi debere. Cæterum quod Origenes hic de priuata confessione loquutus fuerit, vel ex eo dilucidũ est, quod

Peccata intrinsecus nõ celanda.

Aptissimũ exemplum.

Attende lector.

de publica subiecit cõtinẽter: Si intellexerit, inquit, & præuiderit, talem esse languorem tuum, qui in cõuẽtu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. Hactenus ille. De priuata igitur confessione, palàm est Origenẽ supra loquutũ fuisse. Quid iã opus erit Basilij, Dionysij, Cyrilli, Chrysostomi, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, ac cæterorum patrum accumulare testimonia, quando is vnus ex eruditissimis, & idem ex vetustissimis, tam exacte docet, non recenter excogitatam, aut heri natam fuisse confessionem, quam vocant auricularem, sed ab ipsis Ecclesiæ primordiis patribus semper vsurpatam, quam & vsque adeò necessariam duxerant, vt absque huius medicamine, peccatores interituros non dubitabant. Basilius in eo libro, cui titulus est de institutione monachorum, quærenti super eo qui velit peccata sua confiteri, an omnibus debeat confiteri, & quibus liceat, an sacerdotibus tantum? respondet: Quod confessionis modus ad hoc institutus est, vt quispiam à peccato se conuertens, fructus dignos ostendere debeat pœnitentiæ, secundum quod scriptum est: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, necessarium videtur iis quibus dispensatio mysteriorum Dei committitur, confitenda esse peccata. Sic enim & ij, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud sanctos confessi fuisse peccata sua. Scriptum est in Euangelio, quia Ioanni Baptist. confitebantur populi peccata sua. Et in actis Apostolorum, Apostolis, ij qui baptizabãtur. Hæc Basilius. Ex quibus apertum est, sacerdoti necessario peccatorem debere confiteri. Meminit & huius ritus antiquitus obseruari, Dionysius in epistola ad Demophilum inquiens: Tu vero vt tuæ literæ indicant, procidẽtem sacerdoti impium (vt ais) atq; peccatorem nescio quo pacto, contra disciplinæ ordinem

Clandestina confessio, nõ est recens.

Confessionis modus ad quid institutus. Luc. 6.

Peccata sacerdotibus confitenda. Matth. 3. Act. 19.

Universidad de Deusto Biblioteca

astans calce abiecisti, quũ ille quidem verecũdè quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse, neque horruisti insuper & sacerdotem optimum lacerare conuitiis, miserabilem eum dicés, qui pœnitentẽ atque impium iustificasset. Hucusque Dionysius. In quibus illud annotandum est quod dicit, ipsum Demophilũ contra disciplinæ ordinẽ astitisse. Nam ex eo videtur, q̃ huius peccatoris cõfessio sacerdoti facta, clancularia fuit & priuata, cui monachus iste Demophilus (qui nec sacerdos erat) contra disciplinæ ordinem immiscuit sese, quòd & Dionysio acerbè reprehendit. Deinde & istud obseruãdum, q̃ hoc loco ritus nostratis confessionis apertissimè describitur. Peccator enim hic ante sacerdotẽ procidit, peccata detegit, implorat veniã, quem & postremo sacerdos absoluit. Cyrillus item lib. 3. super Leuiticum, remissionẽ peccatorum docet per pœnitentiam obtineri posse, nẽpe quum lauat peccator lachrymis suis stratum suum, & fiũt ei lachrymæ panes die ac nocte, quum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinã, secundum eum qui ait: Dixi pronunciabo aduersum me iniustitiã meam domino, & tu remisisti impietatẽ cordis mei, & aliquando post id in eodem libro, vbi Moses scripsit: Si peccauerit vnum aliquid de istis, pronunciet peccatum quod peccauit, subiungit Cyrillus: Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod iubet pronũciare peccatũ. Etenim cuiusuis generis pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus, siquid in occulto gerimus, siquid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cũcta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accusator peccati est & incentor. Hæc Cyrillus: ex quibus patet quòd nisi pronunciauerimus peccata nostra sacerdoti, diabolꝰ quia ad ista nos induxit, tandem euulgabit. Astipulatur & Chrysost. quicquid alibi dixerit: Nam super Matthæum homilia tertia de illis differens qui baptizabantur à Ioan-

Cyrillus.

Psal. 31.

Confessio peccatorum est testimonium conscientiæ timentis Deum.

ne confitentes peccata sua. Confessio peccatorum, inquit, est testimonium conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri. Qui autem erubescit, nõ timet. Perfectus enim timor, soluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessionis aspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid nescimus quia confessio peccatorum habet pudorẽ, & quia hoc ipsum erubescere, pœna est grauis? Sed ideo magis iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est iudicij. Hæc Chrysost. Et hic aduerte quod dicit: Iussisse Deum, vt confiteamur peccata nostra, quatenus verecundiam patiamur, ceu pœnam quandam pro peccatis suscepta m. Et hanc verecundiã in Exomologesi perpetiẽda Tertullianus pluribus suadet exemplis, & palam affirmat, quod nisi iam susceperimus, peribimus ad instar eorũ, qui quum in patibus verecundioribus corporis quandam contraxerint vexationem, conscie tiam medicorum vitant, atque ita cum erubescentia sua pereunt. Et quãquam ipse de publica confessione loquatur, quæ palam omnibus fit, non immerito repulit eius sententiam Ecclesia, seu nimirum seueram, quemadmodum in veniæ confessione supra modum se durum & difficilem exhibuit, quippe qui non passus est, peccatorem post baptismum vltra quàm semel ad veniam recipi. Cæterum eius imitator Cypra. multo mitius de exomolegesi loquitur, sermone 5. de lapsis, hic enim eos qui corde lapsi sunt ad sacerdotes mittit. Hi, inquit, quanuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti sunt, quoniam tamẽ de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter cõfiteantur. Exomologesin conscie tiæ suæ faciant animi sui pondus exponant, salutarẽ medelam paruis licet & modicis vulneribꝰ exquirãt. Et rursum paulò post: Confiteãtur singuli quęso vos fratres delictum suum dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti cõfessio eius potest, dum satisfa

niam conscie tiæ timentis Deum.

Tertull.

ctio & remisio facta per sacerdotes, apud dominum grata est. Hactenus Cyprianus. Consentit Hierony. super Ecclesiasten cap. 10. Si quem, inquit, serpés diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & nó egerit pœnitentiã, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit cõfiteri, magister qui linguam habet ad curandum facile ei prodesse nó poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina nó curat. Hæc diuus Hierony. Ignoscat mihi lector, quod tot ex veterib' hic citauerim, quod nimirum ideo feci, vt cunctis palam innotescat, ex patrum antiquissimorum sententia, confessionem hominí faciendam necessariam esse, nec sufficere eam, quę soli Deo fit, sed & patet vetustissimũ in Ecclesia morem fuisse, vt peccatores, quæ aut opere aut verbo, seu cogitatione delinquerint, cũcta sacerdotibus detegere solerent. Huc accedit, quòd in historia tripartita traditum sit, antiquitus fuisse consuetum vt presbyter quidam honestæ conuersationis, per pontificé constitueretur, qui celare deberet, ea quæ per confessionem à plebe sibi clanculo detegerentur. Sic enim lib. 9. cap. 35. Sozomenes ait: Quoniam omnino non peccare, diuinum & vltra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem & pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcipit. Qui vero confiteri refugiunt, magis peccatorum onus acquirunt. Propterea visum est antiquis pontificibus, vt velut in theatro, sub testimonio Ecclesiasti populi delicta pãdantur. Et ad hanc caussam presbyterorum bonæ cõuersationis seruantem secretum, ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes, hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. Et ille secundum vniuscuiusque culpam, indicebat & mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus seruatur Ecclesiis. Hæc Sozomenes. Ex quibus liquido constat confessionis institutum antiquissimum in Ecclesia fuisse, simul & eos qui confiteri refugiebant,

Non sufficit confessio quæ soli deo fit.

Auricularis cõfessio.

Sozomen.

Confessionis institutũ antiquissimum in Ecclesia fuisse.

graulus peccatorum onus incurrisse. Maius, inquit, peccatorum onus acquirunt, sed & propria delicta, quemque qui deliquerit sacerdoti designato fuisse confessum apertissimum est. At obiectabit forte quispiam, quod hoc de publica confessione scriptum sit. Cui respondemus, id fieri non posse, quum ipse presbyter tenebatur seruare decretum. Nam quomodo secretum seruari potuit, quod fuit publica cõfessione decretum? Sed dicet alius: Quid ergo Sozomenes scripsit, visum antiquis fuisse pontificibus, vt velut in theatro sub Ecclesiastici populi testimonio delicta panderentur? Ob id nimirum, quod confessuri nequaquam ad presbyterum in priuatis ædibus accederét, vnde potuissent nó solum offendicula cæteris oriri, verumetiam ipsis confessuris, & maxime fœminis haud minimum discrimen sed publicatus in Ecclesia, non tamen ita, quòd illi publice cunctis delicta sua manifestarent, sed vni presbytero duntaxat, atque id clanculum, vt esset accessus pœnitentis ad presbyterum, velut in theatro sub Ecclesiastici populi testimonio, solus tamen presbyter audiret, quicquid pœnitens esset dicturus, idque secretum omnino seruaret. Sed & de publicè pœnitentibus, postea loquitur, quippe qui non ad hunc presbyterum, sed ad episcopum accesserunt, cuius sententia ieiuniis, ac cæteris afflictionibus macerarunt sese atque communionis tempus, quod decreuit episcopus, expectarunt. Ecce istis publice pœnitentibus episcopus indicebat pœnitendi modum, at illis qui presbytero priuatim confitebantur, secundum vniusque culpam presbyter ipse taxauit mulctam. Et forte si quos inuenerit enormia cõmisisse flagitia & quæ publicam exigerent pœnitentiam, eos ad episcopum misit, quemadmodum ex Origenis sententia supra diximus. His accedit, quòd cum diaconus quidam flagitium in Ecclesia cõmisit, cum egregia quadã fœmina, & ista scelus propter enormitatẽ publice cõfitebatur, tum propter furorẽ populi. Nectarius episco-

De publice pœnitẽtibus

pus(vt paulò pòst scribitur)haud permisit presbyte-
rum diutius super pœnitentes esse, sed vnumquem-
que reliquit suæ conscientiæ quod nequaquam pro
publicis criminibus intelligi debet, quæ semper pu-
plice vindicabãtur,iuxta D.Pauli doctrinam,Corin-
thiis traditam,sed pro priuatis admissis duntaxat.Li-
quet igitur ex iis, confessionis huius priuatæ ritum,
in Ecclesia vetustissimum fuisse,nec à Latinis solum,
verumetiam à Græcis fuisse receptissimũ.Sed iam ex
quibus scripturis is ritus inuoluerit aliquatenus ex-
cutiendum est. Scriptum est Liuitici quinto : Anima
quæ iurauerit, & protulerit labiis suis, vt vel male
quid faceret,vel bene,& non fecerit,& idipsum iura-
mento & sermone firmauerit,oblitaque postea, intel
lexerit delictum suum,agat pœnitentiam pro pecca-
to.Hic vbi nos legimus.Agat pœnitentiam pro pecca
to.Litera Cyrilli sic habet.Et pronunciet peccatum,
quod peccauit . Cui & respondet Hebraica veritas,
vbi sic habetur:Et confitebitur peccatum quod pec-
cauit.Is nimirum locus tam apertus pro confessione
Cyrillo visus est vt dicat hic mirabile secretum con-
tineri,& prorsus affirmet peccata cuiusuis generis es
se detegenda. Huic est confine,quod numeri quinto
legitur ad hunc modum: Vir siue mulier quum fece-
rint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus ac-
cidere,& per negligentiam transgressi fuerint man-
datum Domini,atque deliquerint,cõfitebuntur pec-
catum suum . Nec est dubium quin id sacerdoti sint
facturi,de quo totum ipsum caput loquitur, & cui
Deus iubet offerendum pro peccato.Et hic aduerte,
quod de peccatis hic etiam loquitur, quæ per negli-
gentiam admissa fuerint.Rursus Leuitici.16. commã
datur Dominus,quòd tabescent in iniquitatibus suis
in terra inimicorum, donec confiteantur iniquitates
suas. His accedit,quod Leuitici.14.præcipitur de le-
proso mundando,quòd ad sacerdotem adduceretur,
vt is de lepra diiudicare posset,&sententiã ferre.Quę
res quid aliud nobis effigiat,quàm q̃ peccator cuiuis

lepram sui peccati debeat sacerdotibusindicare.Ne-
que enim alio pacto leprosam animam sacerdos, nisi
per confessionem intueri potest , atque ita super ea
iudicium ferre.Quam rem & Cyrillus hunc locũ in-
terpretatus,apertissime docet.Nos (inquit)pro viri-
bus nostris , quantum proferri in medium conuenit
exequemur, apostolo nobis Paulo pandente intelli-
gentiæ viam,qua dicit,legem vmbram habere futuro *Hebr.10.*
rum bonorum,non ipsam imaginem rerum,& secun-
dum id quod ea quæ de bobus in lege videntur scri-
pta, non de bobus quorum Deo cura non sit , sed de
apostolis aduertenda pronunciat.In quo consequen
tivtique ratione edocemur,quòd & ea quæ de lepra
scribuntur, vmbra sit in aliis habens imaginem veri-
tatis.Igitur adhibeamus primò, si videtur ipsam scri-
pturæ vmbram, & tunc de eius veritate requiramus.
In vulneribus corporum posteaquam curata fuerint *Peccati cica*
remanet interdum ipsius vulneris signum,quod cica *trix in ani-*
trix appellatur:vix enim est qui ita curetur,vt nullũ *ma residet.*
suscepti vulneris residere videatur indicium. Transi
nunc ab ista legis vmbra adveritatem eius,& intuere
quomodo anima quę peccativulnus acceperit,etiam
si curetur, tamen habet in loco cicatricem vulneris
residentem : quæ cicatrix non solum à Deo videtur,
sed ab iis,hoc est sacerdotibus , qui acceperint ab eo
gratiam,per quamvidere possint animæ languores&
discernere, quæ sit anima ita curata, vt omni genere
vestigium illati vulneris abiecerit , & quæ curata sit
quidem , sed ferat adhuc veteris morbi ipso vestigio
cicatricis indicia.Hæc ille.Salomon igitur in Prouer
biis ait:Qui abscondit scelera,non dirigetur: qui au *Prouer.28.*
tem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam
consequetur. Simile quiddam & Ioannes in epistola *1.Ioan.1.*
sua catholica prima:Si confiteamur peccata nostra,si
delis est Deus qui remittat nobis. At hic Lutheranus
quispiam sufficere contendet , si Deo peccata nostra
confessi fuerimus . Sed istud quomodo persuadebit
cuiuis verè Christiano ? qui pretium aliquod animæ

suæ faciat:&maxime quum tot patres,totque scriptu
ras in aduersum audierit,nempe quod sit homini vel
priuatim,vel publice confitendum . Sed & diuus Ia-
cobus idipsum monet.Nam vbi de presbyteris accer
sendis ad eum qui infirmatur iusserit, ilico subdit:
Confitemini alterutrum peccata vestra,perinde ac si
dixerit: Quanquam presbyteri dignitate superiores
fuerint,natura tamen fratres sunt,& eisdem,ceu fra-
tribus animi penetralia sunt effundenda.Neque ali-
ter hunc locum D. Augustinus interpretatur cap.4.
secundi libri de visitatione infirmorum sic inquiens:
Sunt quidam qui sufficere sibi ad salutem autumant,
si soli Deo,cui nihil occultum est,quem nullius latet
conscientia,sua confiteantur crimina. Nolunt enim,
aut erubescunt,siue dedignantur ostendere se sacer-
dotibus,quos tamen inter lepram & lepram discerne
re per legislatorem constituit dominus . Sed nolo vt
ipsa decipiaris opinione,quatenus confundaris,con
fiteri coram domini vicario , tabescens præ rubore,
vel ceruicosus pre indignatione.Nam ipsius humili-
ter subeundum est iudicium , quem dominus sibi nõ
dedignatur vicarium.Ergo ad te venire roges sacer-
dotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus
participem. Non seducat te somniantium illa super-
stitio,quæ invisitãdo confirmat,quia saluat,sacerdo-
te inconsulto, ad Deum peccatorum confessio . Nos
autem non abnegamus,quin sit ad Deum frequenter
referenda confessio peccatorum.Beatus enim qui te
nebit,& allidet paruulos vel maximos suos ad petrã,
petra autem Christus est . Sed testamur & testatur &
illud sana doctrina,ne tibi applaudentium faueas au
ribus, quin prius eges sacerdotis qui mediator sit ad
Deum tuum salubri iudicio . Alioquin & sub lege &
sub gratia:Ite & ostendite vos sacerdotibus; respon-
sum diuinum quomodo consummaretur?Confitemi-
ni alterutrum peccata vestra , quomodo complere-
tur?Ecce quomodo & istud docet Augustinus ad con
fessionem sacerdoti faciendam pertinere . Quod si

Iacobi.5.

Confessio sacerdoti faciendæ.

Psal.136.

quispiam contendat sensisse Iacobum , quòd frater
fratri cuiuis debeat confiteri , nihil moror, si tamen
hoc mihi donauerit , quod alteri cuipiam omnino ℊ
Deo confitendum.Ego quidem hoc molior, quod v-
nusquisque qui peccauerit delictum suum homini fa
teatur oportet,atq; id aut priuatim aut publice.Atq;
istud satis dilucidum opinor factum,ex iis quæ suprã
diximus. Quod vbi constiterit , nihil ambigo , quin
istud perspicuum fiet , quod sacerdoti potius id fa-
ciendum sit quàm profano , quum & huius muneris
functionem sacerdoti tribuant,non patres solum,ve
rumetiam scripturæ sacræ.Sed & hoc in primis ad rẽ
facit, quod sacerdotes, hoc est ,apostolos suos Chri-
stus hac authoritate donauerit , nempe remittendi
peccata.Quorum(inquit)remiseritis peccata,remit-
tuntur eis . Quod & fecit non quouis tempore , sed
postea quàm insufflauerit in eos spiritum sanctum,
nimirum vt insinuaret, haud passim cuiuis è populo
potestatem hanc fuisse datam,sed iis duntaxat, qui p
ecclesiam ad hoc munus essent instituti.Cuius rei nõ
exiguum iudicium habemus ex Actis Apostolorum
capite decimonono: vbi quum spiritus nequam insi-
liisset in septem filios Scenæ principis sacerdotũ ob
peccata sua,multi leguntur ad Paulum venisse,confi
tentes peccata quæ fecerant, tantus timor inuaserat
omnes.At sacerdotes itaque, quibus remittendorum
criminum facta est potestas, accedere debent confes
sari, nec vnum, aut alterum delictum enarrare suffi-
cit,verum singula quæque(modo curari velint)indi-
care tenentur.Oportet enim singulum quodque vul
nus medico detegere,si Tertulliano,Hieronymoque
credimus,& omnem indigestum acvirulẽtum humo-
rem,vt Origenes docet,euomere,ac pudorem in par-
tem satisfactionis (iuxta Chrysostomum) de singulo
quouis errato pati:& denique si fides vlla Cyrillo sit
habenda,cuncta quæ gesserint, quantumuis occultè
siue opere, seu sermõe, aut cogitatiõe reserãda sunt,
si nolint in extremo iudicio per diabolũ ea reserari.

Ioan.20.

Quorũ remiseritis pcta.

Act.19.

Nota doctores.

Quisquis igitur has scripturas sententiis patrum agglutinat, nec seorsum quamlibet ex alterutris vellicat, luculenter intelliget confessionis ritum, quem à primordio nascentis Ecclesiæ patres vsurparint, & nobis reliquerint vsurpandum, cuiuis peccatori necessarium esse. Nec omitti debere, propter vllas calumniantium argutias, qui cauillantur alios esse sophistas, quum sint ipsi nimis quàm sophistissimi. Sed iam Lutherum audiamus.

Luth. ¶ Velim doceri, quibus rationibus aut caussis ista sint falsa & damnanda, ego cogitare non possum, cur falsa arbitrentur.

Episc. ¶ Dicam paucis cur fortassis hũc articulum damnarint aduersarii tui. Nimirum quod illo prohibeas non modo venialium, verumetiam aliquorum mortalium fieri debere confessionem. Sic enim habet articulus: Nullo modo præsumas confiteri venialia peccata, sed nec omnia mortalia. Quod si quisquam alius inculpatè vetare potuisset venialium confessionem, parum tamen hoc dogma quadrat cum cæteris assertionibus tuis. Nam inferius habes, neminem esse certum, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitiũ. Ex quo consequitur, si de omni opere quod facit peccator, vereri debet, ne sit mortale peccatum. At id de quo dubitat quis an sit mortale peccatum, nihilominus confiteri tenetur, si quod sciret esse tale, quum ex æquo peccatorem obliget vtrunque. Adde quod tibi visum est aduersum Eckium omne peccatum veniale, quum (vt illic asseris) contra legem Dei fiat, ex natura sua mortale esse, & cur ergo vetari debet, ne per confessionem eiiciatur, quemadmodum & ea quæ sunt mortalia? Ad hęc. Si quicquam valeat exemplũ ab Origene ꝓductum, nempe quod peccatum sit in anima, ceu noxius quidam humor, cui corpori exitialis est, qua ratione (te quæso) non debet euomi per cõfessionem omne peccatum, siue lethale fuerit, seu veniale? præsertim cum eiusdem naturæ secundum opinionem tuam vtrunque fuerit. Ob hanc ergo particulam, aduersarii tui fortè damnarunt articulum istum, nempe quod prohibeas peccatori venialia sua confiteri peccata, cum plerunque lethale peccatum id esse poterit, quod cõfitenti videtur solum veniale. Sed & quod adiungis, non est penitus integrum, nempe, quòd nec omnia mortalia sinis ipsum confiteri. Aliud quidem est sentiendum de mortalibus illis, quæ memoriã confitentis effugiunt, quantamuis idoneam is adhibuerit diligentiam, aliud de iis quæ statim occurrunt. De illis enim frustra præcipis, ne quis confiteatur, quum nequeat confiteri, nisi quorũ meminit. De iis verò perperam præcipis, quum de mortalibus (quorum sibi peccator conscius est) nullum debet subticere. Neq; enim ratio reddi iusta poterit, cur debeat vnum reticere magis quàm alterum, cum singula virus noxium in se contineant.

Vesania Lutheri.

¶ Dic mihi, vbi est præceptum de venialibus confitendis sacerdoti? Nonne ipsimet dicũt omnes vnanimiter, venialia nõ pertinere ad confessionem? Cur ergo sua propria damnant propter me? *Luth.*

¶ Aliud est, illicitum esse quod facies, aliud non teneri. Si dixisses neminem teneri, quatenus venialia delicta confiteatur, nemo nõ approbasset in hoc sententiam tuam. Sed vetas tãquam illicitum. Nullo (inquis) modo præsumas confiteri venialia peccata. Et hoc forsitan offendit eos. Sed multo magis damnandum est, quod prohibeas etiam aliqua mortalia detegi, quorum nullum reseruari potest sine crimine infidelitatis, quum dicat Augustinus: Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, diminiam sperare veniam. *Episc. Differentia inter illicitũ & nõ teneri.*

¶ Deinde quum ferè peccemus sine intermissione venialiter, quis erit finis & modus confitendi? *Luth.*

¶ Tu pergis ratiocinando, perinde ac si illi iussissent venialium confessionem, quum ipsi nusquam id iusserint, neminem tamen arcẽt ab eorum confessione, quum non sit dubium ea per absolutionem tolli *Episc. Nẽo à venialiũ cõfessiõe arcetur.*

posse, nihilo difficilius atque mortalia. Quoniam enim dixit Christus: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, qui scis, ꝓ de solis mortalib⁹ loquutus fuerit, & non de venialibus quoque.

Luth. ¶ An illud è Decretis adducent ca. Omnis vtriusque sexus: vbi præcipitur cunctis fidelibus, vt semel in anno omniũ suorum peccatorũ faciant confessionẽ? At quis ꝑ omnia peccata, etiã venialia intelligit?

Episc. ¶ Te cum primis stringit hęc percõtatio, & vel eo præcipue, ꝓ veniale statuas contra legem Dei fieri, nihil suapte natura distare à mortali. Tanta est vafricies ingenii tui, ꝓ quum tibi placeat, & tuo posset inseruire instituto, tum ingens est inter venialia mortaliaque discrimen, tumque affirmas primitiuam Ecclesiam de solis mortalib⁹ expectasse confessionem. Verum contra, quum id obstat instituto tuo, tum nihil à mortalibus venialia differunt, neque tum vetus Ecclesia quicquam inter hæc posuit interualli.

Vafricies Lutheri.

Luth. ¶ Aut quo iure? qua scripturæ authoritate Papa pręcipere potest venialia ad confessionẽ pertinere?

Episc. ¶ Dic tu potius quo iure? quáve scripturarum authoritate prohibeas venialia à peccatorum confessione? Si summus pontifex illud iussisset, habet pro se scripturæ testimonium, nempe, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Peccata dicit generatim, nihil discriminis inter venialia, mortaliaque statuens. At remitti ritè non potest quod non ante fuerit cognitum, quum debeat qui remittit peccata, fidelem & prudentem in hoc munere seipsum exhibere seruum. Cæterum summus pontifex ista non iussit, cum sint alii modi quibus venialia deleri possent, quam per confessionem. Verum ipsis mortalibus non aliam patet via, modo quis non fuerit eorum oblitus, & adsit sacerdotis copia.

Luth. ¶ Vide ergo mirabiles damnatores, de sola voluntate sua præsumentes, omnium omnibus etiam suis ipsorum sententiis contradicere.

Episc. ¶ Sic facere soletis vos hæretici (quemadmodum

de vobis recte scripsit Hieronymus) quum desunt argumenta, tum ad cõuitia protinus confugitis. Quod & ipse nunc facis. Cauillaris alios, quod ipsi iustissime tibi possent obiicere. *Propriũ hæreticorum.*

¶ Iam impossibile esse, vt omnia mortalia cognoscas, euidentissimum est ex Psal. 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Cur hunc prophetam non damnant, ex cuius ore meaverba fluunt & pendent? qui & Psal. 7. titulum fecit, pro ignorantia sua, in quo non nisi pro occulto & ignorato sibi peccato precatur. Idem rursus Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Luth.*

¶ Quid opus est tot exaggerare, vt ostendas latere multa mortalia, quæ non veniunt in mentem peccatori, quod vtique nullus inficiatur. Non enim hoc fugit eos in quos hęc scribis. Sed de illis ipsi peccatis loquuntur, quæ non deciderint è memoria peccatoris, & quæ per sufficiẽtem diligentiam possent ab eo deprehendi. Sufficientem autem eam vocant diligentiam, si tanta sit, quantam in arduo aliquo negotio (quod sibi vehemẽt cordi esset) peccator adhiberet. *Episc. De sufficiẽti examinatione.*

¶ Nec potest hic dici delicta occulta esse venialia, cũ nõ iustificari hoc ipsum sit, mortale & damnabile. *Luth.*

¶ Nõ opinor in scripturis passim idẽ significare, nõ iustificari & dãnabile esse. Nã qui ꝑ gratiã iustificatus est, adhuc q̃ diu viuit, vt in primo articulo per scripturas ostẽdimus, magis ac magis est iustificãdus, ita ꝓ nunq̃ in hac mortali vita sit plenè iustificatus. Nec tamen ob id mortalem habere labem putandus est, aut damnatione dignus existimabitur. Certè quisquis gratiam habet, is corã Deo iustificatus est, tametsi non fuerit cõsummatè iustificatus, sed vel propter fomitem vel propter venialia peccata, quibus quotidie obnoxius est, debeat adhuc iustificari. Sed hæc nihil ad damnationem spectant, quum dicat Paulus: Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. *Episc. Differentiã inter non iustificari, & dãnabile esse*

Rom. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

Luth. ¶ Si ergo sancti habent mortalia peccata, quæ ignorant, propter quę damnarentur, nisi humili & generali confessione præuenirent misericordiam Dei ignoscentem, quid non audemus tribuere impiis pœnitentibus ante gratiã, vt omnia possint cognoscere.

Episc. ¶ Quicquid fuerit de mortalibus oblitis, aut de vehementer occultis nihil ad nos attinet. Sed si sancti, vel minimum mortale, quod metti occurrisset tempore confessionis, sponte subticuissent, ausim dicere nec sanctos eos esse nec iustificatos, imo si quam antè iustitiam habuissent, iam propter hypocrisim penitus amiserunt. Legas Origenem, Chrysostomum, Ambrosium, Cyprianum, Hieronymum, ac cæteros qui planè sentiunt lethale nullum silentio tegendum esse. Et quanta foret insania, tibi in re tam seria, plenaq; periculi credere, nullam pro tua parte scripturam aut rationem afferenti, potius quàm eximis patribus, qui scripturis etiam sua dicta confirmant.

Nullum lethale peccatum silentio tegendum.

Luth. ¶ O cæcitas deploranda. Nonne Christus prædixit impios adeo cæcos esse, vt etiam occidendo apostolos arbitrentur sese obsequium præstare Deo? Et quomodo ii peccata sua mortalia cognoscent? Quomodo Paulus ea cognouit spirans cædis & minarum, quum tamẽ omnia faceret quæ nosset & posset, adeo vt sine querela sese conuersatum testetur in Iudaismo. Quasi vero etiam nunc non videamus quosdam impensissime bonis intendere vitæ studiis, & tamen grauissime errare, & sicut Paulus de Iudæis dicit: Zelum Dei habens sectando iustitiam, & tamen ad iustitiam non peruenendo.

Episc. ¶ Exclamas in re non necessaria, & pergis accumulare scripturas, vbi nihil est necesse. Quis negat multa esse mortalia, quæ deprehendi nequeant. Sed quum hoc tibi concesserint, parum dialecticè subiaces, vt liceat illa celare quæ deprehenderis. Istud ostendas oportet, ꝙ peccatori (qui fructum absolutionis consequivelit) peccatum aliquod mortale vel minimum, quod menti occurrit, ex industria tegere li-

cebit. Quod si non ostenderis, nihil agis. Manet adhuc articulus tuus damnatus.

¶ Væ nobis, qui nobis de luce placemus, & has tenebras lucem appellamus, & homines securos facimus extincto Dei timore. *Luth.*

¶ In teipsum rectè iacularis ista. Nã tu tibi de tenebris, seu de luce places, & meras tenebras lucem appellas, qui peccatoribꝰ interdicis, ne mortalia quęque confiteantur. Tu quoq; Dei timorem extinguis, quem dicis ante charitatem obesse peccatoribus, accepta vero charitate prorsus inutilem. Tu denique plusquam securos homines facis, qui solam fidem affirmas sufficere, & hac absque vlla satisfactione purgari peccata, nec à peccatoribus quicquam amplius expectari debere quàm nouam vitam. *Episc.* *Dei timorẽ extinguit Lutherus.*

¶ Sancti gratia illuminati, ignorare sese confitentur delicta sua, & nos horum sententiam tribuimus his qui sancti non sunt, & ante gratiam pœnitent, sed potius pœnitentiam fingunt. *Luth.*

¶ Hic liquet apertissime quid sentias de omnibus, qui nondum acceperint gratiam. Nempe pœnitentiam eorum hypocrisim esse, & noxiam, ac plane eiusmodi, quæ Deo magis odibilem reddat animã quàm antè fuerat. Qua sententia nihil potest pestilentius esse peccatoribꝰ, qui resipiscere studẽt, nec esse quicquam quod eos in peccatis detineat magis, cum frustra se conari nouam aggredi vitam prorsus audiãt, nisi prius eam, quam haud dum acceperint, gratiam habuerint, qua tamen sese remotissimos, & longissime positos intelligunt. *Episc.* *Dogma pessimum.*

¶ Fuisse autem in primitiua Ecclesia solum manifeste mortalia confessionibus tractata, satis probant epistolæ Pauli, patrum scripta, & historiæ, quas bulla tam impudenter damnare audet, suo genio digna facit. *Luth.*

¶ Vellem citasses ex Paulo, quibꝰ locis ipse doceat, sola mortalia confessionibꝰ exprimi debere. Nam id, sat scio, non poteris. Porro de patrum scriptis, & *Episc.*

historiis, ita sentis, & credis, vt tuæ sententiæ merito nihil debeant suffragari. Quod si mihi sine prolixitatis tædio, vel scripta patrum, vel historias adducere liceret, non dubitarem ostendere, quod abunde contra tuam opinionem essent factura. Quis enim non intelligit sanctissimos illos, de leuissimis negotiis grauem sibi formasse conscientiam? Aut quis ignorat in libris confessionum suarum Augustinum plurima ponderasse, quæ iam apud multos momenti penè nullius habeantur? Sed nihil est quod non aussis (tanta est impudentia tua) pro tuis partibus torquere, quanquam tibi maxime sit contrarium.

Priscorum conscientia.

Luth. ¶ Ego de his mortalibus loquutus sum, quæ aut aliis, aut sibi manifesta sunt, vt satis in propositionibus & dictis meis patet. Bulla autem insidiose loquitur, ac si de solis publicis omnium sensu cognitis fuerim loquutus.

Episc. ¶ Tam inuolutè loqueris, vt nemini certo cognitum esse posset, quid loquaris. Sic enim dicis & scribis, vt (quum tibi libitum sit) omni posses anguilla facilius elabi. Cæterum si velis articulum intelligi de mortalibus, quæ fugerint animum confitentis, nec (adhibita congrua diligentia) redeunt in mentem, nisi ab Ecclesia disides. Sin de iis intellexeris, quæ confessurus norit, vel dubitat esse mortalia, tum profecto articulus meritissime damnatur, quum nullum horum in confessione tegi posset, absque manifesta fictione. Neque Bulla quæ te iure damnat, vllis ob id conuitiis meretur lacerari. Cæterum vt concludamus hunc articulum. Reuoces ad mentem (quæso) quod iudicium Ezechias per Esaiã acceperit, & propter illud maxime (si Hieronymo credimus) quia culpam integre non aperuit. Sic enim Hieronymus in commẽtariis super Esaiam scribit: Ingreditur Esaias ad regem, & quasi nesciẽs ab eodem sciscitatur. Quid dixerunt, inquit, viri isti & vnde venerunt? Duo interrogat, nempe quid loquuti sint? & vnde venerint? Ezechias ad vnum respondit, altero prætermisso.

Esaiæ. 39.

Rursum Esaias, Quid (inquit) viderunt in domo tua? Et Ezechias respondit ex parte verum, quod omnia viderint in domo sua, nec fuerit res quam non ostenderit eis in thesauris suis. Sed alterum tacet, de quo verebatur offensam. Nempe quod ostenderit eis cuncta quæ habebat in potestate sua haud dubium, quin & templi supellectilem. Propter quæ subiungit Esaias, & ex Dei sermone profert sententiam: Audi (inquit) verbum domini exercituum. Veniet tempus quando omnia hæc, quæ in domo tua sunt, & non tuo, sed patrum tuorum labore quæsita, in Babylonem transferentur, & de semine tuo fient Eunuchi in aula regia. Hæc Hieronymus illic. Ex quibus intelligi datur quantum obfuit Ezechiæ, quod subticuerit quædam ex peccatis suis, quæ Luthero fortasis haud magni momenti videntur. Verum quia non exposuerit integre singula, grauiorem ob id offensam incurrit, nimirum vt eius exemplo commoniti, nos discamus, nullum ex mortalibus occulendum esse sacerdoti, quod ad memoriam venerit dum peccata nostra confiteamur. Et hæc pro hoc articulo sufficient.

ARTICVLVS NONVS.

DVmvolumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quàm ꝓ misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum. *Luth.*

¶ Idem facile dici potest, & de recte operãdo, nẽpe ꝓ cum volumus omnia recte operari, nihil aliud facimꝰ, quàm ꝓ misericordię Dei, nihil volumꝰ ignoscendum relinquere. Ergo secundum præceptiones tuas, etiam ex industria cõmittamus aliquas offensas, nimirum vt diuinæ clementiæ locum aliquem relinquamus. At quis non videt, quantæ fuerit impietatis hoc dogma. Neque certe minoris & illud est, de peccatis mortalibus inter confitẽdum ex industria subticendis. Verum inquies: Non possumus omnia confiteri, quoniam effugient nos pleraque quæ nimis *Episc.*

quãm occulta sũt nobis. Similiter & ego tibi de operibus respondeo. Quum omne studium & diligentiam nauauerimus vt recte operemur, adhuc effugiunt nos quotidie plurima, quibus Deum offendimus. Sed quemadmodum ista nequaquam ex animo facimus, ita neque illa sponte celãda sunt. Nec satis est, quod multa nobis icognita sint delicta præcipere, ne quis præsumat omnia confiteri mortalia. Sicut neque sufficit, vt quis vetet quempiam conari singula recte augere, propterea ꝓ nemo potest in pluribus neutiquã offendere. Quamobrem & nobis enitendum est, vt vtrunque tam vt rectissime agamus, dum aliquid operamur, quàm vt pure integreque cõfiteamur, cum ad sacerdotem accedimus.

Luth. ¶ Sed eãt quęso bullares isti pœnitẽtes, & oia pure cõfiteãtur, nihilque relinquãt ignoscendũ diuinę misericordiæ, & respõdeãt mihi quãdo sint pacé conscientiæ habituri, & quavia iudiciũ Dei sint euasuri?

Episc. ¶ Quin tu potius responde, quando ii qui sponte celant vel vnũ aliquod mortale peccatũ, quod inter confitendum occurrit memoriæ, sint conscientiæ pacem habituri, & qua via sint euasuri iudiciũ Dei? Nã si iudicium Dei peccator aliter vitare non potest, nisi per cõfessionem peccatorũ, quũ nullũ sit mortale delictũ, ꝓ nõ aduersus Deũ inimicitiã in se cõtineat, quomodo sine Dei iniuria, posset vnũ ex eis potius, q̃ aliud subticere? Et si peccatum vnũ vel minimũ ad damnationem peccatoris sufficiat, quã cõscitẽtię pacẽ habere potest, qui tã lethale venenũ per confessionẽ nolit euomere? Ad hęc. Aut est omnino necessarium peccatori, vt peccatum aliquod sacerdoti pandat, aut id est omnino superuacaneũ, cum posset absolui, nullum omnino peccatum detegens. Non istud, opinor, dicturus es, cum per medẽdi modum res hæc agatur, ita vt sacerdotem (qui medicus est) oporteat ante cognoscere morbum & vulnus, ac subinde sententiam ferre. Quod si primum concesseris, qua ratione non tenebitur cætera, quemadmodum vnum aliquod ex

eis confiteri. De illis vbiq; loquor, quę confitentis occurrunt memoriæ. Nam quodlibet horum (quæ mortalia sunt, & in mentem confessuro veniunt) ęqualiter indiget absolutiõe. Nec mihi dixeris, ꝓ vt ea quæ non occurrunt soluuntur, ita & cętera quæ subticentur, possunt absolui. Nulla consequentia est. Nã longe aliter de iis atq; de illis existimare debemus. Cum enim benignissimus Deus noster, non exigat à nobis impossibilia, non est dubium, quin si (facta congrua diligentia) quædam nos fugerint, ea neutiquam imputabuntur nobis, sed de illis (quę facillime possunt occurrere) si vel minimum tacuerimus, quod nobis visum est esse mortale, nihil nobis ꝑderit absolutio. Nam vt illud quod non occurrit, non posit prodi, ita quod occurrit, facillime poterit expromi, & nisi detegatur, mederi non potest. Cæterum quisquis omnia quæ sibi occurrerint, confitebitur, is nimirum & conscientiæ pacem habiturus est, & Dei simul euadet iudicium. *Pax conscientiæ.*

¶ Faciantque Dauid mendacem, vbi dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo. Et iterum: Delicta quis intelligit? Currant ipsi in iudicium, & intelligant omnia sua delicta, vt soli sint veraces, nos liberter cum Dauid mendaces illis erimus, & non posse omnia pure intelligere, nec confiteri delicta constanter asserimus, vt reliqua soli misericordiæ ignoscenda relinquamus, dicentes: Ab occultis meis munda me domine. *Luth.*

¶ Probationes (quas adducis) tantum ad occulta delicta spectant, de cuiusmodi si mentionem in articulo fecisses, nemo (quantum opinor) priorem articulum condemnasset. Sed quoniam ad eum modum pronunciaras, vt de peccatis, si quæ memoriæ confitentis occurrissent, intelligi potuerit, idcirco iure damnarũt illum. Quid enim te moueret, quum non ignores omnes orthodoxos istud præcipere, ꝓ peccatores singula peccata, quæ in memoriam diligenti facto examine venerunt, aperirent sacerdotibus, quis *Episc.*

Universidad de Deusto Biblioteca

inquam te moueret, vt iubeas ne præsumant singula confiteri. Quid enim ex iis verbis, alius confessurus accipere potest, quàm vt aliqua tametsi nouerit esse mortalia, posset impune celare?

Luth. ¶ Igitur hic articulus euidenter sequitur ex præcedenti, & verbo Dauid. Delicta quis intelligit, ideo nihil mouet, quicquid impia ista Bulla damnat de suo proprio cerebro.

Episc. ¶ Quomodo sequatur, ego certe non accipio. Neque enim oportet, si sint aliqua occulta peccata, vt nequeant detegi, quod propterea quæ apertissima sunt non debeamus velle confiteri, & præsertim ob eam caussam vt Dei misericordiæ relinquamus nonnihil ignoscendum. Quid enim? An non ignouit iis quæ iam confessi sumus? Et num adhuc non abunde supersunt alia, quæ singulis pene momentis ignoscat nobis? Iure igitur Bulla damnauit articulũ istum, cum tam pestiferum in se dogma complectatur. Nec profecto (si recta dixisses) tuam tamen professionem deceret, aut Bullam impiam vocare, aut tanto illam supercilio contemnere, sed iam multo minus, cum sit cũctis perspicuum, te docuisse falsa, ob quæ per Bullæ censuram iustissime sis condemnatus.

Luth. Carnificina cruentissima ¶ Ista est enim carnificina cruentissima, qua hactenus tot miseras conscientias torserunt, omnium & singulorum peccatorum discussionibus & confessionibus, cum pro se non habeant, ne iota quidem illius scripturæ, tyrannide propria hæc onera importabilia hominibus imponentes.

Episc. ¶ Si res hæc, de confessione peccatorum sacerdotibus facienda fuisset ab hoc pontifice nuper inuenta, potuisses illam, & multo quidem inculpatius, eius imputasse tyrannidi. Verum quum à vetustissimis & eisdem eruditissimis atque sanctissimis authoribus, nec sine scripturarum testimoniis, apertissime tradita sit, frustra tyrannidem huius incusas. Porro quantum ad Ecclesiæ doctrinam attinet, non dubitamus eam sanam & salutarem esse, tuam vero potius, carnificinam & laniatricem animarum. Quippe qui consulis venenum vsqueadeo lethale, non euomendum esse, sed retinendum potius, metuens ne nihil diuinę clementiæ relinquatur, cui Deus ignoscere posset. In qua re manifeste prodis insipientiam tuam, quum postquam omnia quæ possumus, egerimus multa nihilominus relinquentur, quibus nisi benignitas eius ignouerit, mala nobis eueniet. Cæterum oportet enitamur, vt quantum à nobis commode fieri possit, nihil sponte prætermittamus, sed (quod vociferatur Hieremias) corda nostra velut aquam effundamus, & quod Ecclesia tutissime iubet vniuersum penitus exhauriamus virus, nihil dubitantes quin idipsum, si fecerimus, clementiæ diuinæ sit tribuendum. Sed & de hoc articulo iam satis est dictum.

Doctrina Lutheri est carnificina.

Tbre. 2.

ARTICVLVS DECIMVS.

PEccata non sunt vlli remissa, nisi remittente sacerdote, credat sibi remitti, imò peccatum maneret, nisi remissum crederet. Non enim sufficit remissio peccati & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

Luth.

¶ Is articul° ipso primo cõspectu, nõnullũ veritatis splẽdorẽ prę se ferre videt. At iis qui penitius introspiciunt, nihil aliud est q̃ merus tenebrarũ error, quemadmodũ ex sequentibus fiet dilucid°. Molitur enim fidei tribuere totã iustificationis caussam, & nihil absolutionis sacramento. Quod quantũ à vero sit alienũ, patere potest ex iis quę pro primi articuli cõfutatione diximus, vbi fidẽ ostendimus, nõ esse iustificationis animi caussam integram, & se sola sufficientem, licet ea nonnihil ad iustificationem conducat, cũ sine fide nemo queat placere Deo. Sed fides ipsa, quæ virtutum theologicarum prima est, tantum abest, vt iustificet, vt etiam ipsa plerunq; mortua sit, nisi per sacramentorum gratiã viua reddatur. Et enim plerunq;, vt peccator fide accedens ad sacramentum suscipiendum, gratia careat, qui mox suscepto sacra-

Episc.

Totã iustificationis caussam fidei tribuit Luthe. & nihil sacramento.

mento, per gratiã viuificatur, tam ipse q̃ fides sua. Sed Lutherus cum de fide tractat, nusquam inuolutius loquitur. Facit enim eã interdũ adeo facilẽ & obuiam cuique, vt nemo facile reperiatur, cui non persuasissimum fuerit se fidem habere, & contra, nõnunquam adeo difficilem & remote positam, vt vix quisquam sit, qui se putet habere. Permiscet insuper fidem viuam cum mortua, fidei quoq; actum cum habitu, atq; infusam fidem cũ acquisita, & demum fidem, qua quis cũctos articulos fidei simul implicite credit, nihil hæsitans de quoquam, cum fide quę formidinem aliquã admittit secum. Has omnes confundit, & permiscet, alteram pro altera vsurpans, quum tamen abinuicem satis amplo disideant interuallo. Quod de postremis duabus iam sufficiet ostendere. Nam fides, qua quis se credit absolutum, nõ omnem penitus à se repellit dubitationem. Qualis & hæc fides est, de qua tam disserit Lutherus in hoc articulo. Nam quomodo non licet cuiquam dubitare, num sit absolutus, quandoquidem & de proprio actu nõ potest securus esse, nũ careat mortali peccato. Quot enim superbiũt etiam in ipso confessionis actu, vel q̃ præ cæteris, tam exigua sibi videantur habere, quæ tum accusent, vel quod tam exundãti lachrymarum profluuio sua peccata defleant. Quod si purgatos se vere credãt, mox cum Pharisæo, proximos ceu grauissimos peccatores abominantur. Tam occultum est (vt Lutherus etiam asserit) superbiæ vitium, vt nemo securus sit, an eo careat. At superbis Deus resistit, nec suam gratiam eis dignatur infundere, nemo igitur ita fidere tenetur absolutioni factæ, vt propter suam ipsius latentem superbiam nihil prorsus hæsitet. Sed & propter illum qui absoluit, non iniuria quis dubitare potest, & primum an sit sacerdos ritè consecratus. Deinde num sit curator sibi legitime constitutus, postremo ne recte clauis vsus fuerit. Propter hęc sanè nemo tam solidam tenetur in absolutione fidem habere, vt omnino securum se credat, & à peccatis omnibus absque omni formidine penitus absolutum, id quod admonet scriptura dicẽs: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu. Conferet certe nonnihil, si peccator adhuc aliquatenus metuat, non ita quod dubitet de sacramento absolutionis, aut de alio quouis Ecclesiæ sacramento, seu fidei articulo. Nam hoc fides (quæ prima ex virtutibus Theologicis est) exigit, vt iis omnibus, quanquam implicite, firmiter tamen credatur, & absque vlla omnino dubitatione. Verum formidare licet vel in se, vel in eo, qui sacramentum absolutionis administrauerit, aliquod fuisse impedimentum, nec ipsa tamen formido quicquam obstabit, quo minus verè absoluatur. Quis ergo non videt quum fides quidem illa prima (qua sacramentis Ecclesiæ creditur) nullam recipiat hæsitationem, at hæc (qua nos absolui credimus) recipiat, alterã ab altera diuersam esse fidem. Sed & hoc etiam perspicuũ opinamur, propter ea quæ proxime disseruimus, neminem confessum teneri, quatenus absolutioni sic fidem adhibeat, vt non liceat de remissione peccatorum vllum habere scrupulum, vel propter seipsum, vel propter sacerdotem absoluentem, quum tamen ipse nihilominus absolutionis gratiam vere sit consequutus. At hic scio Lutherus exclamabit, nullam ad hunc modum pacem assequutum esse peccatorẽ. Sed frustra sic exclamabit, quum peccator ex eo se consolari potest, q̃ sua sponte nihil prætermisit ex iis quæ pro iussu matris Ecclesiæ facere debuisset, p̃ suaderẽque sibi potest tam immẽsam esse benignitatem Dei, vt quum Ecclesiæ mandatis penitus obtemperauerit, nihil illam à nobis amplius exacturam.

Fidem multifariã dici.

De propitiatu peccatorum noli esse sine metu. Eccl. 5.

Formido in confitente non obstat quominus vere absoluatur.

Quæ fides hæsitationẽ compatitur, & quæ nõ.

¶ Ex istius articuli damnatione sequitur primo, quod confessurus nõ debet credere, sese absolui aut remitti sibi peccatum, ac per hoc licebit in faciem sacerdotis dicere absoluentis: Tu mentiris, non absoluor à te, nec remittuntur mihi peccata.

Luth.

¶ Nihil est quod desidero frequentius, quàm acutiorem dialecticam in Luthero. Nam qui cõsequitur.

Episc.

Universidad de Deusto Biblioteca

Confessurus non tenetur credere, quòd sit omnino securus, per susceptam absolutionem, de concepta peccatorum omnium remissione. Ergo licebit ei dicere, sacerdoti in faciem, quòd mentitur, & affirmare, quòd is eum non absoluerit. Num aliquod medium inter hæc est Luthere? An nõ crebrius euenit, vt quis absolui se credat, & bonam quidem huius rei fidẽ habeat, non tamen tantam quæ penitus omnem excluserit à se formidinem? Nam propter ea quæ suprà diximus, satis apertum est, quòd si quis se diligenter excutiat, & maximè propter Lutheranum dogma de superbiæ latebris non omnino securũ inueniet sese. Quid ergo? Licebit iam huic propter hunc scrupulum negare se absolutum? aut pium sacerdotem probris insectari, quòd eum absoluerit? Absit. Minime istud consequitur. Friuola nimirum est omnis id genus argumentatio. Debet enim credere, quod sit absolutus, quandiu nihil certius occurrat, quod apertam sibi fidem faciat de contrario. Nec tamen hæc crudelitas omnem (vt antè diximus) formidinem excludit. Vtilis est enim aliquis metus scriptura dicente: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.

Friuola Lutheri argumentatio.

Luth. ¶ Secundo, quod Christus sit mentitus, vbi dixit: Quodcunque solueris solutum est.

Episc. ¶ Absit vt credat quis, aut hic, aut alibi, Christum fuisse mentitum, hoc enim fides illa (quæ virtutum theologicarum prima est) non patitur, neque dubitationem admittit aliquam, vel leuissimam de verbis vllis, aut doctrina Christi. Credat firmiter oportet quisquis absolui cupit, omnia (quæ docuit Christus) vera esse. Cæterum istud Christi verbum: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, nõ omnis absoluendus tenetur explicite credere, quum innumeri sint, qui nec audierint quidem ipsum hactenus. Et licet quis explicite credat hoc verbum, ita vt nihil ambigat de veritate eius, potest nihilominũ hæsitare de seipso. num ipse fuerit absolutus, nimirum propterea, quæ superius memorauimus obstacula, vel

per seipsum forte, vel per absoluentem exhibita. Nã & si Petrus Simonem Magum tentasset absoluere, non fuisset ipse tamen absolutus. Non quòd Christi verbum sane intellectum non fuisset verum, sed propter impedimentum, quod ipse Magus exhibuerat, quo minus absolui potuisset, quo nimirũ impediméto manéte, quãq; maxime credidisset, nõ fuisset absolutus.

¶ Imo Christus hoc verbo hæreticus est, quia hæc bulla inclyta mandat, ne quis credat sese absolutum esse, dum absoluitur in virtute verborum Christi. O furor inauditus. *Luth.*

¶ Desinas aliquando precor ab his blasphemiis. Nec hæresim ascribas Christo, nec põtifici médaciũ. Nephas enim est, vel de quouis infimo forte Christiano mentiri, quanto magis de summo pontifice. Non opinor mandasse Bullam, ne quis credat seipsum absolutum esse, dum absoluitur virtute verborũ Christi. Cõdemnauit vtique Bulla tuum articulum quo negas vlli peccatum suum esse remissum, nisi prorsus crediderit esse remissum. Nam fieri potest vt peccatum alicui remittatur, quanq; ipse cui sic remittitur, scrupulum nonnullum haberet, at secum dubitaret, an esset vere absolutus. De Christi verbis dubitare non licet, sed, de seipso, num ipse talis fuerit in quem Christi verba competant. Tuam igitur opinionem Bulla potius damnat, qua tu tradis, haudquaquam sufficere, peccati remissionem & donationem gratiæ, nisi quis item credat peccatum sibi esse remissum. Quod sane nihil oportere dilucidũ ex superioribus esse potest. Sed tumore tuo, quum argumenta defuerint, mox ad conuicia te recipis. *Episc.*

¶ Ego autem mea sic probaui. Quod Christus Mariã Magdalenam absoluit propter fidem, sicut dicit: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. *Luth.*

¶ Lege rectius Euãgelium, & inuenies ei prius remissa peccata propter dilectionẽ. Remittũtur, inquit, ei peccata multa, quia dilexit multum. Sed quoniam huius dilectionis initium erat fides, idcirco subiũxit *Episc.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Christus ad mulierem, fides tua te saluam fecit. Credidit enim ea mulier Christum peccata sibi potuisse condonare, vel si nullis fuisset vsus verbis, & propter hanc fidem quæ dilectione formata fuerat, Christus Pharisæo declarauit eam iam esse peccatricé, sed omnia penitus ei cõdonata fuisse peccata. Prius enim hauddubiè remissa fuerant, id quod nec ipse negare potes, qui tantum tribuis fidei. Non enim pusilla fides erat, quæ mulierem hanc impulit, vt inter conuiuas ad Iesum accederet, cæteraque faceret quorum & meminit Euangelium. Quamobrem si fides iustificare quenquam potuisset, quod tu prorsus asseuerasti, fuit hæc mulier proculdubio iustificata, priusquam vllum remissionis verbum Christus protulisset. Nihil itaque negotium istud ad articuli tui probationem attinet, quum hæc mulier ante fuerat iustificata, ac proinde à peccatis omnino soluta priusquam remissionis verbũ explicuerat Christus. Per fidem, inquam in Christũ habuit iustificata fuit. Sicut & Martha sorore eius, non est dubium, quod per similem fidem ea fuerat iustificata, quum Christum confiteretur esse filium Dei viui, & non propter vllum remissionis verbum, cui necesse fuerat vt crederet, quam omnia Christi verba firmiter vtraque credidit, vt par fuit absque vlla penitus hæsitatione.

Peccata Magdalenæ cõdonata propter fidem dilectione formatam.

Luth. ¶Et ad paralyticum antequam eum absolueret dixit: Confide fili remittuntur tibi peccata tua.

Episc. Paralytici fides. ¶Fidem vbique suscipiendis sacramentis necessariam opinamur, quam & Christus exegit ab hoc paralytico. Neque si Christo nõ credidisset fuisset dignus, qui sanitatem ab eo consequeretur. Credidit itaque paralyticus Christo, repulsa penitus omni dubitatione, neque de verbis eius aut promissione vacillauit quicquam. At lõge aliter de sacerdote, suspicari cuique licebit, quàm de Christo, quemadmodum superius ostendimus. De Christo non licuit ambigere, nũ esset Christus, & an authoritatem habuerit condonãdi peccata. Verum de sacerdote qui confessionem

audit, nemo tã securus esse potest, quod sit sacerdos, & quod authoritatem absoluendi sufficientem habeat, vt nullus omnino scrupulus in eum queat subrepere. Neutrum igitur exemplum siue Magdalenæ, seu paralytici cogit, fidem eiusmodi remissioni peccatorum habendã, qualem aut hic aut illa fidem habuit Christo, hoc est, ab omni formidine penitus alienam.

¶Ita quum in omni absolutione peccatoris profe ratur sententia diuina, necessario requiritur fides, quæ credat huic sentẽtiæ sine qua frustranea est absolutio & tota pœnitentia. *Luth.*

¶Sententia (quę profertur à sacerdote) si merè diuina fuerit, proculdubio fidẽ exigeret eam, quæ nullam haberet vacillationem. At non est mere diuina, sed humana potius diuinæ innixa, id quod Scotus exactissime probat in quarto. Quatenus igitur humana fuerit, eatenus licebit de ea subdubitare, ne quisquam in ipsa lateat error, néve quicquam obstaculi fuerit ex parte nostra, seu quod is (qui nos absoluit) non satis fuerit idoneus ex parte sua. Et hæc subdubitatio (quod sæpe diximus) nec absolutionẽ, neque pœnitentiam facit esse frustraneam. *Episc.*

¶Præsens autem fides sola satis est ad iustitiam, & pacem cordis, sicut enim credimus, sic fiet nobis. Cor de autem creditur ad iustitiam, Rom. 10. *Luth.*

¶Ecce hic totius articuli venenum est. Ita fidem extollere molitur, vt absolutionis sacramento nihil relinquat tribuendum. Cæterũ hæc sententia (si quis eam expendat) vsque adeò sibi male cohæret, vt seipsam prorsus interimat. Nam si sic eueniet nobis, quẽadmodum credimus. Credimus autem, per sacerdotẽ remissa nobis esse peccata, per sacerdotem igitur & ipsa vere remissa, sunt. Quod si sacerdos remiserit peccata, manifestum est nõ solam fidem ea remisisse, neque solum fidem iustificasse peccatorem, sed fidem vnà cum sacerdote. Pugnant igitur inter se, quod sola fides ad iustitiam & pacem cordis sufficiat, & quod sacerdos nihilominus peccata remittat, ex quorum *Episc. Articuli venenum.*

remiſsione iuſtitiam atque pacem peccator acqui-
rat. Adde, quod ſi crediderimus peccata per ſacerdo
tem eſſe remiſſa, & is nihil remiſit, ſed ſola fides, vana
erit ipſa fides quæ ſic credit, nempe quod omnino
falſum eſt. At certè nimiſquam mirandum eſſet, ſi va-
na fides iuſtificare quempiam poſſet. Quum ergo di
cat articulus, quod peccata non ſunt vlli remiſſa,
niſi (remittente ſacerdote) credat ea ſibi remitti, &
quòd peccatum maneret, niſi remiſſum crederet, &
iam adiiciat Lutherus ſolam fidem ſufficere ad iuſti-
tiam & pacem cordis.

Luth. ¶ Et ſicut credimus, ſic fiet nobis. Quis non vide
iſta ſibi peſsime cohærere? Nec fingere potuiſſem
nedum credere, draconem infernalem tantæ impu-
dentiæ eſſe in Eccleſia Dei, vt hæc auderet ſonare.

Epiſc. ¶ Iam ſolito more conuitia nectit, quæ nimirum,
& iuſtiſsimè quidem in illum ſunt retorquenda. Nam
haud ſcio, quæ maior eſſe poſſet impudentia, quàm
vt quis errores tam apertiſsimos conuiciis vſque-
deò impudentiſsimis, defendere non vereatur. Ce-
terum vt huic articulo iam finem imponamus. Abſo-
lutus per ſacerdotem, fidem habere tenetur Chriſto,
verbiſque eius indubitatem, verum non ſemper ex-
plicitam, ſed ſufficit implicita, quæ tamen debet vt
queadeò firma eſſe, vt ambigere de eis an vera ſint,
nullo pacto liceat. Licet tamen eatenus de ſeipſo du-
bitare, num vere fuerit abſolutus, quatenus ad-
uertit, vel occultum aliquem obicem in ſeipſo la-
tere poſſe, vel in ſacerdote, cui confitetur, errorem
tantum quo iure queat abſolutionis effectus impe-
diri. Nam etſi certo crediderit quis, omnem ſacer-
dotem rite verba Chriſti proferentem, abſoluere
peccatorem, quem vere pœnitet erratus ſui ſubdo-
bitare tamen poteſt, & de illo cui confitetur, num ia
eiuſmodi fuerit, & de ſeipſo, num quicquam obicis in
ſe deliteſcat.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

NVllo modo confidas te abſolui propter tuam contritionē, ſed propterverbū Chriſti: Quod-
cunque ſolueris: Hic, inquam, confide, ſi ſacer-
dotis obtinueris abſolutionē & crede fortiter te ab-
ſolutū, & abſolut⁹ vere eris, quicqd ſit de cōtritione. *Luth.*

¶ Nihil in ſe mali continet is articulus, iuxta ver-
borum frontem, neque in eo quicquam eſt quod no-
ſtri non aſſerant. Quum nemo de ſua cōtritione cer-
tus eſſe poteſt, quod ea ſit omnino ſufficiens, neque
noſtri contritionem exigunt à confeſſuro, ſed attri-
tionem ſolam. Tantum volunt, vt nullum obſtacu-
lum ponatur ex illius parte, qui ſit abſoluendus. Iu-
bentque, vt quanquam dolor noſter haudquaquam
ſuffecerit, ſperemus tamen ob eam poteſtatem, quam
ſacerdoti Chriſtus donauit, nos eſſe ſolutos. Verun-
tamen, quia ſub iis verbis Lutherus ſiniſtrum quen-
dam operit intellectum (quem & inferius prodit) me
rito cum cæteris damnatur. *Epiſc.*

¶ Vide quæſo, vt hic nos Bulla doceat ſuper are-
nam ædificare, & abiecta fide, ſuper contritionem o-
pus hominis plus q̄ ſuper verbum Dei confidere. *Luth.*

¶ His nimirum verbis ſeipſum prodit. Nihil om-
nino vult operibus tribui, ſed totum fidei, id quod
nos (quantum opinamur) abunde confutauimus ar-
ticulo. 1. Sed & de Bulla ſummi pontificis planè men
titur. Nuſquam enim iubet ea bulla, vt abiecta fide
plus contritioni ſuæ quis confidat, quàm verbo Chri
ſti. Fidem non improbat, quanquam bonis operibus
cenſeat etiam deferendum. Rari ſunt qui iam bonis
inſudant operibus, at eſſent multo rariores, ſi perſua
ſum eſſet cunctis, fidem ſolam ſufficere, atque ita cui-
que futurum, quemadmodum credit. *Epiſc.*

¶ Fluit autem hic articulus ex præcedenti. *Luth.*

¶ Facile credo. Nā dignus eſt qui ſcateat ex illo
fonte, riuulus hauddubie corruptus ex fonte vitiato. *Epiſc.*

¶ Quia verbum Chriſti, Quodcunq; ſolueris, fidē *Luth.*

exigit pœnitentis, vt satis claret, quum sit verbũ promissionis, ideo sine fide impleri non potest.

Episc. ¶Nemo negat fidem exigi pœnitentis, fidem (inquam) in Christum, quia (quicquid Christus aut Ecclesia docuerit) credatur oportet, saltem implicite. Sed aliud est hanc fidem exigi, & aliud hanc solã sufficere. Neque certe consequitur: Sine fide pœnitentis non impletur in eo promissionis hoc verbum. Ergo sola fides sufficit pœnitenti.

Aliud est fidem exigi, aliud fidem solam sufficere.

Luth. ¶Et satis dictum est articulo primo, quòd sola fides iustificet & tollat peccata.

Episc. ¶Et item abunde satis, quantum opinor à nobis illic esse dictum, vt tuus error conuellatur, quo tonties asseueras, quod sola fides iustificet, & tollat peccata. Sed & iam plusculum adiiciemus. Si sola fides iustificat & tollit peccata, cur debeat absolutus credere, quòd sacerdos ei remiserit peccata? Num forte remissa redeũt, vt postquã semel per fidem ablata sint, denuo reuertantur, quod per sacerdotem possent iterato deleri? Adde quod si fides integra caussã fuerit remittendi peccata, quid opus esset hæc sacramenta condidisse? quum caussam integram & per se sufficiẽtem, non potest effectus non euestigio concomitari. Vbertim enim ex fide iustitiã & pacem cõsequemur, vt iam non erit vllum sacramentum necessarium, si fides sola iustificet & tollat peccata.

Luth. ¶Sicut Act. decimoquinto dicit Petrus, fide purificans corda eorum.

Episc. ¶Hoc nimirum de formata fide non potest non intelligi, quum Paulus affirmet, nec eam fidem quomontes loco dimoueantur aliquid esse sine charitate. Cæterum nec Paulus hic dixit solam fidem purificasse corda. Nemo negat fidem efficere plurimũ, at quòd sola fides iustificat & purificat, nunquã comprobabis.

Luth. ¶Et Hieremiæ quinto: Domine oculi tui respiciunt fidem.

Episc. ¶Non hoc de fide qua Deo creditur, sed de fide,

qua fiat quòd dicitur, intelligi debet. Non proximè ante hoc verbum dixit propheta. Quod si etiam (vituit dominus) dixerint, & hoc falsè iurabunt. Et continenter subdit: Domine oculi tui respiciũt fidem, vt sit sensus: Non quid iurauerit domine, sed quantum iuramento respondeat eorum factum hoc respicis. Nihil igitur testimonium ad rem pertinet.

Luth. ¶Iam Psal. 24. docet non propter vllum opus nostrum, nedum propter cõtritionem remitti peccata, dicens: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Episc. ¶Sed lege quid in eodem psalmo subiungat inferius: Vide humilitatẽ meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Quum hoc dicit, sperauit certe contritionis humilitatem & laborem iuuatura nonnihil ad peccatorum condonationem.

Luth. ¶Et Romanorum quinto: Iustificati ergo gratis per fidem, pacem habemus. Ecce gratis & sola fide iustificamur, & pacem, id est, remissionem peccatorum habemus.

Episc. ¶Sed quam, te quæso, Paulus hic fidem intelligit? formatam, an informem? Si formatam, non ergo sola fides iustificat, cum ea nunquam sit absq; charitate. Informis vero per te, nec pacẽ præstat, nec remissionem peccatorum. Cæterum falsum est quod adiungis: Ecce gratis & sola fide iustificamur. Nõ enim hic dixit Paulus, sola fide.

Luth. ¶Quare adhuc dico: Caue caue frater Christiane, ne vnquã super tua contritione confidas, non huic, sed fidei tuæ promisit Deus remissionem peccatorũ.

Episc. ¶Nihil minus quàm istud inferri potest ex illis scripturis quas iam citaueras. Quod opinor nemo nõ perspicit, qui nõ planè cæcus fuerit. Sed esto non debeat quisquã contritioni suæ credere. Non propterea confessurus negliget, aut aspernabitur contritionem. An non legis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non despicies? Non potest certe non esse Deo grata contritio

Virtus contritionis.

Psal. 50.

3. Reg. 21.

peccatoris. Quæ res per Achab exploratissima fuit. Quum enim Deus acerbissimè fuisset comminatus, propter ipsius tamen contritionem, quæ sanè multũ amara fuerat, Deus optimus & clementissimus confestim suam mutauit sententiam.

Luth. ¶Duo enim sunt verba Dei, alterum est præceptum, alterum promissio, præceptum opera, promissio fidem exigit.

Episc. ¶Cuncta quæ dicis Luthere, nulli fermè solidita ti connituntur. Neq; enim sic ista separãtur, vt præceptum spectet opera sola, promissio sola fidem exigat. Nam & de fide præceptum esse constat, Mar. 1. quùm dicat Christus: Pœnitemini, & credite Euangelio. Ecce hic præcipitur fides. Sed & pro operibus plerunque factã esse promissionem, nemo est qui ignorat. Nam vt cætera taceam quæ in veteri testamento scripta sunt, constat in Euangelio pro eleemosynæ operibus, promissione Christũ non solum conscientiæ emundationẽ, verumetiã retributionẽ futuram, pro oratione quoq; securã impetrationẽ, pro dimissione iniuriarũ, peccatorum remissionẽ, ac demum pro relictis huius seculi rebus, centuplam in hoc seculo remunerationem, & in futuro vitam æternam.

Luth. ¶Nec est cogitabile, quomodo promissio impleri sine fide per opus quodcunque possit.

Episc. ¶Sit hoc cogitabile nécne, nihil opus erit iam disserere. Perspicuum tamen cuique esse potest, quòd vbi promissio facta fuerit pro opere aliquo patrãdo, non minus ad eam promissionem implendam exigitur opus quàm fides promissionis, id quod satis est ad articuli præsentis interemptionẽ. Siquis emũdationem pollicitam ob opus eleemosynæ velit consequi, non sola fides in promissionem sufficit, sed necessum est præter fidem, etiam opus adiiciat. Et in aliis haud dissimiliter. Sic & ad gratiam absolutionis consequendam, neutiquã satis est sola fides, sed opus insuper & tuum & sacerdotis exigitur, tuum quidem, vt doleas & humilies te sacerdoti. Sacerdotis vero, vt

Nõ minus ad promissionem perimplendam exigitur opus quàm fides promissionis.

probet & rite sacramentum ipsum administret. Sed & de hoc articulo iam satis.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Verissimè absolutus est, quisquis se verè absolutum credit.

SI per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos nõ serio, sed ioco absoluerit, si tamẽ credat sese absolutum, verissime est absolutus. *Luth.*

¶Opinabar me quum hunc articulum legerim satis eundem intellexisse. At alium longe sensum habet introrsum, quàm prima statim frõte præ se ferat. Cui (quæso) difficile videtur, vt se credat absolutum à sacerdote, dum is ei sacramentum absolutionis impendat. At nemo sic credit (authore Luthero) nisi fidem habeat gratia informatam. Hoc Lutherus mox in huius articuli declaratione palam testatur. Ex quo perpende lector, in quas angustias coniecerit sese. Tantum operibus detrahere studuit, quo fidẽ extolleret, vt iam ipsius sententia rarissimus sit, qui beneficium absolutionis consequitur. Neque enim ante quis absoluitur, opinione Lutheri, nisi per gratiam senserit se concussum. Nã fides (vt ait) non est sine gratia, nec gratia venit in animam, absque magna animi concussione & ipsam animi concussionem contritionem vocat. Nemo igitur vere absoluitur, nisi qui fidẽ habuerit cum gratia concutiente & cõterente animam. Nõ enim satis est (authore Luthero) vtcunque credere, sed oportet adhuc modum credere, hoc est, cum tali & tanta fide, quæ contritionem & gratiam in anima producat, alioqui non est absolutus. Quòd si tali tãtaque fide se quis credat absolutum, tum Lutherus ei pollicetur, quòd est verissime absolutus, alioqui negat absolutum esse. Iam tandem intellexistis Lutherum. Sed probationem eius audiamus. *Episc.*

Quis Lutherus absolutus sit.

¶Et hic fluit ex præcedentibus. *Luth.*

¶Quid mirum, si tot præcedentes errores vnum *Episc.*

hunc,& sanè pestilentissimum,pepererint.

Luth. ¶Nam fides,vt dixi,exigitur in promissionis diuinæ verbo, quocunque modo audiatur,si fide suscipit,iustificat.

Episc. ¶Accepi nimirum ex superioribus, te dixisse fidé exigi diuinę promissionis verbo.At qualem inferius explicas nunquam hactenus abs te, ceu prorsus necessariam assertam audiui. Sed eiusmodi fidem quisquis habuerit,iam iustificatus est,iam ei cuncta remissa sunt peccata,vt nihil ei opus fuerit diuinæ promissionis hoc verbum audire. Nam qui fidem illam habet, gratiam habet, qua liber est ab omni peccatorum reatu.Ad hunc itaque modum nullius est apud te momenti, si quis informem fidem & promissionis hoc verbum,seu seorsum, siue coniunctim acceperit. Nisi enim fuerit animus præter hæc gratia cõcussus, nihil omnino,iuxta tuam sententiam fit per informé fidem,& hoc promissionis verbum, atque ita nimirũ impiissimè fallis auditores tuos, quum aliud dicis, aliud intelligis,aliud corde versas,aliud profers ore. Audit te quispiam ex plebe, tam constanti animo asseuerantem,quòd si credat se absolutum, iam est verissime absolutus,habet fidemverbis tuis,& bene sperat de salute sua. Sed eundem, tacitus in corde negas absolutum,nisi fide tãta præditus fuerit,quæ gratiam habeat concutientem, & conterentem animam qua illa caret.Num non illum planè ludificas, ac verbis tuis ei prorsus imponis?Hauddubie.Dic mihi pro cor.Aut quicq̃ operatur in animam hoc verbũ absolutionis, ant nihil? Si nihil, frustra tempus impartimus ei audiendo, & frustra credimus, si nullus inde fructus oriatur nobis.Sin aliquid operetur. Aut hoc est,seu caussa quædam fide generalior,aut velut caussa peculiarior fide, aut demum, vt partialiter & ex æquo cum fide concurrens. Primum stare non potest, quando fides haberi plena poterit, hoc verbo nunquam prius audito, vti quum quis baptizatur, anteaquam audierit quicquam de sacramento absolutionis. Quamobrem non est caussa generalior & prior fide. Quòd si secundum concesseris, nempe quod sit caussa quædam fide peculiarior,mox consequitur,vt non sola fides iustificet.Num effectus quisque, verius peculiari caussæ, quàm generali tribuitur? Vt homini magis ascribitur hominis generatio, quàm soli. Porrò si tertium asserueris, quòd videlicet ex æquo pariter vtrunque concurrat, iam etiam apertum erit, non solam fidem iustificare,quum effectum nemo partiali caussæ,præsertim soli,referat acceptum. Quis enim duobus ex æquo pondus alicui quod leuantibus,alteri eorum soli,totum opus ascribit? Nemo profecto, qui vel aliquo rationis lumine præditus est,sed partim id vni tribuit,& partim alteri.Quamobrem nec soli fidei totus effectus, hoc est, peccatorũ remissio debet imputari, sed partim fidei, partim absolutionis sacramento.

Hic locus Lutherum vndequaq; cõstringit.

¶Et quid nimirum si ioco prolatum & creditum iustificet, quando Apostolus Philip. 1.gaudeat & glorietur, quòd verbum Dei per inuidiam & contentionem prædicatur, vtique quòd credentes salui fiãt per verbum, etiam ab inuidis & accusatoribus, non nisi ad opprimendum ipsum annunciatum, adeò tota vis sita est,non in ministro verbi, sed in corde audientis & credentis. *Luth.*

¶Non opinor sentire te,quòd tamesi minister absolutionis,& minister communis verbi, vterque fungatur authoritate Christi, quin longe tamen aliter iste,quàm ille suum exequatur officium. Nam huius quidem officium est,vt doceat plebem,& Christi verba tanquam ex ore Christi recenseat, dicens,hæc dixit Christus.Ad illum vero pertinet, vt iuxta sibi donatam à Christo authoritatem,in propria tamen persona pœnitentẽ absoluat, dicens: Ego absoluo te in nomine patris, &c. Neq; hæc verba pronuntiant seu materialiter(vt aiunt)accepta, sed iuxta suppositionem personalem, vt videlicet in sua ipsius persona, non Christi proferantur. Non enim absoluens recẽ- *Episc.*

Quid discriminis est inter ministrũ absolutionis & ministrũ verbi Dei.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſet verba Chriſti,ſed ſua.Neque enim dicit: Chriſtus abſouit te,ſed ego abſoluo te. Aut ergo verum dicit ſacerdos abſoluens,aut falſum. Si falſum non meretur ex falſitatis fide,peccator emolumentũ ſequi.Sin verum dixerit,iam verum eſt, quòd ipſe peccatorem abſoluit,vt non tota vis in auditoris corde ſita ſit, & nihil prorſus in abſoluente. Ad hæc. Si ſacerdos, ad quẽ venit peccator fortaſſe non omnino pœnitens, ipſa Chriſtiverba protulerit dũtaxat,& nõ abſoluerit pœnitentẽ,nempe ſi dixerit:Quorũ remiſeritis peccata,remittuntur eis:non autẽ ſuis verbis abſoluerit pœnitentem,ac dixerit:Ego abſoluo te,iam ſi peccator cõfeſſus,huic verbo promiſsionis credat, ipſe tua ſententia,recedit abſolutus,quod tamen à vero longe alienum eſt. Neque enim Chriſti promiſsio fuit, vt quiſquis iis verbis eſſet creditur, is à peccatis abſolueretur:ſed cuius peccata ſacerdos remiſerit,ei remitterentur peccata.Ex iis itaque dilucidum eſſe puto, ꝓ plurimum interſit inter eos, qui Chriſtum per inuidiam & contentionem prædicabant recenſentes non ſua,ſed Chriſti verba, & inter miniſtros abſolutionis,qui ſuis verbis ſuper authoritate Chriſti fundatis,peccatores abſoluunt.

Luth. ¶Verũ noſtri adulatores malunt remiſsionẽ peccatorũ tribuere poteſtati miniſtrorum,vt in ſe cõfidamus,q̃ fidei, qua in Dei verbum credamus,ideo vt ſe nobis idola faciant,& à Deo viuo auertant,damnant fidem verbi Dei,& ſuam ſtatuunt poteſtatem.

Epiſc. ¶Haud ſcio quos vocas adulatores.Verũ hoc ſcio & certus ſum,ꝓ ex grauiſsimis & probatiſsimis authoribus haud paruo numero citare poſſem,qui remittẽdi peccata ſacerdotibus tribuũt poteſtatẽ. Nec tamẽ illis animus fuit ex hominib̃ idola facere, aut à Deo viuo plebem auertere, aut ita demum ſuam ſtatuere poteſtatem,vt damnent fidem verbi Dei.Cæterum illi quos adulationis inſimulas, non tam illo vitio(meiudice)laborant,quàm ipſe maledicentiæ, morbo ſimul & obtrectationis inſanias furore.

Clauus clauo truditur.

¶Dixi autẽ per impoſsibile, quia ſatis ſuprà dictũ eſt,fidem ſine cõtritione eſſe non poſſe, quum gratia nõ infundatur, niſi cum magna concuſsione animæ. *Luth.*

¶Ecce iam apertè reſoluit ſeipſum,quemadmodũ paulò ante diximus.Sed primũ hic excutiamus,quid ſibi velit quum dicit:Si per impoſsibile. Nam ſi intelligat quòd impoſsibile ſit conceſſum non eſſe contritum,profectò neque ſibi,neque veritati cõuenit. Nã fit plerunque vt multi ſua peccata confiteantur, in quibus tamen adhuc occulta manet peccandi voluntas,quæ non ſinit eos gratiam abſolutionis recipere. Sed & ſecundum Lutherum hæc gratia non infunditur abſque magna animi concuſsione. Vehemens igitur animi concuſsio,quum nequeat non ſentiri dum adſit, neque talem plerique ex his qui confitentur, vllam ſentiunt,conſequitur,vt non ſit impoſsibile cõfeſſum aliquando cõtritum non eſſe,imo reuera plurimos oportet fateamur eſſe confeſſos,qui non ſunt contriti.Cæterum fortaſſe de abſoluto voluit dixiſſe,nẽpe quòd impoſsibile ſit aliquem abſolutũ eſſe, qui non ſit contritus. Sed iam oportet illum percunctemur,quid per abſolutũ intelligi velit. Si velit abſolutum vnumquenque diti ſuper quẽ ſacerdos abſolutionis verba protulerit,parum iſtud quadrat dogmati Lutherano multas ob cauſſas.Primum,quia poteſt ille carere fide, & non credere ſeſe abſolutum: deinde,quia non adhuc intra ſe ſentit ingentem animi concuſsionem,ac proinde neque gratiam accepit. Quo fit,vt nec peccata ſibi remittãtur. Sin illum intelligat,qui vere ſit abſolutus,& cui peccata prorſus condonata ſunt, vide quàm imponat auditoribus ſuis, & in quantis eos relinquat tenebris, quum ad iſtum modum nemo ſcire poteſt, quando fuerit abſolutus,niſi magna animi ſui concuſsionem ante ſenſerit. Porro,quòd dicit fidem ſine contritione eſſe non poſſe,nunquã hactenus tam apertè ſe prodidit. Sed quis tam certus eſſe poterit ſe fidem habere? quũ nec de cõtritione ſua quiſquam ſecurus erit, nãi qui *Epiſ.* *Attende lector.*

magnam animi concuſsionem ſenſerit in ſeipſo. Sed & plerique ſępenumero magnas animi concuſsiones patiuntur, quãdo non ſemper infunditur gratia. Hęc te queſo lector diligenter expẽdas, & intelliges, quãta Lutheranos omnes inuoluat hoc dogma caligine. Quod ſi locum iſtum viuaci memoria tenueris, contuleriſq; cũ cæteris, vbi de fide tractabitur, planè perſpicies quantis errorum tenebris permiſcent omnia.

Luth. ¶Volui enim fidei virtutem declarare & commẽdare, quàm ſola faciat ad remiſsionem peccatorum & iuſtificationem pacis.

Epiſc. Quæ fides peccata profliget. ¶Nihil mirum eſt, ſi fides hæc præſtat remiſsionẽ peccatorũ, quũ huius fidei præſentia, mortale quoduis ex animo peccatum fuget, neque ſimul intra cordis vnius ambitum, ſecum ſinat habitare. Quamobrẽ ſi fides hęc adſit, certum eſt aufugiſſe peccatũ. Quòd ſi contra peccatum adſit, nemini dubium ſit, hanc fidem prorſus auolaſſe. Hanc, inquam, quæ iam explicata eſt, nempe quæ formata ſit gratia & contritione. Non oportet tamẽ, vt omnis ad peccati mortalis pręſentiam aufugerit fides. Poteſt enim ea, quę informis eſt, manere nihilominus. At huic (vt iã audiſti lector) Lutherus haud tantum tribuit, ſed illi duntaxat quæ formata eſt: de qua certè nullus ambigit, quin ſibi cõnexam habeat remiſsionem peccatorum, paciſque iuſtificationem. Cæterum de fide vtcunque accepta, putant ex eius auditoribus plerique Lutherum intelligi velle, quoties fidei tot & tanta (quæ ſolet) pollicetur. Id quod etiam pleriſque locis, videtur ipſe teſtari. Nam & in actis ſuis dicit, fidem nihil aliud eſſe q̃ illud quod Deus promittit aut dicit, credere. Ecce, ſi non aliud ſit fides q̃ credere hoc ipſum quod Chriſtus promiſit & docuit, quis ex Chriſtianis non habet fidem? Et contra Eckium rurſum affirmat, fidem eſſe rectam & bonam opinionẽ de Deo, quã ſanè quibuſdam maximis & grauiſsimis peccatoribus adeſſe quis ignorat? Et inferius ſub articulo 14. fidem aſſeuerat certiſsimè ſentiri poſſe in corde, ſi quis eam habeat.

Fides Luthero quid ſit.

Sed & ſub. 10. articulo ſuperius aſſeruit, ita cuiuis futurum vt credit. Sicut, inquit, credimus, ſic fiet nobis. At iam aſſerit fidem non eſſe ſine contritione & gratia. Quis itaque non cernit quantum fuci faciat auditoribus ſuis, & quæ docet meras impoſturas eſſe? quibus & vulgum omnino deludit.

¶Quod dico, ne quis me putet contritionem ſeu turbationem illam cordis in cogitatiõe peccatorum ſuſcitatam negare. Volo eam. *Luth.*

¶Sed dicas adhuc apertius, quomodo non negas eam, & quomodo vis eam. Si vis eam vt rem vtique neceſſariam peccatori ob gratiam ſuſcipiendam, id ſatis eſt nobis. Neq; enim aliud quærimus. Nam eatenus patrum ſententiæ ſubſcribis, atq; confiteris contritionem, quæ remiſsionem peccatorum antecedit non facere peccatorem hypocritam, aut deterioris notæ, quam antè fuerat, ſed promouere potius eundem ad gratiæ iuſtificationem. Atqui hoc paulo ſuperius negaras. Sin illud haudquaquã placeat, dic quomodo vis eam, aut quomodo non negas eam? Neque enim negare potes, rem quam quiſque pœnitens in ſe deprehendit, nempe contritionem illam, ſeu turbationem cordis ex cognitione peccatorum (vt ipſe fateris) ſuſcitatam. Hanc ſi neges, cũcti protinus explodent ſententiam tuam. Nam hãc omnes in ſeipſis experiuntur. Neque quiſquam eſt, qui te putet viſque adeo communi ſenſu carere, vt iſtã negare velis, quanquam ſuſpicentur plurimi te negaturum eam, ceu iuſtificationi neceſſariam. Conaris igitur illis verbis, hac ſuſpitione purgari te, ne quis videlicet te putet, contritionem cordis negare, velut iuſtificationi neceſſariam. Verum te pudet hoc verbum, neceſſariam, adducere, ne videaris aliis tecum parum conſtare. Hęc ſunt præſtigiæ tuæ Luthere, his technis, dolis, fucis vbique plenus es. *Epiſc.*

¶Sed dico eam non operari iuſtificationem aut remiſsionem peccatorum. Fides enim in verbum Dei iuſtificat & purgat. *Luth.*

Episc. Aliud est iustificationē operari, aliud ad iustificationem cooperari.

Aliud est Luthere iustificationem operari, aliud ad iustificationem operari, ac nonnihil ad eam comparandam conferre. Nos plane vt concedimus hanc animi turbationem nō operari iustificationem, ita negamus illam nihil omnino conferre iustificationi. Verbis testaris, eam non efficere iustificationem, & recte quidem testaris, neque nos in hoc tibi reluctamur. Sed an conducat quicquam ad iustificationem, hoc nō aperte dicis. Cōsciētia tamen tua nō refragari videtur, eam nonnihil conducere, quum ais, te negare eam, sed velle eam. Animus tibi propensus fuit, vt necessariam eam non negares, nisi pudor inconstantiæ nonnihil obstitisset tibi. Porro, quòd fidei tribuis iustificationem & purgationem, si iustificationem & purgationem à reatu peccatorum fieri p gratiam intellexeris, & per eam fidem quę gratia formatur, quemadmodum iam explicuisti, nihil repugnamus, cæterum iustificationem & purgationem à reliquiis peccatorum non dubitamus per frequentem contritionem, ac cætera pœnitētiæ opera, simul cum ipsa fide fieri perficiqe, quemadmodum ex primo articulo satis fuit perspicuum.

Inconstātiæ pudor.

ARTICVLVS XIII.

Luth. IN sacramento pœnitētiæ ac remissione culpæ nō plus facit Papa, episcop⁹, quàm infimus sacerdos, imò vbi non est sacerdos, æquè tantum quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset.

Episc. ¶ Quantum ad priorem huius articuli partem spectat, haud vehemēter Luthero repugnarim. Nam si culpa sensim deleri posset, ita quòd nunc vna portio, nūc alia tolli quiret, fortassis in sacerdotibus eatenus maior aut minor potestas existimaretur, quo maiorem hic quàm ille portionem abolere posset. Sed quum aut totum aut nihil ex ea deleatur, nō maior in delenda culpa, summo quàm infimo sacerdoti potestas tribuenda est, nisi fortè propter culpæ graui tatem, cuius absolutio maioribus sacerdotibus, ex

Non maior in delēda culpa summo ꝗ infimo sacerdoti potestas tribuenda est.

patrum ordinatione iniuria reseruatur. Cæterum alteram articuli partem tantum abest vt probem, vt etiam assertorem eius hæreticum appellare non dubitem. At huius assertionis Lutherus inde sumit ansam, quod ex proxime superiori collegisse se putat, totam vim delendæ culpæ non in ministro, sed in fide credentis sitam esse: & non potestati ministrorum, sed fidei (qua in Dei verbum credimus) remissionis effectum esse tribuendum. Quamobrem & iam adiicit, quòd etiam si mulier, aut puer hæc verba proferat, peccator hæc audiens & credens protinus absolutus est. Sed hinc Lutherum scisciterer, quid si ipse peccator sonora voce (ita vt à seipso posset audiri) pronuntiaret eadem in seipsum verba, quibus & fidem adhiberet, num putaret eundem absolui? Et quid si psitacus, vt fieri potest, doctus esset hæc proloqui, & peccator quispiam his auditis crederet, num idētidem absolueretur? Quod si forte lapidi cuipiam hęc eadem essent insculpta, nunquid peccator his lectis, fidem habens, ilico foret absolutus? Si negaueritLuth. ab iis absolutionem impendi posse, compertum erit etiam præter fidem sacerdotis officium esse necessarium, neque solam fidem aut verba, siue lecta, siue alias audita sufficere. Sin vero dixerit, in illis casibus, peccatorem qui audierit, aut legerit, vere absolutum esse, quid absurdi⁹ dici potest, quàm vt lapis absoluat, aut psitacus, aut ipse pœnitens seipsum? Cuius aures ista ferre possunt? Neque reclamauerim fidem illam, de qua loquut⁹ est, iustificare posse, nempe per gratiam, qua fides ipsa potens & efficax redditur ad iustificandum. Cæterum vt quis per hoc verbum iustificetur, opus est absolutore quopiam, cui Christus absoluendi contulerit eam facultatem, quam haud dubie nec lapidi, nec psitacho, nec demum homini in semetipsum tradidit. Neq; enim alicubi pollicitus est Christus, vt quisque credens iis verbis, vtcunq; lectis, aut auditis absolueretur, sed apostolis hanc potestatem dedit, vt quos ipsi soluerent, absoluerētur, & quibus

Fides ꝗ gratiā redditur efficax ad iustificandum

ipsi peccata remitterent, remitterentur eisdem. Sed nec sacerdos absoluens, verbi recitator est solum, verumetiam eiusdem executor est verbi adeo, vt nisi ipse iuxta verbum sententiam ferat, nihil fit. Neque enim sacerdoti satisfuerit recensere, quæ Christus dixit, nempe: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, sed oportet, authoritate (quam ei donauit Christus) fungatur, & in sua dicat persona: Ego absoluo te, alioqui frustra dixisset apostolis Christus: Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, nisi verè potuisset ipsi remittere peccata. Quod si verè sacerdos remittat, quid in re manifestissima moramur? Iam enim constat, nõ solam fidem peccatoribus peccata remittere, nisi Christum, frustraneam, & fictam apostolis suis potestatem donasse quis dixerit, atque ita mendacem eum & hypocritã (quod nimis quàm execrandum est) effecerit. Sed veniamus ad approbationes.

Luth. ¶ Quum ex prædictis pateat, quod non potestas ministri, sed fidespœnitentis remissionẽ peccatorum operetur. Velim doceri ab istis bullensibus, quomodo plus Papa faciat quàm quilibet sacerdos, quum idem ipse æque non præstare possit ac quilibet sacerdos, nec alio verbo absoluat quàm illo: Quodcũque solueris &c. quo omnis sacerdos absoluit. Si ergo idem verbum, eadem fides vtrobique, quæ est differentia illorum?

Episc. ¶ Nunquam illud tibi concesserim, quod nihil operetur potestas ministri, sed sola fides, neque istud ex superioribus (quæ quantum opinor, abunde confutata sunt) colligere potes. Sed neque sententiam hanc firmabis vnquam, nisi velis Christum (vt iam diximus) mẽdacem & hypocritam efficere. Soluit haud dubie sacerdos, & peccata remittit, si vera dixit Christus, vt & cuncta (quæ dixit) erant hauddubie verissima. Quod si remittat & soluat sacerdos, quis nõ perspicit ministri potestatem aliquid operari, & non solum fidem totum perficere negotiũ? Quod Christus (quod ecclesia docet) nullis fucis oblinitur, sed tuti

Soluit haud dubie sacerdos, & pctã remittit.

certe dogma tam fucos quàm labyrinthos habet intricatissimos. Quod ingenium explicare potest iuxta sententiam tuam, quando quis fidem illam de qua ipse loqueris, peccator assequitur. Si prolatis verbis absoluendi, iam quid dicis aliud quàm quod ecclesia prædicat. Docet enim ecclesia, quod peccator qui cũ dolore aliquo, & fide licet informi, venerit ad sacerdotem, mox prolatis absoluendi verbis, ille gratiam assequitur, per quam omnia quæ prius erant informia, iam in peccatore formata sunt. Consentit & Christus qui per sacerdotem asserit, absolui remittiq; peccata, id quod absque gratiæ præsentia fieri non potest. Ob eam enim caussam, nimirum vt peccato reconciliationis gratiam acciperet, sacerdotibus hanc authoritatem donauit Christus. Quod si iam dictis absoluendi verbis neges conferri gratiam, & fidem formari, Christo mendacium impingis, & absolutionis hoc tam necessario sacramẽto, nimis quàm impiè frustraris, & fraudas ecclesiam. Hoc conuellle, si potes, quod Christus remittendi soluendique potestatem suis apostolis contulisset, quodque illi neminem absoluissent, & tum herbam porrigemus tibi. Nam sat scio, nemo sanus negabit, eum, qui absoluit, & peccata remittit, nonnihil agere. Cæterum quantum ad cõdonandam culpam attinet, antè diximus, Christum sacerdotes cunctos fecisse pares, verum in relaxãdis pœnis, non ita, quemadmodum in sequentibus articulis dicturi sumus apertius.

Ecclia docet

Christus cõsentit.

Sacerdotes oẽs sunt pares in condonanda culpa

Luth. ¶ At casus reseruati hic Papæ plus tribuunt. At illi hominum statutis inuenti, non euangelico mandato positi sunt.

Episc. ¶ Satis antè firmatum opinor, pleraque Christianis esse credenda, quæ non sunt in euangelio tradita. Quibus annumerãdum & istud est, quod non humano solum ingenio, sed sancti spiritus instinctu, pœnitentiarii canones instituti sunt, & horrẽdorum criminum factæ sunt reseruationes. Quam rem pluribus testimoniis articulo quinto stabiliuimus, vt nunc

nihil necesse fuerit eadem repetere.

Luth. ¶Nec ad remissionem culpę, sed ad remissionem pœnæ tantum valent, vt patet.

Episc. ¶Quanquam iis canonibus nihil de pœna, culpáve tollatur, tollitur nihilominus per eum aut eos, quibus id officii, spiritus ille sanctus in his canonib⁹ commendauit. Nam eius instinctu canones illos fuisse conditos, non est dubium.

Luth. ¶Pœnitens enim ac credens iustus est, licet nondum satisfecerit reseruatori casuum, hoc est tyranno violento conscientiarum, qui reseruandi nullum ius vnquam habuit.

Episc. ¶Cum tibi placet Luthere, iusti sumus, & nulla nobis opus erit vlteriori iustificatione. Cõtra vero, cum tibi non placet, tum sumus iniusti, superestque semper aliquid in nobis, quod adhuc iustificetur, vt sic vel tota vita nostra, non iustitia, sed iustificatio potius dicenda sit. At esto sanè, pœnitens & credens, iustus habeatur, num propterea non est à reliquiis, tam originalis q̃ actualis peccati (quoad vixerit) iustificandus? Inter quas reliquias hauddubie, pœna pro peccatis debita (quæ nondum luitur) iure connumeratur. Quanquam enim gratiam acceperit (qua iustificatur animus) manet adhuc nõnullius pœnæ debitor, quam omnino luitur⁹ est, vel in hac vel in futura vita, priusq̃ in cælum ei patuerit aditus. Cæterum nec tibi concesserim, quemlibet peccatorem à sacerdote quouis absolutum iri, ne fortè sic in labyrinthum aliquem inextricabilem incideremus, nempe, ꝓ qui iure ligatus esset ab vno, statim ab alio iure solueretur.

Non quilibet peccator à quouis sacerdote absoluitur.

Luth. ¶Respondeant autem, an Papa aliud sacramentũ pœnitentiæ habeat q̃ tota ecclesia? Si idem est vbique sacramentum, & idem ab omnibus suscipitur, & datur, quid præ cæteris amplius facit in eo Papa? An forte aliud baptisma, & aliam missam habet quàm omnes alii Christiani? Si ergo vna fides, vnum baptisma, vnus panis, vnus calix, vnus dominus in tota ecclesia, cur non vna pœnitentia, vna remissio peccatorum? An hoc solum sacramentum diuersum & monstrosa diuersitate, aliud & aliud pro locorum & personarum diuersitate habetur? Valeant impiæ istę draconis antiqui voces.

¶Iam ouationẽ facis, perinde ac si viceris, cum tamen his verbis egeris prorsus nihil. Nos enim idem vbique sacramentum pœnitentię cũctis adesse sacerdotibus confitemur. Neque verius per eius virtutem à peccati culpa, summum q̃ infimum sacerdotẽ quemquam absoluere peccatorem, quanq̃ lati⁹ (vt par est) summi pontificis, q̃ cæterorum extendatur potestas. Nam eius iurisdictione nullus eximitur, cum Petro Christus generatim totius ouilis, & omnium ouium suarum commiserit curam. Potestas autem infimi sacerdotis non tam late patet, sed in sibi subditos duntaxat eam exercere licebit. Cęterum apud tuã perfidiam, omnes ex æquo sacerdotes sumus, quicunque Christiano censemur nomine, quãquam ipso officio nemini liceat vti, nisi per consensum communitatis. Quia quod est omnium communiter (sic enim rationinaris) nullus singulariter potest sibi vsurpare, nisi vocetur. Potestas igitur hæc (si tibi credim⁹) primum in ipsam communitatem à Deo deriuata fuit, deinde ab ipsa communitate in eum qui sacerdotio fungeretur. At hoc ex sacris literis falsissimum esse constabit. Nam Paulus ipse Galatis scribens testatur, se nec ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem apostolum fuisse constitutum, neque plebis vllius assensum expectauit. Deinde multos alios ordinauit pontifices, inter quos Titus & Timotheus erant, qui neque plebis consensu sacerdotes effecti sunt, sed vt ipse testatur, suarum manuum impositione. Sic enim. 1. ad Timotheum. 4. scribit: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositiõe manuũ presbyteri. Quem locũ doctissimus Erasmus vertit authoritate sacerdotii, vt plane quiuis intelligat non plebis authoritate Timotheum factum episcopum, sed

Episc. *Sũmi põtifi cis ptãs lati⁹ q̃ cæterorũ extenditur.*

Sacerdotalis ptãs nõ deriuatur à coĩtate ad sacerdotes.

Gala. 1.

Paulus à Christo nõ à plebe apost. constitutus.

Ti. & Tim. à Paulo non à coĩtate sacerdotes effecti.

2. Tim. 1.

Pauli.Similiter & idē Paulus ad eundē Timotheum, denuo scribens, eundem admonet, vt gratiam resuscitet,quam & accepit per impositionem manuū suarum.Vt resuscites (inquit) gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum. Rursum ad Titum scribens,recenset ei se contulisse potestatem constituendi presbyteros.Huius (inquit)rei gratia reliqui te Cretę,vt ea quæ desunt corrigas,& constituas per ciuitates presbyteros,sicut & ego disposui tibi.Quis iam ex iis non perspicit Pauli sacerdotium à Christo fuisse collatum,non à plebe? Deinde per Paulum,Tito & Timotheo fuisse donatum, non à plebe,sed per impositionem manuum ipsius Pauli. Tertio quoque illos eandem potestatem in alios fuisse transfusam. Falsissimum igitur est quod ipse doces, omnes ex æquo sacerdotes esse, qui Christiani fuerint, & ꝓ hæc potestas communitatis consensu tribuatur quibuslibet.Tales erāt Ethnicorum & Pharaonis sacerdotes, de quibus Origenes multa dicit.Sed Christi sacerdotium non ex plebis assensu pēdet,sed diuinitus confertur.Christus enim duodecim elegit,quemadmodū ipse testatur,inquiens: Nonne ego duodecim vos elegi?Quibus non solum consecrandi corporis & sanguinis sui, verumetiam peccata soluendi fecit potestatem.Hos & Christus misit functuros per orbem sacerdotio,quo donatus &ipse fuerat à patre.Sic enim post resurrectionem suam ipse loquens apostolis testatur:Sicut(inquit) misit me pater & ego mitto vos. Neque licet cuiuis hāc arripere potestatē, nisi prius in id officii legitime fuerit accitus. Quum dicat Paulus:Nec quisquam sumat sibi honorem,sed quivocatur à Deo quemadmodum Aaron. Quid dicis Luthere?Num Aaron à plebe sacerdos institutus aut vocatus fuit? Quòd si sacerdotium Aaron haudquaquam ex plebe deriuatum fuit,multo minus hoc augustum Christi sacerdotium, quod erat secundum ordinem Melchisedech, à plebis assensu potestatem vllam accipit.Vbi legis in toto veteri instrumento, ꝓ à plebe

Tit.1. Presbyteri à Tito episcopo non à plebe constituti.

Nō omnes Christianos ex æquo sacerdotes.

Ioan.6.

Hebr.5. Sacerdotiū Aaron nō ex plebe deriuatum.

consecrati fuissent sacerdotes?Quòd si inumbra semper à laicis fuerant illi sacerdotes discriminati, num in ipsa re & veritate, quum iam multo verius fuerit sacerdotium,multo magis à laicis discriminabuntur? At inquies,omnib⁹ dictum esse Christianis: Vos estis genus electum,regale sacerdotium, gēs sancta. Num istud sufficere putas,vt probes cunctos esse sacerdotes?Sic enim & ego Iudæos omnes ostendam sacerdotes fuisse.Nam Exo.19. Deus eos vocat peculium de cunctis populis, regium sacerdotale, & gentem sanctam.Si(inquit)audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis & in regnum sacerdotale,& gens sancta. Et tamen apertissimum est non omnes eos fuisse sacerdotes.Sed neque regibus ipsis,qui tamen vt sacerdotes vncti fuerant, haud licuit munus obire sacerdotum.An nō Paulus ex instituto dirimit à plebe sacerdotium,cum dicit:Dei adiutores sumus,Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, sacerdotes vocans adiutores,& ministros Dei, plebem verò ceu terram quæ colitur,aut lignea materies, quæ construitur. Iam te non pudet Luthere, qui de scripturis tantopere gloriari solebas, tot scripturarum, & tam aperta contemnere testimonia? Quòd si quis iis adiungere velit suffragia patrum, conciliorum canones, traditiones apostolorum, & ecclesiæ perpetuam consuetudinem,ac cætera demum quibus ab initio diximus firmari posse, quicquid à Christianis credendum sit, nihil hæsito,quin perspicuum euadet cunctis, nemi- nem potius quàm teipsum antiqui draconis (de quo loqueris)impias voces & pestiferos halitus euomuisse. Et illa profecto non grauarer hic citare, ni vererer nimio prolixitatis tædio,cruciari lectorem. Cæterum si forte quis desiderabit, aut horum in hac re subscriptiones, quorundam euestigio subiecimus. Gregorius Nazianzenus imprimis occurrit, grauis author, qui sic in Apologetico scribit. Sicut in corpore nostro alia sunt membra, quæ regunt corpus,

Regale sacerdotium.

1.Cor.3.

Pulchra cōparatio corporis nostri ad ecclesiam

atque omnibus eius motibus præsident, alia sunt quæ reguntur, & obsequium rectoribus præbent, ita & in Ecclesia statuit Deus, æquitatis eam legem dispensans, & per diuinam prouidentiam suam, quæ vniuersa componit, meritorum temperans priuilegia. Alios constituit regi & gubernari, quibus hoc vtilius est, vt verbo & opere rectorum ad id quod expedit, imbuantur: alios pastores dedit, & doctores ad perfectionem Ecclesiæ. Hæc Nazianzenus. Ecce palam affirmat Deum statuisse, quosdã in Ecclesia qui regant, quosdam qui regantur, & mox subiungit quales esse debeant qui regunt, & quod eorum sit officium. Hi, inquit, præ cæteris virtute animi præditi familiarius Deo asistunt, & id officii in Ecclesia gerunt, quod vel anima in corpore, vel mens & ratio operatur in anima, vt vtraque pariter compaginata, & sibi inuicem mixta, in quo quid deest, & in quo abundat, vel vt in membrorum diuersitate consonantia facta per spiritum, perfectum, & integrum, atque aptum ad omnia corpus existat, & dignum quod Christum habeat caput. Hucusque Gregorius ille. Similiter & Chrysostomus libro. 3. dialogorum, cap. 4. subdit in hunc modum: Sacerdotii autem (de quo loquimur) aspice dignitatem. Agitur quidem in terra, sed officium eius cælestibus negotiis continetur. Et quidem consequenter: Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia aliqua creatura, non virtus, sed ipse spiritus sanctus hoc mun° instituit, atque adhuc manentes in carne, ministerio præstitit angelorum fungi. Hæc Chrysostomus. Cyprianus in libro de vnctione charismatis. Non hæc medendis corporibus est vnctio instituta, quia sanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, sed adest veritas signo, & spiritus sacramento, vt & ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini, quãta ex his detur authoritas, deiformi conuersatione, & cælestibus moribus innotescat, hoc oleo antiquitus sacerdotes

Spiritus sanctus sacerdotij munus instituit.

De sacraunctione pulcherrima.

sacrabantur & reges, & ipsi altarium lapides delibuti, spiritualem intelligi volebant sacris mysteriis inesse pinguedinẽ. Et sicut oleum fluidis & humidis quibuslibet superfertur, ita excellentia sacerdotalis, & regiæ dignitatis secũdum formam Dei, & Christi sub se omnia continens, regimen & munimen, tam actiuę quàm contemplatiuæ vitæ obtinet, & ex hoc humore constet descendere omnes, gratiarum diuisiones, quas spiritus sanctus, prout vult, singulis distribuit, & largitur. Hæc Cyprianus. Sed & is, quem & Cyprianus imitatur, nempe Tertullianus apud hæreticos abominatur ordinationes fieri tam incertas. Ordinationes (inquit) eorum temerariæ, leues, inconstantes. Nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros vt gloria eos obligẽt, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcop°, cras alius, hodie diacon°, qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & apud eos, laicis sacerdotalia munera iniunguntur. Hæc in libro de præscriptionibus hæreticorum Tertullianus.

Hæretic. ordinationes temerariæ, leues, inconstantes. Attende lector.

¶ Quod autem absente sacerdote, etiam puer aut mulier, & quilibet Christianus absoluere potest. Matthæi. 18. clare patet, vbi Christus omnibus Christianis dicit: Quodcunque solueritis super terram, solutum erit in cęlis. Hãc inuictam authoritatem non mihi subuertent.

Luth.

¶ Si tuæ credimus interpretationi, nihil Petro dictum est, aut cuiuis apostolorum, quod non conueniat omni Christiano. Æquas igitur Petro cæteros apostolos, apostolis sacerdotes, sacerdotibus quemlibet ex plebe, vt tibi nullum potestatis discrimen in his omnibus haberi debeat. Quod quàm insaniæ plenum fuerit, nemo sanæ mentis ob hæc quæ iam dixim°, ignorare potest. Si nulla fides tot orthodoxis interpretibus, qui per tot annorũ cẽtenarios præcesserũt, adhibẽda sit, sed præ illis omnib°, vnus Lutherus

Episc. Omnia confudit Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſapere credatur,quid poteſt dementius cogitari:Sed
eſto,nemo ſic ſentiret interpretũ.Expendamus quid
Matth. 18. ſcripturæ ipſæ narrent, penſitemus ipſa Chriſti ver-
ba,in quibus necvnum quidem iota ſuperuacaneum
eſſe,quiſquam exiſtimare debet. Sic enim apoſtolis,
& his quidem ſolis dixit Chriſtus. (Neq; enim alios
tum fuiſſe præſentes quàm apoſtolos probabis vn-
quam).Amen dico vobis. Quæcunque alligaueritis
ſuper terram,erunt ligata & in cælo:quęcunque ſol-
ueritis ſuper terram,erunt ſoluta & in cælo.Quæ ni
mirum verba magnam ab illis diuerſitatem habent,
quæ ſoli dixit Petro. Nam hic vnius duntaxat cæli
mentio facta eſt, illic plurium cælorum, hic quoque
de clauibus regni cęleſtis tacetur penitus,illic palam
Matt.16. exprimuntur: Tibi(inquit) dabo claues regni cælo-
rum.Et quodcunque ligaueris ſuper terram,erit liga
tum & in cęlis:& quodcunque ſolueris ſuper terram
erit ſolutũ & in cælis.Ecce Petro claues promittun-
tur,non vnius cæli,ſed cælorũ,& liganti ſoluendiq;
poteſtas, quæ rata habebitur, non vno tantum cælo,
ſed in cælis. An hæc à Chriſto temere fuiſſe prolata
credis?& maxime cum ab eodem Euangeliſta,& infra
ſpatium tam breuis interualli referatur vtrunq;?Cæ-
terum vt neque meum hoc commentum eſſe dixeris,
Origenes interpres vetuſtiſsimus hoc aſſeruit homil.
6.ſuper Matth.ſic inquiens:Sed quoniam oportebat
aliquid maius habere Petrum,præ illis,qui ter argue
rant,ideo illi quidem ſic dicit:Et tibi dabo claues re-
gni cælorum,& quęcunque ſolueris ſuper terram,e-
Petro claues runt ſoluta & in cælis.Et quęcunque ligaueris ſuper
cõmittũtur, terram,erunt ligata & in cælis.Non ergo modica dif
nõ vnius cæ ferentia eſt,quod Petro quidem datæ ſunt claues nõ
li ſed cælorũ vnius cæli,ſed multorum cælorum, vt quæcunque li
gauerit ſuper terram ſint ligata, non tantum in vno
cælo, ſed in omnibus cælis. Ad eos autem, qui multi
ſunt ligatores & ſolutores,ſic dicit,vt ſoluant & alli-
gent,non in cælis ſicut Petrus, ſed in vno cælo, quia
non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligẽt

vel ſoluant in omnibus cælis. Quanto ergo melior
fuerit qui ligat, tanto qui alligatur amplius quàm in
vno cælo alligatur:& quãto melior fuerit qui ſoluit,
tanto beatior erit qui ſoluitur,quoniam in omnibus
ſolutus eſt cælis. Hactenus Origenes. Sed inquies id
quod Petro Chriſtus dixerat, omnib⁹ dixiſſe creden
dus eſt.At non eſt ſatis hoc nudis aſſerere verbis,ſed
probationes idoneas oportet producere,quib⁹ iſtud
firmetur.Pro noſtra autem parte,pręter omnium in-
terpretum ſuffragia militat ipſum euangelium. Nam *Notandum*
poſtquam Chriſt⁹ omnes pariter interrogaſſet quem *eſt q̃ Petrus*
illi ſe dicerent,euangeliſta narrat, Petrum ſolum re- *ſolus reſpon*
ſpondiſſe:Tu es(inquit)Chriſtus filius Dei viui.De- *dit Chriſto.*
inde Chriſtum inter alia, Petro ſubiunxiſſe: Et tibi
dabo claues regni cęlorum.Cur hic(te quæſo)quum
antea cunctos palam interrogaſſet,non item cunctis
ſed vni Petro, claues regni cælorum iam pollicitus
erat?Quod ſi cunctis hic loquutus fuiſſet,hoc adhuc
reſponde,cur poſtea cunctis eadem (vt tu vis)verba
recenſens,non tam plenam, ſed pluſculum imminu-
tam,promiſerit poteſtatem? Quis itaque non aduer-
tit ex his ampliorem Petro quàm cæteris authorita-
tem fuiſſe donatam? Cæterum, ſi nullum in hac re
diſcrimen euangelium poſuiſſet, pro noſtra tamen
ſententia, ſatis validum eſſet, quod eccleſia (quam
ſpiritu ſancto gubernari non ambigimus) tot ſecu-
lorum vſu, noſtram ſententiam comprobauit tot au-
thoribus orthodoxis pariter aſſentientibus, vt tibi
qui crederet hac tanta nube teſtium ſpreta, pluſ-
quam inſanus, ne dicam impiiſsimus, iure cunctis
eſſet habẽdus. Cæterum ex iis intelligi datur,quem- *Duplex po*
admodum in ſequentibus apertius dicemus, quod *tipoteſtas.*
illis verbis Petro dictis, non ſolum culpæ ſoluendæ
poteſtas accipi debeat, verumetiam pœnæ peccatis
debitæ. Nam, quantum ad culpæ ſolutionem atti-
net, cunctis apoſtolis par fuit donata poteſtas, ve-
rum Petro, tam pœnæ quàm culpæ condonandæ
facultas, ſoli fuerat tum promiſſa. Poteſt & iſtud

identidem ex superioribus esse compertum, quòd si tantum Petri discrimen à cæteris apostolis habebatur, sacerdotium à reliqua plebe non potuit omnino fuisse nullum.

Luth. ¶Qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet: vbi autem spiritus Christi, ibi omnium potestas & libertas.

Episc. ¶Multis erroribus hæc probatio scatet. Primo, quia tametsi baptizatus acceperit spiritum Christi, non satis ideo compertum est, an hactenus per mortale peccatum, eundem spiritum amiserit nécne? Deinde si nemo potest absoluere, nisi qui Christi spiritum habuerit, & sacerdos etiam eo plerunque caret, qui possumus tuto confidere, nos esse absolutos? Tertio, si illic est omnium potestas, vbi Christi spiritus fuerit, frustra dedit Christus quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores. Quid enim tá varios in Ecclesia statuit ordines, siquidem vnus quilibet omnia potest.

Ephes. 4.

ARTICVLVS XIIII.

Luth. NVllus debet sacerdoti respondere, sese esse contritum, nec sacerdos requirere.

Episc. Contritiõis vocabulum confundit Lutherus. ¶Superius articulo. 6. monstraui, te vocabulum contritionis confundere solere, & aliquando pro dolore, qui præcedit absolutionem, accipere, aliquando pro eo qui comes est absolutionis, & qui formatur gratia. Tradis enim articulo illo. 6. ꝓ cõtritio quæ paratur ponderãdo grauitatem, multitudinem, fœditatem peccatorum, facit hypocritã, & magis peccatorem quam pridem fuerat. Quod nimirum de dolore qui præcedit absolutionem, intelligi vis, & non de eo qui concomitatur. Nam ille qui concomitatur, iam gratiam habet annexam, neque facit quenquam peccatorem, aut hypocritam, sed magis à peccato liberat, & ab hypocrisi. Nunc autem contritionem accipi vis, pro digno & sufficienti animi dolore per

charitatem formato. Ita per hanc confusionẽ, plerunque lectori & auditori tuo turpiter imponis, & planẽ fallis. Sed rationem quam reddis tam excutiamus.

¶Hoc ideo dixi, quia in iudicio Dei hæc res consistit. *Luth.*

¶Et certe consistit in iudicio Dei, si de doloris sufficientia loquamur. Sed nemo de hac interrogat. Percontatur enim sacerdos eum, qui confitetur, an vere doleat se peccasse? Non an digne, & sufficienter doleat. Et sic percontari quid prohibet? Imò si non hoc percontaretur, quomodo sciet, an sit peccator idoneus qui iam absoluatur. Nam dolor ille si fuerit ingens, patrum omnium orthodoxorum calculis, ita peccatorem cõciliat, vt debeat ei sacerdos tanto promptius absolutionis beneficium impendere. Neque enim indiscriminatim omnes absoluẽdi sunt, alioqui Christus non dixisset: Quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Delectus nimirum & iudicium adhibenda sunt. De dolore igitur interrogandus est inter confitendum peccator, num vere doleat? & maxime, si nulla sacerdos interim viderit doloris indicia. Cæterum hæc examinatio (quia tuo dogmati parum quadrat) neutiquam placet tibi. Nam dolorem, qui præcedit gratiam, asseris obesse, nimirum ꝓ opinione tua deteriorem faciat peccatorem. Rursus eum qui comitatur, inutilem statuis, quum tibi sit optima pœnitentia noua vita. *Episc.* *Delectus & iudicium cõfessiõi adhibenda.*

¶Dicit enim Paulus. 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et. 10. Non qui seipsum commẽdat ille probatus est. Et suprà dictum est: Delicta quis intelligit. Si ergo deberet homo respondere se esse contritum, cogeretur ad hoc impossibile, vt delicta sua intelligeret & seipsum iustificaret ac probaret. *Luth.*

¶Hę scripturę (quas adducis) nihil efficiũt, nisi cõtritum intelligas eũ q̃ sufficientem & dignã pœnitendinem habeat pro peccatis. Potest enim confitens affirmare se dolere, quanquam nõ arbitretur, au asse- *Episc.* *Lutheri ignorantia.*

rat se iustificatum, etiam tametsi multa non occurrāt memoriæ quæ commisit. Neque enim consequitur, vt delicta omnia sua cognoscat, qui testatur se, ꝙ cunctis quę ante hac commisit, quadamtenus dolere. Sed neque iustificat seipsum, qui se dicit valde pœnitere, ꝙ in Deum optimum & clementissimum aliquoties deliquerit. Sed demum, neque ex iis omnino probatus est, nisi dignam habuerit contritionem, id quod nemo de se dicere audebit. Quamobrem nisi contritum (vt diximus) pro digne pœnitente accipias, iniuriam has scripturas produxeris. Cæterum de tali pœnitudine, nempe quæ digna sit, & quæ sufficiat, sacerdos (vt diximus) non exquirit. Examinat tantum, an vere doleat cōfitēs, nō autem an sufficienter doleat. Quāobrē hę scripturę nihil oīno faciūt ad articulū.

Luth. ¶ Nunc autem in misericordia Dei situm est, quæ contritionem propter fidem acceptat, ignoscens vbi non satis fuerit. Sic enim fides faciet, vt cōtritio, quæ de se nulla est satis, ne contritio quidem pro contritione reputetur. Non enim contritio, sed fides reputatur ad iustitiam. Rom. 4.

Episc. ¶ Non te satis intelligo, nisi rem apertius dixeris. Nam si de fide formata loquaris, iam ipsa tibi non est absque contritione. An iam oblitus es quid articulo 12. tam asseueranter enunciaueras? nempe fidem sine contritione esse nō posse. Et hoc ex prioribus dictis tuis tum asserebas fuisse monstratum, nempe ꝙ nec ipsa, neque contritio quicquam valet, absque gratia & charitate. Quomodo igitur polliceris ei qui nondum habeat gratiam, ꝙ fides eius efficiet, vt contritio, quæ nulla est, pro contritione reputetur? Quomodo inquam istud ausis polliceri, nisi per sacramentum absolutionis existimes infallibiliter præstari gratiam? Quum tua sententia, nec fides informis, neque contritio, posset gratiam exhibere?

Hic sui immemor Lut.

Luth. ¶ At isti seductores data opera volunt nos super nostrum opus ædificare, & ad mendacium cogere.

Episc. ¶ Bona verba quęso. Nam hęc nomenclatura po-

tius in te competit. Si seductores isti fuerint, spiritus hauddubie sanctus (cuius administrationi, totius Ecclesiæ functio creditur) seductor erit. Nā hæc totius Ecclesiæ orthodoxæ communis doctrina est, nimirū vt confessurus cum aliquo dolore veniat ad suscipiēdam absolutionem, & quòd sacerdos illum audiens, si non aliis indiciis cōstiterit, ab eo scisciterur, an doleat, non (quemadmodum tu ais) an sufficienter conteratur. Nec iubet Ecclesia, vt quisquam soli dolori confidat, aut super opus suum (vt tu ais) ædificet, sed super absolutionis sacramentum, vbi se congrue præparauerit cum dolore, & fide, simulque sacerdotis admiserit absolutionem, tum se confidere posset, in statu salutis esse constitutum. In qua sane doctrina, nec dolum, aut mendacium esse conuinces vnquam.

¶ Quum enim nemo sua peccata agnoscat, quomodo potest sese vere contritum asserere? *Luth.*

¶ Ignoratio peccatorum nihil obstat, quo minus quisquam vere conteri posset, nisi velis cauillum ex vocabulo quærere. Neque enim dubito, quin Maria Magdalene vere contraria fuerat, quàm si Christus interrogasset, an vere fuisset contrita, potuit respondisse, se verè cōtritam esse, vereque doluisse pro peccatis. Nec tamen est credibile, quòd singula peccata (quæ prius in tot vanitatibus suis admisit) integre venerint in eius memoriam. Sed omittamus hanc, quæ singulare pœnitudinis exemplar fuerat, de communibus loquamur peccatoribus. Num aliquot ex iis opinaris ad sacramentum absolutionis accedere, cum vero dolore? Num eos vsque adeo stupidos arbitraris, vt non sentiant, an vere & non ficte doleant? Quòd si conscientia fuerit eis iudex, quòd vere doleāt, cur (te quæso) respondere nō licet, se vere dolere. Quid huic rei peccatorum obsistit ignoratio? quum pro cūctis dolere possent, tam ignoratis quàm cognitis. Nā qui damni perpendit immensitatem, quod ex peccato conquisiuit, is odiet facile peccatum, & detestabitur, tam in aliis quàm in seipso, neque minus id quod

Episc.

De ignorātia peccatorum.

occultum est, quàm quod est agnitum.

Luth. ¶Imò quum primo articulo dictum sit, omnes sanctos adhuc in carne peccare, & peccato seruire, tuum fuerit cum Dauid dicere: Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, & confiteri se non esse digne contritum, ac pro hoc ipso gemere, quod resistente sibi lege peccati in membris, conteri digne non possit, vt ad misericordiæ promissionem per fidem confugiat, & hac ipsa fide impetret, quod contritione impetrare non potest.

Episc. *Aliud est vere dolere, aliud dignè dolere.* ¶Iam mutasti voculam, quod nimirũ inter omnes qui rite disceptant, haud parui momenti putandum est. Plurimũ enim interest inter has duas voculas, verè & digne. Potest enim quis vere dolere, qui nõ adhuc digne doleat. Nam vere doluit Esau qui cum lachrymis, Dei misericordiam implorabat. Sed idem si digne doluisset, non fuisset passus repulsam. Colligis etiam ex articulo primo, sanctos omnes adhuc in carne peccare, & peccato seruire, quod si propter fomitem intelligas, iam ante satis ostendimus, fomitem nõ esse peccatum. Subdis item tutius esse vt quis contiteatur se non esse digne contritum, quod nemo quidem negat. Cæterum istud debuisti potius ostendere, nempe, quod nemini fatendum est, se verè dolere quod statim ab omnibus exibilaretur. Adiicis & neminem posse digne conteri, propter legem peccati, quæ residet in membris. Quod si verum sit, nemo fuit vnquam digne contritus, à quo nimirum ipse longè dissentio. Nã ad hunc modum frustra Christus in hunc mundũ venisset, qui propterea venit, vt mederetur contritis corde. Frustra Dauid dixisset: Cor contritum & humiliatum Deus nõ despicies. Frustra Daniel orasset, quatenus animo contrito & humiliato susciperetur. Sed neque publicanus ille, qui iustificatus descenderat in domum suam, neque latro, cui paradisus erat promissus, nec Paulus ipse nec Magdalena, nec sanctorum alius quispiam, fuisset digne contritus, quum hac peccati lege caruerit nemo.

Psal. 50.
Dan. 3.

¶Igitur fidem potius sacerdos exigat, & hanc asserat pœnitens dicendo: Ego credo. *Luth.*

¶Sed de hoc non minus facile mẽtietur, quàm de contritione sua, nisi fidem aliter hic accipias, quàm alibi soles. Nam si de formata fide loquaris, quis potest affirmare, formatam se habere fidem? quum eiusmodi fides non minus ignorata sit, quàm vera contritio. Sed & tua sententia (quemadmodum suprà recensuimus) hæc fides nunquam est sine contritione. Sic enim paulò superius asseris: Fides non est sine gratia, nec gratia venit in animam absque magna animi concussione. Sin intelligas de informi fide, aut tibi non constas, aut hæc gratiæ expers est, atque dolor est contritionis. *Episc.* *Nemo affirmare potest se habere fidem formatam.*

¶Fidem autem certissimè sentire potest in corde si eam habet, vt Augustinus dicit. *Luth.*

¶Aug. de trinitate lib. 13. fidem, inquit, ipsam, quã videt quisque in corde suo, si credit, vel nõ esse, si nõ credit. Quæ verba nequeunt intelligi de fide infusa, quæ certe nihilo magis ab humana mẽte pro hoc sta tu cõspicabilis est q̃ gratia. Sed de actu fidei quẽ quis experitur in seipso, per assensum mentis, si fidem habeat, & rursum nõ experitur, si careat fide. Atque ita quisque, quantumuis grauissimus peccator scire potest, se fidem habere, modo credendus consentiat. Sed quid hoc ad fidem charitate formatam? quæ certe videri nõ potest, tametsi coniici potest, vel adesse vel nõ adesse. Coniectari quis potest hanc sibi fidem adesse, verum (quod affuerit) certo scire non potest. *Episc.*

¶Et Paulus 2. Cor. vltimo, Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos? quia Christus Iesus in vobis est, nisi forte reprobi sitis. *Luth.*

¶Hac arte soles ad tuum sensum scripturas extorquere semper. Sed audi quem in modum Hieronymus hunc locum interpretetur: Si in fide estis, inquit, date sententiam in peccantem, & videte, si non statim cum verbo vestro vindicta procedat. Sic Hieron. Paulum *Episc.*

intelligit, vt his verbis hortaretur Corinthios experimentum sumere de effectu suæ fidei. Propter quod & quum adiicit Paulus: An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi forte reprobi sitis. Subdit Hieronymus: Dei virtus in vobis est, si tamen vos minime reprobauit, hoc est (quemadmodum Erasmus docte explicuit.) Nisi forte fide vtcunque incolumi, vita impura, meruistis à Christo reiici. Nihil ergo facit is locus, pro tua sententia, si velis ex eo statuere, quod fides formata, sentiri queat in corde. Nam forma fidei deperire potest, ipsa fide manente informi.

Luth. ¶ Ecce scriptura docet fidem sentiri, & tamen negat omnia peccata intelligi, ac per hoc fidei tutius, quam contritioni innitendum est.

Episc. ¶ Non hoc docet scriptura, quod fides sentiri potest, sed quod per effectum exteriorem, quis virtutem & efficaciã fidei, posset experiri. Neque negauerim, quin scire quisquam in seipso potest, an fidẽ habeat eam quæ trium virtutum theologicarum prima est, nempe per assensum animi in ea quæ credenda sunt. Potest enim facile discernere, num eis credendis assentiat, nécne? Verum hanc (si charitas abfuerit) negat Lutherus, iustificare quenquam posse. Quamobrem quum in calce tandem colligit, fidei tutius innitendum esse, quàm coutritioni, palam est, quod fide informi fide, contritioneque mortua loquatur, neutri secundum doctrinam eius quisquam inniti debet. Dilucidum igitur cuiuis esse poterit, quàm inuolute, quamque inconstanter Lutherus vbique de fide, contritioneque loquatur. Et contrà, quàm perditè & quàm æquabiliter Ecclesia de vtraque prædicat, quæ vbique docet, peccatorem ad gratiam præparari posse fide pariter & dolore, quam & pollicetur eundem consequuturum, modo rite sacramentum absolutionis acceperit. Sed ista pro articuli confutatione sufficiunt.

Lutheri inconstantia.

ARTICVLVS XV.

MAgnus error est eorum qui ad sacramentum eucharistiæ accedãt, huic innixi, quod sint cõfessi, quòd non sint sibi conscij alicuius peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria, omnes illi iudicium sibi manducant & bibunt. Sed si credant & confidant se gratiam ibi consequuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos. *Luth. De eucharistiæ susceptione.*

¶ Hic aut tu vehementer erras, aut omnes qui tot retro seculis præcesserunt patres orthodoxi, nisi forte nos fallas in vocabulo fidei. Nam si de formata fide velis articulum hunc intelligi, nemo quantum ad postremam eius partem attinet, tibi reclamabit. Nam qui talem habuerit fidem, is confessione nõ indiget, sed iam gratiam habet, & animo concussus est atque contritus, ac demum idoneus, qui sacramenti fiat huius participeps. Verum si de informi loquaris fide, tot habes aduersarios, quot sunt orthodoxi scripturæ sacræ interpretes. Nam hi profecto cuncti, volunt aliã animi præparationem fieri, quo quis digne recipiat hoc sacramentum quàm sola fide informi. Quorum testimonia, si quis desideret, ne iam lectorem moremur, haud multo post subiiciemus. Interea scripturis ostendere moliemur, non sola fide, puros, dignosque reddi peccatores ad huius sacramenti susceptionem, nisi pariter suas examinarint & præpararint conscientias. In qua re, mirum in modum euangelium cũ Pauli traditione conuenit. Christus enim in Euangelio, priusquam hoc sacramentum suis apostolis exhibuisset, lauit eorum pedes, quo facto, palam indicauit purgandos esse prius animorum affectus, quàm peccatores ad hoc tam eximium accederent sacramentum. Cur enim alioqui iam pedes eorum lauit, quos passus est (vt alibi testatur Euangelium) illotis manibus escas communes accipere? Deinde suum corpus & sanguinem eis porrigens iussit vt quoties essent hæc facturi, memoriam agerent suæ tam ingentis in eos cha

Episc.

Ioan. 13. Lotio pedum. Animi præparatio. Mar. 7. Luc. 22. Matth. 27.

Universidad de Deusto Biblioteca

ritatis. Tertio meminit Euangelium, quemadmodũ Iudas qui sacramentum hoc haud syncero puroque sumpserat affectu, paulò pòst mala morte finiuit vitam. Ecce vides hic tria. Primum, ipsam animi præparationem, per lotionem pedum indicatam, quæ fieri debet ante sacramenti susceptionem. Secũdum memoriam benignitatis Christi, quæ exercenda est in ipsa sumptione. Tertium, intelligis periculum ipsum, quod indigne suscipientem comitatur. Quæ tria Paulus docturus Corinthios (quibus modis ex hoc sacramento fructum aliquem reportarent) diligentius admonet. Primum quid facturi sint, anteaquam ad hoc sacramentum accesserint. Deinde quid inter percipiendum meditabũtur. Et demum, quæ pericula manent eos, qui neglectis iis, præsumunt accedere. Nec de fide promissionis vllam facit mentionem. Quod profecto non tacuisset, si per se sola suffecisset fides. Sed quemadmodum hæc tria præcepit, iam disquiramus. Primum dicit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Ecce pedum lotionem, hoc est, affectuũ purgationem. Neque enim licet cuiquam hoc sacramentum percipere, nisi prius examinarit seipsum, & conscientiam excusserit suam. Nisi enim aliquantam ad animum suum expurgandum ante fecerit diligentiã, indignissimus est, qui ad tantum accedit sacramentũ. Neque tamen hoc dico, quod quisquã eo dignius fieri posset, nec ille, qui supremus est in ordine seraphico, sed quòd iam maiori posset accedere confidentia, nõ munditiæ tamẽ propriæ, sed eius, quam per Dei gratiam (cui cõparandæ studuit) iam à Deo se credit consequutum. Erit autẽ bene sibi conscius alicuius diligentiæ factæ, quisquis cum lachrymis, & intimo cordis gemitu, confessus gratiam absolutionis acceperit, qua nimirũ à prioribus delictis expurgatur animus, quaque magis ad hanc sacram communionem idoneus redditur. Quisquis autem non ita seipsum explorarit, Paulo proculdubio videtur indigne percipere. Nã protinus adiecit:

Quæ requirũtur ad dignã euchariſtiæ perceptionem.

1. Cor. 2.

Actorum Christi cum Paulinis literis conuenientia.

Prima.

Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Sed & reum item eundẽ facit corporis & sanguinis domini, nimirũ ad instar Iudæ, qui sumpserat pridem indigne. Neque enim istud adiecit Paulus, nisi vt temeritatem eius taxaret, qui quum non excusserit seipsum, sed Christi traditionem animo meditans, corpus tamen dominicum edere præsumpserit. Indigne igitur iuxta Paulum, ad condemnationem suam edit, quisquis non ante suam cõscientiam explorarit. Ex quo consequitur, vt quo diligentius quisquam hoc fecerit, tanto posset accedere confidentius. Neque tamen ita, vt quisquam se dignũ putet, vel si seraphin esset, vt antè diximus, sed quòd ab indignitate sit iam factus longe remotior, quàm qui nihil horum fecerit. Liquet igitur ex iis, non solam fidem informem sufficere, vt quis ad huius sacramenti susceptionem dignus euadat, sed animum item oportet purgare & præparare, quo magis tanto sacramento suscipiẽdo reddatur idoneus. Sed iam videamus quid accessuris, in ipsa perceptione Paulus præcepit facienduṁ? nimirũ vt dominicæ passionis, & mortis agerent memoriam. Quotiescunque, inquit, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis, donec veniat. Et cur hoc nisi vt iam eximio beneficio, gratiam aliquam expendamus, & vt non facile veniat nobis in obliuionem, quanto sumus à veteribus delictis pretio redempti? Quibus vtique verbis, Paulus Corinthios admonet, quatenus referendæ gratiæ (vt pios filios decet) quàm expectandę (quod magis ad mercenarios pertinet) studiosiores essemus. Sed nihil adhuc de fide cuiuslibet promissionis, ne verbum quidem fecit.

Secunda.

Tertio demum loco, memorat, quod periculum eos manet, qui non ad hunc modum affecti, præsumunt eucharistiæ sacramentum accipere. Ideo inter vos, inquit, multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. His nimirum flagellis, cum Iuda corripiuntur, qui minus digne præsumpserint ad hoc sacramentum

Tertia.

accedere. Quam sane correptionem, affirmat eos effugere potuisse, si pridē seipsos diiudicassent, & suas expiassent conscientias. Hæc Paulus Corinthios peculiariter admonet tanquam omnino necessaria, ad tanti sacramenti susceptionem. Quamobrem quum de fide promissionis, siue formata, seu informi, nihil præcipiat, non est credibile, quod hæc sola sufficiat ad dignæ communionis puritatē & gratiam. Ad hæc in Exodo præcipitur Aarō & filiis eius quatenus manus ac pedes lauarent, quotiesessent ingressuri tabernaculum testimonij, & ad altare accessuri Thymiamatis offerendi gratia, ne forte moriantur. Si tanta puritas illis erat necessaria, pro Thymiamatis oblatione, nos qui nouæ legis sacerdotes sumus, illotis animis ad Christi corpus edendum accedemus? Absit. Sed & in Leuitico iubetur, quod siquis de semine Aaron habuerit maculam, is non offerret Deo panes, neque ad ministerium eius accederet. Quomodo ergo nos si commaculatas habuerimus conscientias, panem cælestem, panē corporis Christi, & offerre & edere præsumemus? Adde, quod Centurio non nisi munda sydone Christum mortuum censuit inuoluendum. Et nos viuentem ipsum, ac gloriosum, in conscientiam omni lasciuia sordidiorem, coniiciemus? Hæc quis nō videt, Christianos cutuis, quàm sint abominanda? Cæterum, quoniam in sermone de præparatione ad eucharistiam asseris Ambrosium tuæ sententiæ subscripsisse. Idcirco quòd Ambrosius super hoc loco Pauli sit commentatus, adiiciam: Is enim vbi recensuerit illud Pauli, quicunque ederit panem hunc, aut biberit calicem domini indigne, domino reus erit, corporis & sanguinis domini. Subdit, indignum dicit esse domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est, hoc est, qui non se prius probat ante perceptionem, & in ipsa perceptione meminerit mortis Christi, indignus est qui accedat. Et adiicit diuus Ambrosius rationem: Non enim potest, inquit, deuotus esse, qui aliter præsumit, q̄ datum est ab authore.

Exod. 30.

Leuit. 21.

Luc. 23.

Ideo præmonet D. Paulus, vt secundum ordinem traditū, deuota mens sit accedentis ad eucharistiam domini. Quoniā futurū est iudicium, vt quēadmodum accedit vnusquisque, reddat caussas in die domini Iesu Christi. Quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis domini. Ecce, ꝓ qui accedunt absque disciplina traditionis & conuersationis, rei sunt, nec de fide vlla fit mentio. Et paulò post: Quem nos si cū disciplina accipiamus, nō erimus indigni corpore & sanguine domini, gratias enim videbimur reddere redemptori. Hactenus ex Ambrosio. Sed iam tempus est, vt cæteros authores in medium afferamus. Inter quos primū audi Cyprianum episcopum, nescio an sanctitate, an eruditione maiorem, ser. 5. de Lapsis, tuæ isti facilitati (Luthere) prorsus reclamātem, quum solam fidem asseris, peccatores omnes puros & digno reddere, qui ad sacram accedant communionem. Oportet, inquit, Dei sacerdotem nō obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus prouidere. Imperit? est medicus, qui tumentes vulnerum sinus, manu parcente contrectat, & in altis recessibus, viscerum virus inclusum dum seruat exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, quum senserit sanitatem. Emersit enim fratres dilectissimi nouum genus cladis, & quasi parum persequutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo, malum fallens & blāda pernicies. Contra Euangelij vigorem, contra domini ac Dei legem, temeritate, quorundam, laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis pœnitentiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitētia de peccatoribus exclusa est, grauissimi extremique delicti memoria sublata est. Opperiuntur morientium vulnera, & plaga

Cyprian.

lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimu-
lato dolore contegitur. A diaboli aris reuertentes, ad
sanctum domini, sordidis & infectis nidore manibus
accedunt. Mortiferos idolorum cibos, adhuc pene ru-
ctantes, exhalãtibus etiamnum scelus suum faucibus
& contagia funesta redolentibus, domini corpus in-
uadunt quum occurrat scriptura diuina, & clamet &
Leuit.17. dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima
quæcunque manducauerit ex carne, salutaris sacri-
ficij, quod est domini, & immunditia eius super ip-
sum, & peribit anima illa de populo suo. Aposto-
1.Cor.10. lus item testetur & dicat: Non potestis calicem do-
mini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis
mensæ domini communicare, & mensæ dæmonio-
rum. Item contumacibus & peruicacibus commine-
tur & denunciet dicens: Quicunque ederit panem
1.Cor.12. aut biberit calicem domini indigne, reus erit corpo-
ris & sanguinis domini. Spretis his omnibus atque
contemptis, vis infertur corpori eius, & sanguini e-
ius, plus modo in dominum manibus atque ore de-
linquunt, quàm cum dominum negauerũt. Ante es-
piata delicta, ante exhomologesin factam criminis,
ante purgatam cõscientiam sacrificio & manu sacer-
dotis, ante offensam placatam indignantis domini &
minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis
fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum.
Nec Ecclesiæ iungitur, qui ab Euangelio separatur.
Quid iniuriam beneficium vocant? Quid impieta-
tem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere
iugiter, & rogare dominum suum debent, interce-
pta pœnitentiæ lamentatione communicare se si-
mulant? hoc sunt eiusmodi lapsis, quod grando fru-
gibus, quod turbidum sydus arboribus, quod ar-
mentis pestilens vastitas, quod nauigiis sæua tempe-
stas. Solatium æternæ spei adimunt, arborem à ca-
dice subuertunt, sermone morbido ad lethale con-
tagium serpunt, nauem in scopulos ne in portũ pe-
ueniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas illa,

sed tollit, nec communicationem tribuit, sed impedit
ad salutem. Hæc Cyprianus. Et Origenes in Psalm. *Origen.*
37. plane docet examinationem debere præcedere,
priusquam quis ad sacram communionem accedat,
inquiens: Non recordaris illud quòd scriptum est,
quia propterea in vobis infirmi & ægri dormiũt mul-
ti? Quare multi infirmi? Quoniam non seipsos diiudi- *1.Cor.12.*
cant, neque seipsos examinant nec intelligunt quid *Quare mul-*
est communicare Ecclesiæ, vel quid est accedere ad *ti infirmi.*
tanta & tam eximia sacramenta, patiuntur hoc quod
febricitantes pati solent, quum sanorum cibos præsu-
munt, sibimetipsis inferẽtes exitium. Hæc Origenes.
Et rursum in Iob sic ait: Hanc itaque pietatis ac reli-
giositatis formam nobis omnibus demonstrans Iob, *Iob.1.*
surgebat mane & mundabat eos, offerens pro eis ho-
stiam, secundum numerum illorum. Primo mũdabat,
purificabat, sanctificabat, & ita demum pro eis ho-
stiam offerebat, vt cunctis in perpetuum ostenderet,
quia mundos & castos atque sanctos conderent sacri-
ficia, vt sanctè atque dignè à sanctis accipiantur. Sic
nanque & Apostolus post hæc dicit: Probet seipsum
homo, hoc est, mundet seipsum, & ita de sanctissimis
domini sacrificiis fruatur. Hæc Origenes. Accedit iis
Chrysostomus, Homilia 60. sic dicens: Neque enim *Chrysost.*
parua pœna proponitur indignè sumentibus. Con-
sidera quantum aduersus proditorem indignaris, cõ-
tra eos qui crucifixerunt. Itaque considera, ne tu
quoque sis reus corporis & sanguinis Christi. Illi san-
ctissimum corpus iugularunt, tu vero polluta suscipis
anima, post tot beneficia. Nec enim satis fuit, homo
fieri, colaphis cædi, & iugulari, verum, & semetip-
sum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ip-
sa re nos suum effecit corpus. Quo non oportet igi-
tur esse puriorem, tali fruentem sacrificio? Quo so-
lari radio, non splẽdorem manuum, carnem hanc di-
uidentem? Os quod igne spiritali repletur, linguam
quæ tremẽdo nimis sanguine erubescit. Cogita quali
sis insiguit honore, quali mẽsura fruaris, quod angeli

videntes horrescũt, neque liberè audẽt intueri propter emicantem inde splendorẽ. Hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus & vna caro. Et infrà: Audiamus igitur & sacerdotes & subditi, quali esca facti sumus digni. Audiamus & horreamus, sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excusatio, quum talibus pasti, talia peccemus: quum lupi fiamus, agnum comedentes: quum tanquã oues pasti, more leonum diripiamus? Hoc enim mysterium non à rapina tantum, verum & ab omni vel tenui inimicitia, purum esse penitus iubet, est enim pacis mysterium. Rursum: Nullus itaque Iudas hanc mẽsam petat, nullus Simõ. Hi nanque duo propter auaritiam perierunt, hoc igitur barathrum fugiamus. Neque satis esse nobis existimemus ad salutem, si viduis & pusillis expilatis, aureum calicem & gemmatum, mensæ offeramus. Si vis honorare sacrificium, offer animam propter quam & immolatus est, hanc facauream: si vero hæc plumbo maneat & testa deterior, vas autem aureum quid vtilitatis? Et post pauca subdit: Neque enim aureis vasis Deus eget, sed aureis animabus. Hæc Chrysostomus. Et Vulgarius super illo verbo Pauli, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Consueuit Paulus quum aliqua de re sibi tractanti, alia opportunè disserenda incideret, & hanc ipsam transigere quemadmodum in præsentiarum quum de mensa cœptus sit sermo, de mysticis etiam rebus incidente sermone, & mystica disputat: vtpote quemadmodum sint necessaria, & bonorum omnium caput in eo consistere patefecit, vt tersa & nitida conscientia ad diuina mysteria concedatur: Inquitque: Neminem tibi in iudicem proposuerim præter teipsum. Tua itaque conscientia examinata discussaque, adito ea mysteria, non festis modò profestisque diebus, sed quouis tempore, quum purum te & dignum compereris. Hæc Vulgarius. Similiter & Cassianus collatione 22. capite 5. sic

Quid Deo offerendum.

Universidad de Deusto Biblioteca

ait: Omni, inquit, quidem industria, quantũm in nobis est, studere debemus, vt immaculatam castimoniẽ puritatem, illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus: & vigilentissima circunspectione præcauendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, in ea præcipuè, in qua nos ad communionem salutaris conuiuij præparamus, nocte fraudetur. Verum si hostis ille nequissimus, vt nobis cælestis remedij subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit: ita duntaxat, vt nullo reprehensibili interueniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis assensu, sed egestionem, aut naturali necessitate profusam, aut certẽ impugnatione diaboli, absque sensu voluptatis illicitam ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit, possumus & debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Sin vero nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, conuenientes conscientiam nostram, illud apostolicum formidemus: Qui manducauerit panem & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non discernens corpus domini, id est, nequaquam illum cælestem cibum, à communium escarum vtilitate secernens, ne talem esse diiudicans, quem non nisi pura liceat mente vel carne præsumere. Denique infert. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, spiritales scilicet infirmitates ac mortes ex hac specialiter dicens præsumptione generari. Multi enim qui eum illicita vsurpatione præsumunt, infirmantur fide, & imbecilli sunt mente passionum, scilicet languoribus inuoluti, & dormiunt somno peccati, ab hoc sopore lethali nequaquam salutari solicitudine resurgentes. Deinde sequitur: Quod si nosmetipsos diiudicaremus, nõ vtique diiudicaremur, hoc est, si nosmetipsos perceptione sacramẽtorum, quotiescunque peccati vul-

nere præuenimur, iudicaremus indignos, impẽdere-
mus vtique studium, vt per pœnitudinis emendatio-
nem, ad ea digne possemus accedere, & non tanquam
indigni seuerissimis infirmitatũ flagris castigaremur
à domino, vt vel sic compuncti, ad remedia nostrorũ
vulnerum recurramus, ne digni præsentis seculi bre
uissima correptione non habiti, in futuro simul cum
huius mundi peccatoribus condemnemur. Quod e-
Leuit.17. tiam in Leuitico euidenti denunciatione præcipi-
tur: Omnis mundus manducabit carnes, & anima
quæcunque comederit de carnibus sacrificij salutá-
ris, quod est domini, in qua est immunditia peribit
Deut.23. coram domino. In Deuteron. quoque à spiritali-
bus castris, immundus similiter mystice segregatur.
Si fuerit, inquit, inter vos homo qui nocturno pollu-
tus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuer-
tetur priusquam ad vesperam abluetur aqua, & post
solis occasum regredietur in castra. Hæc Cassianus.
Sed & Leo primus in sermone 2. pascali, scribit in hũc
modum: Ad exercendum (inquit) igitur dilectissimi
charitatis bonum, quanuis omne tempus sit congru-
um, præsentes tamen dies specialibus cohortantur,
vt qui pascha domini cupiunt cum animi & corporis
sanctificatione suscipere hanc gratiam maxime co-
nentur acquirere, qua & omnium continetur summa
virtutum, & multitudo tegitur peccatorum. Et ideo
celebraturi illud eminens, super omnia sacramentũ,
quo iniquitates nostras Iesu Christi sanguis obolevit
misericordiæ primitus hostias præparemus, & quod
nobis bonitas Dei contulit, nos quoque eis qui in
nobis peccauere præstemus, in obliuionem mittan-
tur iniuriæ, supplicium iam nesciant culpæ, & à vin-
dictæ metu omnes subditorum absoluantur offensæ.
Neminem teneant claustra pœnalia, nec in custodiis
tenebrosis tristes reorum gemitus perseuerent. Si
quisquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet,
peccatorem se esse non dubitet, & vt indulgentiam
ipse accipiat, gaudeat se inuenisse cui parcat vt quum

secundum doctrinã Dei dicemus: Dimitte nobis de-
bita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus no-
stris: non ambigimus per nostræ orationis formam,
diuinam nos obtinere clementiam. Hæc Leo. Suffra-
gatur & Hierony. in epistola ad Corinth. cap. 11. in-
quiens: Itaque quicunque manducauerit panem hũc
& biberit calicem domini indigne. Sicut scriptũ est:
Omnis mundus manducabit. Et iterum: Anima quæ
manducauerit immunda exterminabitur de populo
suo. Et ipse dominꝰ ait: Si ante altare recordatus fue- *Matth.5.*
ris, quia habet frater tuus aliquid aduersum te, relin-
que munus tuum ante altare, & vade reconciliari fra
tri tuo. Prius ergo perscrutanda est conscientia, si in
nullo nos reprehendit, & sic aut offerre, aut commu-
nicare debemus. Quidam sane dicunt, quia non indi
gnum, sed indignè accipientem reuocet à sancto. Si
ergo etiam dignus, indignè accedens retrahitur, quã
to magis indignus qui nõ potest accipere dignè. Vn-
de oportet otiosum cessare à vitiis, vt sanctum domi-
ni corpus, sanctè percipiat. Reus erit corporis & san-
guinis domini. Quia tanti mysterij sacramentum pro
vili despexerit. Probet autem seipsum homo, &c. Si
in linteum vel vas sordidum, non illud mittere au-
det, quanto magis in corde polluto, quam immundi
tiam Deus super omnia execratur, & quæ sola iniu-
ria eius est corpori. Nam & Ioseph ille iustus pro-
pterea syndone munda inuolutum in sepulchro no-
uo corpus domini sepeliuit. Præfigurans corpus do-
mini accepturos, tam mundam mentem debere ha-
bere, quàm nouam. Hæc Hieronymus. Addit iis & cal
culum Augustinus in sermone de cœna domini, sic
inquiens: Vnde dilectissimi fratres, rogo & admo-
neo vos, vt vnusquisque recurrat ad testem idone-
um, id est conscientiam suam, & si ibi aliqua vulne-
ra inuenerit peccatorum, confugiat ad remedium la-
chrymarum. Pœniteat se fecisse quod fecit, incipi-
at vigilentissimo corde præterita curare, præsentia
vitare, futura prospicere, & Deo auxiliante omnia

Universidad de Deusto Biblioteca

mala repellere. Et infrà: Accessuri ad altare domini Dei nostri, inspicite vniuersa latibula cordis vestri, ne fortè sint ibi aliqua peccata, quæ nondum curata sint eleemosynis atq; ieiuniis, & timete illud Apostoli: Qui manducauerit corpus domini, & biberit sanguinem eius indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autē seipsum homo, & sic de corpore illo edat, & de calice bibat. Nullus ex vobis contra vllum hominem odium reseruet in corde suo, vt securi positis dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Castitatē autem ante omnia custodite, gulam refrenate, ebrietatem fugite, pauperibus (secundū quòd vires suppetūt) eleemosynas date. Hæc Augustinus.

Luth. ¶ Hic Paulus pro me stat, dicens: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.

Episc. ¶ Aduerte lector, quàm parum congruē Paulū hic citat, nimirū ex alio loco qui nihil ad hunc facit. Nihil refragor, poterit quispiam, occultum aliquod in se peccatum habere, cuius non fuerit sibi conscius, quodque iustificationē eius impediat. Sed quid hoc ad negotiū istud attinet? Quid istud prohibet, quo minus ij, qui multorum criminum sibi cōscij fuerint, debeant per confessionem seipsos præparare, & magis idoneos reddere tanto sacramento? quo (si diligentiā debitam præmiserint) occulta delentur.

Luth. ¶ Ecce omnia reiicit, nisi fidem solam, de qua dicit Ro. 3. Iustificans eum qui est ex fide.

Episc. ¶ Satis & suprà quàm satis, huic testimonio respōdimus antè. Sępius enim admonuimus, hoc de fide formata solum intelligi debere. Sed hic respondeas velim. Num is cui sola fides adest informis, si labe qualuis mortali pollutus, pro qua nullam adhibuit diligētiam, quatenus in mentē sibi venerit, sed indiscussus hoc sacramentū acceperit, num accessit indigne? num iudicium accepit suum? An hunc (te precor) sua fides informis iustificabit? Haudquaquam.

Luth. ¶ Quare adhuc dico, si fidē excludas, omnia quæ

facis, deceptiones sunt & peccata. Roman. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Episc. ¶ Quis tam insanus est, vt fidem excludat? Sæpe testatus sum, fidem cum primis esse conducibilem, at solam fidem, vbi deest gratia, nequaquam ad iustificationem opinor sufficere, sed oportet eum qui non indigne velit huius communis fieri particeps, contritionem & confessionem, atque id genus reliqua, prętter informem fidem ascisceré sibi, præsertim quum nemo absque iis, vel probabiliter securus esse posset se formatam habere fidem. Postquam enim suam conscientiam peccator examinauerit, & humiliter se submiserit absolutionis sacramento, iam tutus ad eucharistiam accedere potest. Quia iam suscepturus iuxta doctrinam Pauli probauit & explorauit semetipsum, atque aliquatenus excussit.

Luth. ¶ Quum enim in sacramēto quolibet sit verbum promissionis, vt superius diximus, necessario sequitur, ęp non opus vllum, sed fides exigitur.

Episc. ¶ Mirum est, qua fronte, nouas sacramentorum leges nobis audeas imponere, quasi putes ingenia prętsentis ætatis vsqueadeo stupida, vt velint, ob vnum fraterculum, & eundem errores apertissimos profitentem vsitatam ab Ecclesia, tam diuturnam consuetudinem immutare. Sed age quæso, doce nos quod verbum promissionis in hoc sacramento sit, cui (quēadmodum tibi placet) confidamus. Respōdens in excrando libello tuo De captiuitate Babylonica, ex hoc sacramento promitti remissionem peccatorum. Quibus te quæso verbis? His (vt ais) hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Certum est similibus verbis, Paulum & Lucam idētidem scripsisse. Sed neuter eorum de promissa remissione peccatorum verbum facit. Ad hæc inuoluitur (inquis) in hoc verbo testamentum. Et sanè quo magis inuolutum est, eo conuenit aptius instituto tuo. Nam hęc inuolucra tuis vbique strophis commodius inseruiunt. Potes enim ex iis, quicquid velis effingere. Sed res hęc magis

1. Cor. 11.
Lucæ. 22.

Universidad de Deusto Biblioteca

est seria Luthere, quàm vt credamus tibi, nisi luce clariore produxeris testimonia. At inquies: Num hoc satis apertum est, quod Paulus & Lucas tradunt dixisse Christum, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine? Fortasis ita, si vel alter eorum hoc dixisset. Sed neuter horum ita dixit. Deest enim vtrique verbum est. Neque enim affirmāt calicem esse testamentum nouum. Sed intelligi volūt calicem esse noui testamenti, vel repræsentatiuum, vel confirmatiuum, perinde ac si dixissent: Hic calix confirmat testamentum nouum, per sanguinem meum. Nam quemadmodum Moses veterem legem firmaturus, manu craterem tenebat, in qua sanguis erat pecudum, sic iã Christus nouam legem confirmaturus, craterem ostendit, in qua fuit proprius sanguis, pro salute peccatorum fundēdus. Propter quod & Matthæus ita scripsit: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus ita: Hic est sanguis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur. Neuter horum dicit sanguinem esse nouum testamētum, sed noui testamenti, hoc est, quod nouum testamentum ratum habebatur: quemadmodum vetus olim per sanguinem pecudum approbatum fuit. Neque aliter sentiunt Paulus & Lucas, cum dicunt: Hic calix nouum testamentum in meo sanguine. Neque enim asserunt calicem aut sanguinem esse nouum testamentum, sed calicem illum per Christi sanguinem, esse noui testamenti ratificatiuum. Neque enim calix ille (quem tum suis manibus tenebat Christus) testamentum nouum dici potuit, quum ille iam nesciatur vbi sit, at nouum adhuc manere testamentum, nihil dubitamus. Non est igitur (vt fingis) missa testamentum Christi. Neque potes istud ex illis verbis vllo pacto colligere, nisi prorsus à missa velis excludere corporis sacramentum, vt mox dicemus. Nam illis verbis soli calici testamētum istud tribuitur, vtpote quod sanguine Christi fuerat stabilitum. Sunt igitur hæc tua commenta meræ nugæ, de

Calix noui testamenti.

Matt. 26.

Marc. 14.

Missa non est testamētum Christi

vafro tuo cerebro confictę, quas nemo doctus approbare potest, præsertim in re tanta, & omnium augustissima. His accedit, quod nouum testamentum vnum est, quod & Paulus ad Hebræos ex Hieremiæ testimonio, vocat legem cordibus inscriptam nostris. Sic enim ad Hebræos de nouo testamento loquitur, capite octauo: Hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit dominus, dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas. Legem, iis verbis hauddubie nouam intelligit, quæ spiritu sancto cordibus nostris inscribitur, & quæ nouum testamentum. Vox enim Berith (quæ hic in Hieremia legitur) pactum, fœdus, testamentum, seu legem ad Hebræos significat. Et hoc testamentum Christi morte (vt diximus) confirmatum est. Sicut enim lex vetus sanguine pecudum stabiliebatur ad tempus, ita lex noua, per Christi mortem, & sanguinem, in testamentum æternum confirmatur. Quamobrem quum Paulo non sunt duo testamenta noua, calix ille, non fuit testamentum nouum, sed magis noui testamenti, vel confirmatiuus vel repræsentatiuus, per sanguinē Christi. Ad hæc quid ad missam attinet corporis consecratio, si calicis nomine testamentum nouũ (quod tibi missa est) cōtineatur? Nam si ex calice pendeat totius missæ fructus, quod vt tibi placet, remissio peccatorũ est, quum ipse calix testamētum dicatur nouum, superuacaneum illic erit, corporis aliquam fieri consecrationem. Atq; ita missam adhuc redigemus in formam aliquanto breuiorem, quatenus, & ferarum venatorib⁹ multo fiat commodior. Nam hi nihil odiūt magis, cum sint venatum profecturi, quàm prolixa detineri missa. Tu satis breuem reddideras, quum epistolam & euangelium, ac cætera id genus amputasti, nihil præter Pauli verba nobis relinquens. At nunc si resecueris omnia penitus, pręter sanguinis consecrationem, vix potest in breuius cōpendium redigi. Huc accedit quod baptismatis sacramentum ad alterum testamētum pertine-

re necesse est, & quum ad vetus non pertineat, oportet vt adiungatur nouo. At ipsum nulla missæ portio dici potest. Quamobrem nec ipsa missa nouum integrat testamentum. Porro quòd de remissione peccatorum introducis, non aliunde quàm ex Matthæo & Marco licebit accipere. At hi non aliud testantur, q̃ quòd Christus dixit, fundendum esse sanguinem suum pro multis in remissionem peccatorum. Quęqueba tibi nullo pacto licebit ad tuum institutum torquere, nisi quatenus missa sacrificium intelligitur, id quod ipse negas. Quo enim modo colliges eos, qui habituri sunt hunc sanguinem in missa, remissionem peccatorum accepturos? Aut quibus verbis hanc nobis astrues pollicitationem esse factam? Non iis profecto: Hic est enim calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic certe remissio peccatorum non ob sumptionem, sed ob effusionem in cruce fiendam promittitur. Nam effusiones merito, plurimi qui nũquam eum sanguinem potauerũt, peccatorum assequuti sunt remissionem. Et præsertim infantes, qui protinus hinc migrarunt, suscepto baptismate. Sed ob id sperare debemus ex missa remissionem peccatorum, quod hic denuo pro nobis Deo patri, sanguis idem offertur, qui fuit olim in cruce pro nobis fusus & oblatus. Adde, quod nihil opus est, missam remittendorum peccatorum sacramentum effingere, cum eiusmodi sacramẽta duo iam habeamus. Alterum quidem baptismi quod remittit originale. Alterum verò pœnitentiæ, quod similiter actuale peccatum remittit. Quid est ergo necesse tertium adiicere, pręsertim iis, qui nuper acceperũt absolutionis gratiam? Nunquid non ipse iubes absolutis, vt omnino se credant absolutos, vt sicut credunt, sic eis futurum polliceris? Quid ergo post absolutionem ad eucharistiam accedim', si pręter peccatorum remissionem, cuius iam potiti sumus, nihil aliud consequemur. Dilucidum igitur est, quod alterius quispiam rei quàm remissionis peccatorum, eucharistia

sacramentum erit. Denique te precor qualis ista consequutio est. In omni sacraméto verbũ aliquod promissionis est, ergo non opus vllum, sed sola fides exigitur. Num interdum promissio nõ fit propter opus? An non propter eleemosynæ opus promittitur animi purgatio? & propter orationem exauditio? & demum ob fraternæ iniuriæ condonationem peccatorum omnium remissio? Credas quantumlibet velis, si non ista feceris, promissionis effectũ assequeris nunquam. Non oportet igitur vbicunque fuerit promissionis verbum, illic sola sufficiat fides, quum in his omnibus nisi opereris, nullum omnino fructum reportabis ex fide. Sed & tuapte ratione multo plura iã haberemus sacramenta, modo promissionis verbum & fides sacramentum constituant. An non ex oratione dominica nobis promittitur peccatorum remissio? Huic ergo si dicendæ fidem habuerimus, iam sacramẽtum erit remissionis peccatorum. Adde quod pro eleemosyna quoque tantũdem est promissum, sed & pro remissa fratri iniuria, Remittite, & remittetur vobis. Cuius igitur horum, si fides accesserit, iam sacramentum efficitur, & sacramentum remissionis peccatorum, iuxta rationem quam tu sacramentis præscribis. At dices in his deesse sensibile signum, haudquaquam. Num qui remittit fratri, non certis indiciis & signis apertis id facit? & qui porrigit eleemosynam, an non id quod largitur pauperi signum est sensibile? & an oratione dicẽda, vel motus labiorum, vel manuum eleuatio, signum sensibile est? Palam est igitur si tui capitis somnia sequamur, multo plura nobis adhuc erunt sacramenta. *Lucæ. 6.*

¶ Quanquam verum sit fidem non esse posse sine sequentibus operibus. *Luth.*

¶ Satis autem monstrauimus, si quid potest esse satis, ingentem animi præparationem præter fidem iis (qui sacramẽtum eucharistiæ sumpturi sunt) esse necessariam, vt ex illis constare possit, non solam fidem exigi, sed ꝓ opera quoq; pręter fidem oporteat exhi- *Episc.*

bere. Tot enim authoribus, huic rei cõsentientibus, par est vt fidem adhibeamus potius quàm Luthero.

Luth. ¶Verum impii illi nos operibus tum ante fidem, tum sine fide magnificatis, perdere volunt, hos tu lupos deuita.

Episc. ¶Dici non facile potest, vtri maiorẽ populo Christiano perniciem & exitium sint allaturi. Num qui fidem solam extollunt? An qui sola magnifaciunt opera? Multi se fidem habere non dubitant, sed ad opera segnes pro maxima parte reperiuntur. Tutissimum igitur erit, vt quis ita laudet opera, ne fidei deroget, & vicissim ita fidem extollat, vt nihil detrahat operibus. Quisquis aliter docet, is profecto lup' est, & exitium animarum. Et certe si quis alius ouili Christi lupum exhibet sese, tu cum primis vnus es qui missam negas, aut sacrificium, aut opus bonum esse, atque ob id solum, ne tuus error, quo statuis nullum opus conferre posse gratiam, ex eo palam cõuincatur. Neque enim tibi curæ est, quam iacturam ouibus Christi iacessas, modo tua posset hæresis constitui Nec vereris omnium orthodoxorum patrum in hac re testimonia contemnere, nihil aliud pro tua sententia afferens, quàm quòd missa sit testamẽtum, id quod nunquam comprobabis. Nobis vnum testamentum nouum est, quod est euangelium Christi, morte sua cõfirmatum. Quam sanè mortem & passionem, mysteria missæ præsentant. Et sicut Christus in cruce seipsum obtulit Deo patri hostiam in odorem suauitatis, sic sacerdos in missa Christum offert, corpus videlicet & sanguinem Christi hostiam & sacrificium pro peccatis, id quod omnes orthodoxi patres affirmàt vnanimiter. Quorum astipulationes, si quis fortè requirat, subiungam. Cyprianus occurrit primum in hũc modum scribens: Vt ergo in Gene. per Melchisedech sacerdotem, benedictio circa Abraham posit ritè celebri, præcedit ante imago sacrificii in pane & vino sicut licet constituta. Quam rem perficiens & adimplens dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, &

Nouũtestamentum est Euangelium morte Christi cõfirmatum.

Eucharistia sacrificiũ & peccatis.

qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Ecce palam hic Cyprianus affirmat sacrificium esse. Et continenter sequitur: Sed & per Salomonem spiritus sanctus, typum dominici sacrificii præmonstrat, immolatæ hostiæ panis & vini, sed & altaris, & apostolorum faciens mentionem. Sapientia (inquit) ædificauit sibi domum. & subdit: Columnas septem mactauit suas hostias, miscuit in cratere vinũ suum, & parauit mensam suam, & misit seruos suos cõuocans cum excelsa prædicatione ad craterem, dicens: Qui est insipiens declinet ad me, & indigentibus sensu dixit: Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Hęc Cyprianus ad Cęcilium libro secundo, epist. 3. Accedit huic Chrysostomus homilia. 83. super euangelio Matthæi in hũc modum: Sicut in veteri lege, eodem hic modo, in beneficio reliquit memoriam mysteriorum colligendo, & huic hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, vnde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa mysteria, hæc enim offerẽtes ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius (quæso) symbolum, ac signum hoc sacrificium est? Vides quantum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus pro nobis ipsum mortuum fuisse. Nam quoniam Marcio, Valentinus, Manichæus, eorumque sequaces, negaturi erant hanc dispensationem in memoriam passionis, per hoc semper ita reducit mysterium, vt nemo non insanus seduci posit, ita per sacratissimam istam mensam, & saluat, & docet: hoc enim caput omnium bonorum est. Hæc Chrysostomus. Astipulatur his Augustinus de ciuitate Dei lib. 10. cap. 20. sic tradens: Vnde verus ille mediator, inquantum formam serui accipiens, mediator effectus est, Dei & hominum, homo Christus Iesus, quum in forma Dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & vnus est Deus, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificãdum esse creaturæ. Per hoc & sacer-

Prouer. 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

dos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacra-
mentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrifici-
um, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis
ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ip-
sam suetus offerri. Huius veri sacrificii multiplicia va-
riaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, quum
hoc vnum per multa figuretur, tanquam verbis mul-
tis res vna diceretur, vt sine fastidio multũ commen-
daretur, huic summo veroque sacrificio cuncta sacri-
ficia falsa cesserunt. Hęc Augustinus. Sed quid autho-
res memorem, quum ad Hebręos Paulus hanc rem sa-
tis dilucidam faciat: Omnis (inquit) pontifex ex ho- *Hebr. 5.*
minibus assumptus, pro hominibus cõstituitur, vt of-
ferat dona & sacrificia pro peccatis. Et quæ (te quæ-
so) dona, aut sacrificia potiora sunt quæ sacerdos of-
ferat, q̃ corporis & sanguinis Christi. Propter quod &
ex antiquissima patrum institutiõe in missa legitur:
Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia.

Luth. ¶ Crede primum verbis sacramenti, & hac fide pu-
rificatus, tum si libet præpara, ora, & fac quæ voles.

Episc. ¶ Aduerte quid iusseris. Iubes vt credam. Qua (te
quæso) fide? Sacramẽti verbis iam credo. At istud per
te non est satis, nisi formatam habuero fidem. Doce-
as igitur Luthere qua nam ratione, fidem istam mihi
comparabo. Credo quod iubes, sed nondum ea fide
qua iubes. Dic igitur, an ista credulitas mihi sola suffi-
ciat, vt corporis & sanguinis Christi mysteria contin-
gam? Hoc peruelim explicares nobis. Nam si dixeris
eam credulitatem sufficere, iam cunctis orthodoxis
patribus repugnabis. Sin dixeris opus esse formata fi-
de. Iam alterum horum necessum est sequatur, aut q̃
aliquam animo præparationem exhibeamus ipsi, aut
quod in peccato manendum est, donec aspirauerit
Deus, neque peccato diutius erit reluctandum.

Luth. ¶ Oportet enim accedentem ad Deum credere, &
sine fide impossibile est placere Deo. Hebr. 11. Et po-
stulet in fide nihil hæsitans. Iaco. 1.

Episc. ¶ Sed & hoc responde, quum recenses illud Iaco-

bi: Postulet in fide nihil hæsitans. Num qui sese care-
re gratia putat, num debeat etiam in fide postulare
nihil hęsitans? Et nũ ea postulatio nihil omnino pro-
moueat peccatorem ad gratiam consequendam. Hęc
si negaueris, vide quo reiicias miseros peccatores.
Sin concesseris, non potes tergiuersari, quin operib⁹
nonnihil animus præparetur, ad gratiæ consequuti-
onem. Sed inquies, non potest tam vehemens in alti-
quo fides esse, quippe quæ nihil hæsitet, nisi gratiam
habuerit comitem. Hæc verba duplicem nobis sen-
sum pariunt. Alterum, quòd non posset adesse tanta
fides cuiquam, nisi simul affuerit gratia. At hoc fal-
sum est. Nam constat tantam esse posse vbi gratia de-
fuerit. Is enim (quia sua fide posset mõtes loco dimo-
uere) nihil hæsitat, & tamen idem carere potest gra-
tia. Sed alium adhuc ipsa verba sensum habent, hunc
nimirum, quòd is cui tanta fides affulserit, vt nihil hę-
sitans credat se gratiam à Deo consequuturum, mox
gratiam impetrabit. At hoc ipsum est quod cupimus,
nimirum quòd opus aliquod animi carentis gratia,
conducere posset ad gratiam. Quis enim negare po-
test, credere esse opus, quum dicat Christus, Hoc est
opus Dei, vt credatis in eum. Et hæc omnia, de qui-
bus præsens articul⁹ memorat, opera sunt fidei, nem- *Opera fidei*
pe conscientiæ diligens examinatio, & peccatorum
confessio, precationesque mentem ad Deum eleuan-
tes, & cætera id genus præparatoria, quæ cuncta fie-
ri possunt ab habente fidem informem. Et ea nimi-
rum omnia iuuant ad puritatem, & ad animi quan-
dam idoneitatem, qua posset apertius gratiam a Deo
consequi, & quemadmodum ista sine fide non suffi-
ciunt, ita nec sine his sufficit sola fides. Sed de hoc ar-
ticulo iam satis.

ARTICVLVS XVI.

Consultum videtur, quod Ecclesia in communi *Luth.*
concilio statueret laicos sub vtraq; specie com-
municandos, nec Boemi sub vtraq; specie com-
municantes sunt hæretici & schismatici.

Universidad de Deusto Biblioteca

Episc. ¶ Duas partes complectitur his articul⁹. Alteram, Consultum tibi videri, ꝓ Ecclesia communi concilio statueret laicos sub vtraque specie communicãdos. Alteram, ꝓ nec Boemi sub vtraque specie communicãtes sunt hæretici & schismatici. Sed de priori prius disserentes ostendemus Ecclesiam nihil in hac parte fecisse, quod non licuerit, sed neque quod non decuerit instituisse. Et demum quod non absque sancti spiritus instinctu sanctionem hãc, ab ea fuisse latam, modis omnibus credendum sit. Quæ tria cum constiterint perspicuum erit cunctis, te proprio nimium ingenio cõfisum esse, qui totius Ecclesiæ tam salubre decretum reuocare studeas.

Primum. Primum quod licuit. Si quod maius est, immutare potuit Ecclesia, potuit & quod minus est. Sed ea, Christi institutum, in re multo maioris momenti, non ambigitur mutasse. Nam vbi Christus baptizandi formam, In nomine patris & filii & spiritus sancti cunctis ministrari iussit, atque id postremis pene verbis, quæ suis apostolis est loquutus: Euntes (inquit) docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti. Ecclesia suę authoritati innixa, mutauit eam formam, & baptizari cunctos voluit, in nomine Christi. Refragari non potes, quin baptismi sacramẽtum multo maioris necessitatis sit, quàm eucharistia, cum nemo cælum ingredi valeat, qui baptismo careat, potest autem qui caret eucharistia. Quamobrem in illo non recte administrato, longe maius cuique discrimen imminet, quàm ex eucharistia. Quis non igitur ex hoc intelligit, Ecclesiæ licuisse nonnihil circa eucharistię sacramentum dispensare, quæ circa baptismum, tantum ausa fuisset immutare. Nihil hic opus erit, de die sabbato seruando loqui, quod tamen inter præcepta prioris tabulæ, Dei digito scriptum fuit. Nihil de non manducando suffocato & sanguine, quod tamen per apostolos (vt in Actis apparet) erat decretum, & vtrunque & nihilo minus per Ecclesiæ solius authoritatem, fuerat im-

Act. 15.

mutatum. Sufficiet enim abunde pro nostra parte, ꝓ illud Christi de baptismo institutum, quod tam apprime necessarium est Christianis omnibus, Ecclesia nõ formidauit in aliam variare formam. Id quod neutiquam fecisset, si non secura fuisset, id sibi (vt faceret) licuisse. Dic mihi tu qui de scripturarum notitia tantopere gloriaris, quo loco Christus hanc variationem fieri permisit? Quod si non poteris, concedas Ecclesiam aliquid amplius posse, quàm in scripturis alicubi proditum fuerit.

Secundum. Sed iam ad secundum veniamus, nempe ꝓ decuerit Ecclesiam, laicis vnam speciem in ministrãdo hoc sacramẽto subducere. Nam vt alias rationes taceam, quales in cõmentariis super Decretis de consec. dist. 2. can. Comperimus, Ioannes de Turre cremata producit, Christus ipse laicis quibusdam, corpus suum sub vna specie panis præbuit, nõ appositovino, quod mox ostendemus. Quamobrem quum huius rei exemplum primus ipse monstrauit, quid prohibet, quominus in hoc opere suum ducem Ecclesia confidẽter imitetur. Sed age istud monstrem⁹. Lucas refert, Christum duobus discipulis in castellum Emaus proficiscentibus, se comitem adiunxisse, quorum oculi tenebantur, ne Christum agnoscerent, donec intrans ipse cum eis recumberet. Tunc enim gustato pane, quem ille prius suis manibus benedixit, fregitque, atq; porrexit illis, aperti sunt eorum oculi. At mox, vt cognouerunt eum, euanuit, & à conspectibus eorum subduxit sese. Vides hic, ꝓ isti corpus Christi sub vna panis specie, nulla de vino mẽtione facta. Quæ res vt cõfirmatior fiat, Augustinus lib. 3. de consensu euangelistarum idipsum testatur, inquiens: Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorũ à Satana factum fuisse, ne agnoscetur Iesus, sed tamen à Christo facta est permissio, vsq; ad sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentũ inimici, vt Christus posset agnosci. Hæc Augustin⁹. Similiter & Chry

Christ⁹ post resurrectionẽ sacramentũ sub specie panis tãtum suis discipulis dedit.

Aliud est sanctificatio aliud sanctificatum.

sostomus homilia.17.super Matthæum: Quia de sanctis (inquit) cœpimus dicere, non est tacendum, quia aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat, sanctificatum autem, alterum sanctificare non potest, quanuis ipsum sit sanctificatũ, vtputa signas panem tuum quem manducas, sicut ait Paulus: Sanctificatur enim, per verbum Dei & orationem, sanctificasti eum, non fecisti sanctificationem. Quod autem sacerdos de manu sua dat, nõ solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, quoniam hoc solum non datur quod vi detur, sed etiam illud quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet animalibus iactare, & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet, vnde & dominus non solum in via benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ, & socio eius. Et Paulus nauigans non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ & cæteris discipulis suis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigẽdum, quia non solum sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem. Hæc Chrysostomus. Vbi liquido constat Christum discipulis sacramentum panis non vini porrexisse, & Paulum item in naui nec dissimiliter. Sed adhuc & vtroque vetustior Theophilus ait: Sed & aliud innuit, quod scilicet sumentibus sacrum panem aperiuntur oculi, vt eum agnoscant. Magnam enim & ineffabilem vim habet domini caro. Hoc ile.

Lucæ.vlt.

Sed quid horum testimoniis opus est, quum Lucas tam aperte scribat, CHRISTVM cum illis discipulis recumbentem, accepisse panem, ac benedixisse, fregisseque & porrexisse illis. Sed rogabis vnde nouerim, quod non etiam alteram speciem eis porrexerit, videlicet in forma vini. Certe vel ex eo, quod protinus vt eis panem sanctificatum exhibuerit, Lu-

cas illum ab eorum oculis tradiderit euanuisse. Sed vt hoc etiam solidius firmem, audi quid Matthæus scripserit, nempe Christum fuisse apostolis pollicitum se de illo genimine vitis non amodo bibiturum, donec cum illis ipsum biberet nouum in regno patris sui. Quæ nimirum verba de sacramento sanguinis accipienda sunt. At constat iis qui non sunt euangeliorum inscii, Christum hactenus cũ apostolis non bibisse. Quamobrem aut iam non bibisse Christum confiteamur oportet, aut ipsum (quod absit) mendacem constituemus. Nam quis negabit Christum ex eo prægustasse quod discipulis, vel edendum, vel bibendum, ipse prębuerat? Ex iis itaque dilucidum opinor est, quod Christus ipse duobus illis discipulis sacramentum hoc exhibuit, sub sola panis specie. Quòd si quis tã impudens fuerit, vt neget, afferat ipse ex euangeliis dilucidam sententiæ suæ probationem, quod scio nunquam faciet. Paulum item idipsum in naui fecisse, patuit ex recensito superius Chrysostomi testimonio. Fecerunt & idipsum apostoli cæteri, quum & in Actis scriptum sit de fidelibus Christianis, & erant perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, vbi de vino nulla fit mentio. Adde, quod in euangelio secundũ Hebræos (quod Hieronymus fatetur se traduxisse) scriptũ sit, & quia Iacobus iustus iurauerat se panem non gustaturum, priusquam ex mortuis viderit dominum resurgentem, illi ob id Christus apparuit, acceptumque panem benedixit, ac fregit, & porrexit ei dicens: Comede frater, quia iam filius hominis à mortuis surrexit. Et plane, & Iacobo Christus apparuerit, Paulus ad Corinthios testatur. Huc accedit, quod de Dionysio traditur, nempe quod Christus ei sacramentum etiam hoc ministrauit sub sola panis specie. Quando igitur huius rei tot exempla præcesserint, num congruebat, vt Ecclesia (quę sic multis nominib⁹ viderat expedire) non illis omnino cõformaret sese? Sed inquies, Christus sub vtraq; specie distribuit apostolis.

Act.2.

1.Cor.15.

Profectò. Sic enim par fuit, non minus ob id, quod iam huius sacramenti prima fuerat institutio facta, quàm ob id, quod illi iam erant sacerdotes constituti, quibus, quia sacramenti cõficiendi potestatem contulit, voluit eisdem idipsum exhibere sub vtraq; specie. Erant enim in mensa cum Christo duodecim apostoli recumbentes, quod & Lucas testatur, inquiens: Et quum facta esset hora discubuit, & duodecim apostoli cum eo. Nec est verisimile, si plures fuissent conuiuæ, quin eos expressisset Lucas, qui duodecim cum Christo discubuisse numerauit. Cæterum istud erroris tui caussa fuit Luthere, quod nihil interesse putas inter sacerdotes & plebem, sed omnes tibi sacerdotes sunt, quicũque facti sunt Christiani. Quem etiam errorem ex scriptura Petri peruerse intellecta, tueri conaris. Nimirum ex eo, quod Petrus Christianos vocat regale sacerdotium. Sed nos paulo superius articulo decimotertio monstrauimus, Iudæos à Deo vocatos regnum sacerdotale, quum tamen apud eos apertissima fuisset laicorũ & sacerdotum discriminatio. Cæterum ipse Petrus, à quo tibi suffragium istud arripis, eiusdem epistolę, capite postremo, sacerdotes à plebe separat, nõ aliter quàm pastores à grege, quibus ait: Pascite, qui in vobis est gregem Dei. Et paulo post: Et quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem coronã glorię. Ecce quàm aperte secernit alteros ab alteris, hoc est à plebe sacerdotes, & à pastoribus gregem. Verum inquies, cur ergo vocat omnes Christianos regale sacerdotium? Nimirum, aut quia Christo (qui rex & sacerdos est) vniti sint, & eius vnionis gratia, regale sacerdotium eos appellauit, aut quia paulo ante in eodem capite monebat, quatenus spiritales hostias, hoc est seipsos offerrent Deo. Sic enim habent eius verba: Et ipsi tanquã lapides viui supædificamini domos spiritales, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Quum enim sacerdotum sit hostias offerre, & Iudæorum sacerdotes pecora Deo sacrificabant rationis expertia, idcirco Christiani qui seipsos, vt rationales hostias offerunt, merito per metaphoram sacerdotium sanctum à Petro dicuntur. Nihil ergo tuæ sententiæ suffragatur Petrus, quum idem in eadem epistola, sacerdotes à reliquo grege distinguat. Reclamant & tibi scripturæ cæteræ, quemadmodum suprà diximus articulo nono, neque scripturæ modo, verumetiam vniuersus orthodoxorum chorus, vnanimi sententia te condemnat. Sed iam ad rem redeamus. Hunc igitur sacerdotii gradum, quum Christus post ablutos apostolorum pedes instituisset, eis consecrandi sui corporis potestatem conferens, par fuit, vt sub vtraque specie sacramẽtum istud eis porrigeret, propter quod, & iis omnibus iussit, vt ex calice biberent, non (vt tu putas) omnibus omnino Christianis. Quamobrem neque sacerdotibus licet, quoties ipsi sacramentũ hoc consecrant, & tanquam sacrificiũ offerunt Deo, quin sub vtraque specie pariter cõmunicent. Cęterum cũ non consecrent ipsi, sed laicorum more suscipiãt ab alterius sacerdotis manu, tam sub vna panis specie sacramentum istud eis cõmunicatur, quemadmodũ Ambrosio, Hiero. Eusebio, cęterisque sanctis innumeris, in eorum ab hoc seculo migratione factum legimus.

Lucæ. 22.

1. Pet. 2.

Regale sacerdotium.

1. Petr. vlti.

Cur Petrus vocat omnes Christianos regale sacerdotium.

Sacerdotalis ordinis institutio.

Sed iam superest, vt tertium ostendamus, nempe, quod Sancti spiritus instinctu, Ecclesiam hoc instituisse credendum sit. Neminem opinor, vsqueadeo crassæ mentis esse, vt non videat oportuisse normam quandam, & regulam Christianis tradi, cui se in cunctis, quæ sunt credituri, conformarent. Nam quum de scripturis plerunq; disidia nascuntur, etiã apud doctissimos prẽter scripturas, & prẽter vni⁹ aut alterius interpretationem, necesse est alium scopum præfigi, quæ debeat in iis omnibus cõtrouersiis speciari. Atq; is nimirum scopus haud alius est, q̃ totius Ecclesiæ consensus, & decretum. Is autem consensus cum aliter haberi non potest, saltem explicitus, q̃ per præsidium cuiuslibet nationis toti⁹ orbis Christiani

Tertium.

congregationem, in vnum aliquem locum accitam. Namvt omnes Christiani simul vnà conuocentur, est prorsus impossibile. Congruum igitur fuit, vt quoties de credendis inter Christianos lis aliqua suborire tur, Episcopi de quaque natione Christianitatis statim conuenirent, litis eius dirimendę gratia. Quibus afflatum sancti spiritus haudquaquā defuturum, certo confidendum est, quum CHRISTVS ei rei gratia (nempe vt spiritus ipse qui doceret omnem veritatem) semper mansurum eūdem in ecclesia promiserit, donec ipsa cōsummaretur. Huc ergo suos oculos dirigere Christiani tenentur, & horum decretis, in iis præsertim quę credenda concernunt, fidem indubiā adhibere. Nam cum ab ipso spiritu profectum credi par sit, quicquid ab hoc venerando patrum cœtu cōmuni concordia fuerit decretum, id cęteris omnibus ratum & firmum haberi merito debet. Quādo igitur concilio quodam generali, ad cōstantiam vocato diffinitum erat, vt consuetudo (quā de cōmunione sub vna duntaxat specie laicis exhibenda, tum asserebāt ab Ecclesia fuisse receptam) deinceps obseruaretur, hoc decretum tanquam à spiritu sancto profectum, ab vno quoque bene Christiano repudiari non debet. Et maxime quum suspicari quidem quis posset, vllam affectuum in hac re corruptionem patribus illis affuisse. Nullum certe potuit ex ea re cuiquam emolumentum sperari, quod Lutherus tamē obiectat sæpius. Neque iacturam ex hoc decreto laicus vllam occurrit, qui tantundem subvnica specie capit atque susciperet sub vtraque. Ex iis ergo perspicua facta iam opinamur, illa tria quæ præmisim⁹, nempe quod licuit Ecclesiæ communionē vnius speciei laicis exhibere. Deinde quòd non licuit solum, verumetiam decuit. Et postremo quòd hæc consuetudo (quam Ecclesia tot annis exercuit) tāquā à spiritu sancto profecta debeat existimari. Ex qb⁹ liquet, prior ipsa pars huius articuli q̄ sit temeraria. Secundam itaque pariter excutiamus, quæ negat Boemos sub vtraque spe-

Secūda articuli pars.

cie communicātes, hæreticos & schismaticos esse, hæc ex prædictis facile conuincetur. Nam si decretū Ecclesiæ licitum fuerit & congruum, ac demum à spiritu sancto profectum, quis iam dubitare potest, quin ij, qui dedita opera contrauenerint, pro hæreticis & schismaticis habēdi sint. Sed obiectat Lutherus, quod Basiliense concilium Boemis (vt ex annalibus, & literis eiusdem cōcilij videtur asserere) laxarit illud decretum. Ego certe quos annales, aut quas literas producturi sint nescio, vnum tamen scio, quòd in actis ipsius concilij Christianis omnibus dicta consuetudo, pro lege seruari præcipitur. Sic enim habentur huius concilij verba, sessione. 30. Laudabilis quoque cōsuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, à sanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissimè obseruata, & à doctoribus diuinæ legis, sacrorum canonū, atque sanctarum scripturarum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitū est, eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ ipsam immutare. Hactenus ex ipso concilio Basiliensi. Huic decreto necesse est obtēperetur à quocunque Christiano, quicquid in aliis literis, aut annalibus contineatur. Sed & Constantiense concilium sacerdotibus cunctis inhibuit, atque id sub excommunicationis pœna, ne quisquam eorum populum communicaret sub vtraque specie. Insuper velut hæreticos puniendos decreuit, quicunque suę sanctioni de communicatione sub vna specie contradixerint. Sed iam tempus est vt Lutherum audiamus.

Verba concilij Basiliensis.

¶ Hunc articulum reuocaui lib. de captiuitate Babilonica, & iterū his scriptis reuoco, & dico Boemos & Græcos in hac parte, nec hæreticos nec schismaticos, sed christianissimos & euāgelicissimos esse, quos & his verbis oro, & obtestor in domino, vt in ea sentētia firmiter permaneāt, quū pro se habeāt expressum textū Euangelij, longæuum & apud Græcos in hunc diem seruatum catholicum vsum Ecclesiæ Dei.

Lutherus in rebellione persistere hortatur.

Quàm imprudenter

Episc. ¶Hîc videre licet, quanta sit huius hominis pertinacia, qui quum nõ ignoret, hanc rem his duobus cõciliis antè fuisse definitã, idque factum fuisse, non solum ob longæuam consuetudinem, quæ præcesserat in Ecclesia, verumetiam post exactissimã eius, ab eruditissimis iuxta ac sanctissimis viris discussionem habitam hortatur nihilominus Boemos, vt persistant in rebellione sua, Græcosq; imitentur, quasi ij nunquã aberrassent, quum sit exploratissimũ, Græcos in multis errorib⁹, & præsertim de processione spiritus sancti, longissimo tempore cõsenuisse. Nec pudet Lutherum affirmare, Boemos expressum habere textũ Euãgelij pro sua parte, quum nequeat alium producere, quàm hunc, Bibite ex eo omnes. Quæ verba, dubio procul, solis erant dicta sacerdotibus, quibus & potestas tum fuerat collata conficiendi sacramenti, nimirum his verbis: Hoc facite in meam commemorationem. His vtique verbis Damascenus affirmat, apostolis hanc fuisse traditam potestatem. Quod si non istis verbis relicta sit sacerdotibus hæc potestas, dicat nobis Lutherus (si potest) quibus aliis id factum sit. Ac certe non inueniet. Et quis vnquam tam insanus esset, vt præsumeret Christi corpus consecrare, nisi talis à Christo prius donata fuisset ei potestas? Sed Lutherum (vt laicos omnes æquet sacerdotibus) nõ pudet etiam asserere, fœminas posse consecrare, quod est impudentissimum. Quum Paulus easdem in Ecclesia loqui prohibuit: Turpe est, inquit, mulieri loqui in Ecclesia. Et tamẽ eas Lutherus consecrare permittit & communicare cæteros. Nec inficias eo, quin in Ecclesia primitiua plerunque laicis sub vtraque specie cõmunio fuisset exhibita, verum vbi tandem emergere tot ex ea re pericula deprehenderint, paulatim ab ea cessatum est. Nam per eum visum plerisque natus fuit error, ꝓ crederẽt quiddã amplius sub vini, quàm sub panis contineri specie. Et quũ fortelaborantibus in extremis, vini species exhiberi non putuit, hi suspicarentur se non esse integre cõmunicatos. Plerunque contigit quod vel est horrendum cogitatu, nimirum vt Christi sanguis in terram effunderetur. Sed & in vasis non bene seruatis, creberrimè corrumperetur. Neque enim diu seruari potest liquor eiusmodi, quanuis adhibita fuerit diligentia. Quum igitur hæc discrimina nostri maiores senserint, & verba simul & facta Christi perpenderint, exploraríntque fore nullam huiusce rei necessitatẽ ab hoc vsu destiterunt, vsqueadeo vt contraria consuetudo per vniuersam Ecclesiã inoleuerit, diu ante cõcilium Constantiense. Quæ vel sola (si tamen Augustino credimus) sufficere Christianis potest. Nam ex epistola fundamenti contra Manichæos sic habetur: Illud autẽ vere securum est asserere, quod in gubernatione Ecclesiæ Dei saluatoris nostri Iesu Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.

Damas.

1. Cor. 14.
1. Timot. 2.
Paulus in ecclesia mulieri loqui prohibuit.
Lutherus easdem & consecrare & communicare cæteros ꝓmittit.

¶Nec moueantur tyranni illius Romani & Antichristi vastatoriis & impiis decretis, quibus alteram partem sacramenti per vim abstulit iis, quibus Christus ipse donauit, qui cum sacerdotibus imperet vtranque speciem sumere, causatus vnum sacramentum esse vtranque speciem (id quod verum est) rursus laicis vnam prohibens, iterum pro libidine causatus, mendacio sibiipsi contrario integrum sacramẽtum vnam speciem esse, sic aliud sacramentum laicis, & aliud sacerdotibus partitur, sicut & pœnitentiæ sacramentum supertus, aliud papæ, & aliud totius Ecclesiæ finxit.

Luth.

¶Immerito sanè calumniaris, aut summum pontificem aut Ro. Ecclesiam, quantum ad hoc negotium attinet, quũ neque diuersum, aut laicis, aut sacerdotibus, vel pœnitentiæ, vel eucharistiæ, ministrãt sacramentum. De pœnitentia nuper antè diximus (quam opinamur) absoluimus ab hac calumnia. Nunc de eucharistia nonnihil dicemus. Potest nimirum ea bifariam considerari, aut quantum ad efficaciam, aut quantum ad significantiam. Quantum ad efficaciam certe nihil amplius sub vtraque specie continetur, q̃

Episc.

Duplex eucharistiæ cõsideratio.

ſub altera tantum. Totus enim Chriſtus cum anima, ſanguine, corpore, & deitate, non minus ſub vini, q̃ ſub panis ſpecie, cuique, ſiue laico, ſiue ſacerdoti, confertur. Verum quantum ad ſignificantiam ſpectat, aliud eſt. Sic enim eucharistia repreſentat ſacrificium, quod pro nobis in cruce Chriſtus obtulit, quum videlicet à corpore, ſanguis erat ſeparatus. Et quoniam ſignificantiæ myſterium magis ad conſecrantem pertinet, quàm ad ſuſcipientem, idcirco quoties miſſam ſacerdos celebrat, ſacramentum hoc ſub vtraque ſpecie conſecratur non ſolum, vt aſtantibus paſsionis Chriſti memoria viuacius ingeratur, verumetiam vt tali ſacrificio (quo nihil maius aut acceptius offerri Deo queat) diuinam ipſi munificentiam facilius promereamur.

Luth. ¶ Secundo dico hæreticos & ſchiſmaticos eſſe papam & omnes qui idolum hoc Romanũ adorant, niſi forte laicos & rudes excuſet ignorãtia, ſimplex fides, & violenta huius Aſſur captiuitas, quia Euangelium Chriſti plane extinguunt & ſuum caput ſequuntur, ſuumque ſenſum ſtatuunt aduerſus catholicam Eccleſiam Dei, vt in multis aliis, ita & in huius ſacramẽti vſu, & ſacerdotum cœlibatu.

Epiſc. De ſacerdotũ cœlibatu. ¶ De cœlibatu ſacerdotum quo magis obloqueris, eo tui ſimiliorem teipſum eſſe monſtras. Nam qui nullam animi præparationem exigi fateris, priuſquã quis ad eucharistiã accedat, ſed ſolam aſſeris cuique ſufficere fidem, quanquam ab ipſis proſtibuli ſordibus recens exierit, quid mirum ſi ſacerdotes opinaris vxorum complexibus haud pollui poſſe, modo fidem habuerint, quæ tibi vel ſola, cunctas purificat abominationes. Cæterum ſi diligẽtius aduertas, quãtum inter hoc ſacrificium, & alia veteris legis interſit, non eſſet obſcurum tibi, quàm congruenter Eccleſia cœlibatum ſacerdotibus indixerit. Illa quidem ſacrificia adumbrationes duntaxat erãt, & figuræ quædam ſubobſcuræ, præſentis huius ſacrificij. Et tamen (vt illa dignius agerentur) iuſsi ſunt ſacerdotes, antẽ

ſanctificari. Nec arcam domini, nec vaſa cætera, ſed nec ad altare licebat cuiuis accedere, niſi prius eſſet ab omni purgatus immunditia. Quamobrem ſi propter vmbram & figuram, tanta puritas exigebatur, quanta iam eos qui rem veram, ipſiſsimam veritatem tractant, ſanctitate conſpicuos, vt ab omni mulierum inquinamento puriſsimos eſſe conuenit? Traditur in libris Regum, & quod Achimelech non ante voluit de panibus propoſitionis quicquã impartiri Dauid, & pueris eius niſi prius eos intellexiſſet à mulieribꝰ, hoc eſt, ab vxoribus ſuis (vt Hieron. interpretatur) fuiſſe mundos. Ac panes illi, maximo quodam interuallo, diſtabant à ſacramento panis in quo ſanctiſsimum Chriſti corpus continetur. Quamobrem nouæ legis ſacerdotes (quibus intereſt hunc panem quotidie ſumere) perpetuum agere cœlibatum oportet. Ad hæc. Expedire laicis docet Paulus ab vxoribus interim abſtineant, quatenus orationi vacare queant commodius. Quod ſi laicis orationis cauſſa, res vxoria ad tempus interdicitur, ſacerdotibus vtique, quorum eſt officium quotidie non pro ſuis modo, verũ etiam pro populi delictis hoſtias & preces offerre Deo, cœlibatus indicitur meritiſsime. Quid de gentilium ſacerdotibus loquar, quorum nonnulli, quanquam idolis immolabant, tamen vt id mũdius agerẽt, caſtrabant ſemetipſos, quanto magis hi qui vero Deo ſacrificaturi ſunt, & non quodlibet ſacrificium, ſed id quod cæteris omnibus excellentius eſt, nempe carnẽ & ſanguinem filij Dei. Hos inquam lõge puriori fulgere caſtitati decet, & à mulierũ (quoad fieri poteſt) conſpectibus eſſe remotiſsimos. Iniuſtẽ igitur (quantum ad cœlibatum ſacerdotum attinet) vel Rom. põtificem, vel alios criminaris, perinde ac ſi vel aduerſus Euangelium, vel Eccleſiam catholicam, ſuum ſenſum ſtatuerint, quum ea res non minus Euangelio conueniat, quàm ab Eccleſia catholica iam comprobetur. Neque enim Euãgelio repugnare poteſt quod Chriſtus in Euangelio conſulit. Sic enim quum de

2. *Reg.* 21.

1. *Cor.* 7.

cœlibatu loqueretur,itaque de iis, qui regni cælestis gratia se castrarunt,subdit Christus:Qui potest capere,capiat.Non est itaque iusta calumnia illa quam ob cœlibatum sacerdotum Ro. impingis pontifici, sicut neque propter vsum huius(de quo iam loquimur) sacramenti.Vsus nimirum eius Ecclesiæ iudicio relinquitur.Quod cum ex aliis,tum ex temporis mutatione,dilucidum esse potest.Christus enim post cœnam ipsum sacramentum exhibuit. Ecclesia vero non nisi ieiunis exhiberi patitur. Sed & Ecclesia longe aliis verbis vtitur,quam aut Paulus, aut alius quiuis Euãgelistarum vsurpauit,Nam Paulus & Lucas ita recensent,dixisse Christum:Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine. Marcus autem ita:Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Matthæus plusculum adiicit,inquiens: Hic est enim sanguis meus noui testamenti,qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sed Ecclesia sic:Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamẽti,qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.Ex his vides, quantum ab illis Ecclesia ritum variauit suũ. Huc accedit, quòd aqua in calice iuxta consuetudinem Ecclesię vino commiscetur,id quod neutiquã legitur fecisse Christus. Et denique non dubitauit Ecclesia, aliquandiu pane vti fermẽtato,ne Iudaizare videretur,quum tamen in azymis consecrasse Christum,non ignorauerit. Perspicis igitur,in quot & quanti Ecclesia variarit ab instituto Christi,quam variationem ab Apostolis forsitan edocta fuerat.Nam & Paulus, vbi apud Corinth. de hoc sacramento sermonem habet, tandem subiicit: Cætera,inquit,quum venero,disponam. Quibus nimirum verbis,pollicetur se (quantum ad vsum & ritum huius sacramenti spectat)tradituru alia, de quibus hactenus in sacris literis nullam fecerat mentionem.Vtcunque fuerit,siue per Apostolos,seu per spiritum sanctum,nihil ambigo, quin id quòd Ecclesia docuerit,sit tutissimum, quum iuxta Paulum ipsa sit

1.Cor.11.
Luc.22.
Mar.14.
Matth.19.
1.Cor.2.

columna & firmamentum veritatis. At quomodo firmamentũ veritatis erit,& columna,si iam in iis errare tandiu passa sit,& vsqueadeo turpiter hallucinari?

¶Hi enim sunt hæretici & schismatici, qui terminos quos patres posuerunt transgrediuntur,& à communi catholicæ Ecclesiæ ritu,seipsos segregant, proprioſque ac nouos ritus,pro mera libidine aduersus Euangelium excogitant id quod facit,& fecit Romanus ille Antichristus,nec veretur tamen impudens & blasphemum os suum in cælum ponere, & Græcã Ecclesiam arguere schismatis, quod ipse & nullus alius cœpit primus & solus. *Luth.*

¶Nescio quam tu facis Ecclesiam catholicam. Sat scio, duas esse non posse, quum scriptum sit, vna est columba mea. Porrò manifestum est, Græcos vehementer errasse & in his,quæ fidei sunt. Id quod sane in catholicã Ecclesiam incidere nequaquam potest. Nam vt cætera taceam processioni spiritus sancti, quæ fit ab vtroque tam à filio quam à patre diutius credere restiterunt.Sed nec propriis authoribus eisdem eximtis,in ea re fidem voluerunt adhibere. Ad hæc proceres eorum,hoc est,ij qui probitate simul & eruditione,præstabant Ecclesiæ Romanæ, seu capitis totius Ecclesiæ catholicę detulerunt semper,quẽ admodum & nos articulo 25.demonstabimus. Si igitur alterã oportet hæreticam & schismaticã dici, hoc est,aut Græcam,aut Latinam Ecclesiam,Græca potiꝰ haberi debet quàm Latina. Quod si quædam Ecclesia Latina pro ratione temporum immutauerit aliter quàm ab ipsis acceperit Apostolis,nõ est dubiũ,quin id instinctu spiritus veritatis effecerit,à quo nomenclaturam hanc accepit, vt columna dicatur & firmatum veritatis. *Episc.* *Can.8.*

¶Consultũ itaq; videtur mihi nunc,vt non modo per concilium,sed per quanque diocesim,quilibet episcopus,etiam inuito papa,Christum secutus in Euãgelio,rursus vtranq; spectem laicis daret. Quandiu (rogo) sinimus nos illudi humanis istis figmentis & *Luth.*

Universidad de Deusto Biblioteca

ſtatutis? An ignoramus Deo magis quàm hominibus
eſſe obediedum? Chriſtus vtranque dat populo ſuo,
& vicarius ſuus alteram auferet.

Epiſc. ¶Oſtende prius vbi Chriſtus vtrunque dederit
laicis, aut dandum iuſſerit, quod (niſi vehementer fal
lor) nunquam efficies. Et tanto minus efficies quod
affirmas cap. 6. Ioannis, nihil pro hoc ſacramento fa-
cere, in quo non minus abs te diſſentio, quàm Cyril-
lus, Hilarius, Cypriano, ac cæteri patres eximij, qui nō
modo palam vſurpant huius capitis verba pro teſti-
monio euchariſtiæ, verumetiam apertiſsimis rationi-
bus id docent vſurpādum. Sat ſcio, nec ex Paulo, nec
ex reliquis Euangeliſtis, id probabis vnquam, quōd
Chriſtus vtranque ſpeciem, aut dederit, aut iuſſerit
dari populo, niſi prorſus nullum diſcrimen facias in-
ter paſtores & gregem, atque inter plebem & ſacerdo
tes, quod ſatis copioſe ſuperius confutatum eſt. Pa-
ſtorum eſt hunc ſanctiſsimū miniſtrare gregi. Neque
ad gregem pertinet, vllo pacto, panem hūc ſanctiſsi-
mum cōficere ſibi. Nihil autem apud Corinthios re-
cenſet Paulus, niſi quod Chriſtus ipſe ſub cœna gel-
ſerat, quæ verba nequeunt intelligi, quouis pacto, ad
laicos fuiſſe dicta. Quomodo enim potuit ad laicos
dici: Hoc facite, quotieſcunque bibitis in meam com-
memorationem? Quid eſt, hoc facite, quotieſcunque
bibitis? Si facere, hic conſecrare intelligimus, quem-
admodum hauddubiè Damaſcenus, ac cæteri acci-
piunt, & nos paulò ſuperius oſtendimus nemo bibi-
turus eſt ex calice, qui non prius conſecrauerit, nam
dicit quotieſcunque bibitis. Atqui laicum (vt ſuppo-
ſuimus) nemo ſanæ mētis dixerit poſſe cōſecrare? Nō
igitur laicis hoc dictum fuit, neque alicubi iuſſum eſt
à Chriſto, quatenus vtranque ſpeciem acciperent lai
ci. Quod ſi quis vſqueadeò pertinax fuerit, vt conté
dat, laicis hoc ſacramentum ſub vtraque ſpecie dan-
dum, is vel ex euangelio, vel ex ſacris interpretibus
afferat dilucida teſtimonia, & mox ei dabimus man,
alioqui, iam ſuā inpudentiam ipſe tandem agnoſcat.

Nō poteſt ex euangelio probari Chriſtum ſub vtraque ſpecie populum communicaſſe.

¶Conſultum igitur volo, vt quilibet laicus, ſi *Luth.*
ſpeciem alteram impetrare non poteſt, vt tyrannidis
huius impeditus, corde ſaltem tot optet, & gemat ad
Deum, quōd noſtris peccatis merentibus, digni facti
ſumus, quibus impij aduerſarij veritatis, alteram par-
tem ſacramenti auferrent, & nos noſtro ſacramen-
to ſpoliarent.

¶Conſulueris eorū ſaluti potius, ſi monueris eos, *Epiſ.*
Eccleſiæ inſtitutis obtemperare, contentoſque eſſe, *Sacerdotes*
vt pro ritu, quem Eccleſia commodiorem eſſe duxe- *ſub vtraque*
rit, ſacramentum iſtud ſuſciperent. Nullo enim fru- *ſpecie cōmu*
ctu ſpoliatur, quiſquis alterutram ſpeciem acceperit, *nicātes Chri*
quum ſub vtraque, totus & integer contineatur Chri- *ſti mortem*
ſtus. At, inquies, cur ergo ſacerdotes ſub vtraque ſpe- *repræſentāt*
cie communicant? Iam tibi reſpondi. Quoniam hi ſa-
crificant, & Chriſti mortem ſacrificio ſuo repræſen-
tant, ſanguinem videlicet à corpore ſeparatum. Cæte
ris vero non ſacrificātibus, ſatis fuerit ſpeciem panis
accipere, in quo totus (vt dixi) Chriſtus, hoc eſt, caro,
ſanguis, & anima cum deitate ſumitur.

¶Nam hoc ego dico, ſi quis ſciens omittat deſide- *Luth.*
rare ſaltem alteram etiam partem ſacramēti, licet neu
tra neceſſaria ſit, cum fides ſola hic ſufficiat, impium
eum eſſe, & Chriſtum ab eo negari.

¶Cur ſpeciem (quæſo) reliquā deſiderabit laicus
quum ſub ſpecie panis totum & integrum acceperit *Epiſc.*
Chriſtum. Nam ſi Chriſtus vnicā panis ſpeciem, duo-
bus illis diſcipulis in caſtellum Emaus profectis, & *Luc. vlt.*
Paulus in naui, ſuis identidem ſolam ſpeciem panis
exhibuerit, quis non conſequenter videt ſufficere ſi-
bi ſpeciem vnicam? Sed præter hæc, velut in vmbra
quadam, licebit hoc ipſum ex aliis Chriſti factis & di-
ctis contueri. Quum enim (vt in Ioanne traditur) *Ioan. 6.*
Chriſtus ex quinque panibus quinque millia pauit *De vino*
hominum, nullum credibile eſt illic vinum affuiſſe, & *nihil legitur.*
tamen hæc refectio, ſeu quædam vmbra fuit, commu *Matth. 6.*
nionis carnis ſuæ. Quod vel ex eo patet, quōd inde
ſumpſerat occaſionem plurima diſſerendi ſuper car-

nis ſuæ comeſtione, quam & proximo capite panem vocat. Huc accedit quod in oratione dominica petere docemur panem illum ſuperſubſtãtialem, hoc eſt, corporis Chriſti, vbi de reliqua ſpecie nulla fit mentio. Adde quòd ſæpenumero Chriſtus in Euangelio, pro panis huius ſumptione multa pollicetur, ac pro ſpecie reliqua, hoc eſt pro ſpecie vini, nec tantillum quidem promittit. Pro illo dicitur panis Dei verus eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Et rurſum, ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Ad hæc, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Sic enim Græcè legitur. Nec fruſtra geminatur hic verbum iſtud dabo. Semel enim dicitur, pro datione carnis ſub ſpecie panis, ac rurſum pro carnis immolatione, quæ facta fuit in cruce, quæ verba plane conueniunt hoc caput ſextum Ioannis, pro euchariſtia prorſus accipi debere. Sed in inceptio pergamus. Dixit propterea Chriſtus, hic eſt panis de cælo deſcendens, ſi quis ex eo manducauerit, non morietur. Et poſtea: Si quis manducauerit panẽ hunc viuet in æternum. Et denique: Qui mãducat me, ipſe viuet propter me. Ecce quoties vitam pollicetur, pro panis huius ſumptione. De reliqua vero ſpecie ne verbũ quidem produces. Nam illud, hic calix nouum teſtamentũ eſt in meo ſanguine, nihil pollicetur pro calicis potatione, nec ſi quod ex Matthæo ſequitur, adiunxeris. Qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum. Non enim hic remiſſio peccatorũ, pro calicis potatione promiſſa eſt, ſed pro ſanguinis effuſione duntaxat. Sed inquiet aliquis, An non Chriſtus dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis? Reſpondemus primum, hoc nobis Lutherum obiicere non poſſe, quum ſit cap. Ioannis ſcriptum, cuius ne verbum quidem vllum, ad hoc ſacramentum affirmat pertinere. Deinde nihil dubitamus aſſerere, quod qui ſub ſpecie panis Chriſtum ſumit, eundem

Ioan. 6.

Luc. 22.

Matth. 26.

Ioan. 6.

& carnem eius manducare, ac ſanguinem bibere, cũ & carnem integram accipiat, cuius acceptio eſus dicitur, & ſanguinem integrum, cuius ſumptio, potatio dici poterit. Tertio dicimus, quòd nihil iis verbis de vini ſpecie traditur, ſed de ſanguine duntaxat, qui nuſquam ab hoc pane ſeparatur. Quando igitur toties, tanta promittuntur, pro ſacramenti huius ſumptione ſub ſpecie panis, & nihil vnquam ſub ſpecie vini, quis mirari debet, ſi ſub ſola panis ſpecie, laicis Eccleſia duxerit miniſtrandum.

Oña Chriſti promiſſa pro ſacramẽti ſub panis ſolum ſpecie aſſumptiõe.

¶ Nec cauillis illorũ moueatur, qui garriunt, ſub pane omnia accipi, Chriſtus enim ſciebat ſub pane omnia accipi, nihilominus tamen vinum inſtituit.

Luth.

¶ Nõ illi certe, ſed ipſe potius Luthere cauillaris, qui nullam poteris iuſtam afferre rationem cur neceſſe ſit laicis reliquam accipere ſpeciẽ. Quid ſi Chriſtus vinum etiam conſecrauit. Num propterea laicis ſub ea ſpecie ſacramentum impartiri debeat? Nihil oportet. Solis vtique ſacerdotibus, quibus & conſecrãdi tribuit poteſtatem, vtranque ſpeciem Chriſtus porrexit, & ab eis vtranque voluit ſacrificari, quatenus hoc ipſum repræſentarent ſacrificiũ, quod olim ipſe patri pro nobis in altari crucis immolauit. Sic patres ſentiunt. Sic Eccleſia docet credendum. Quamobrem ſi tibi vis in peruerſa opinione tua fidem adhiberi, rationes aut ſcripturas omni luce clariores producas oportet, quod ſcio nunquam facies.

Epiſc.

¶ Sciebat omnia ſola fide percipi, & tamen ſacramenta ordinauit.

Luth.

¶ Non ſatis intelligo, quem in modum iſta ſibi reſpondeant. Sciebat Chriſtus omnia, ſola fide percipi, & tamen ſacramenta ordinauit. Voluiſti forſitan dicere: Sciebat Chriſtus ſolam fidẽ ſufficere, & tamen ſacramenta præter fidẽ ordinauit. At iſtud cuiq; certum eſſe poteſt, ꝓ non abs re Chriſtus ſacramenta, neque inutiliter inſtituit. Neque tamen ſi fides ſola ſufficiſſet, dixiſſet vnquã: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſanctõ, nõ poteſt introire in regnũ dei.

Epiſc.

An ſola fides ſufficiat.

Ioan. 3.

Introibit autem quis per fidem absque baptismo, si so la fides parare posset aditum. Sed de iis antea satis su perque disseruimus.

Luth. ¶ Quo iure seru° domini sui mutat ordinationes?

Episc. ¶ Tu mihi prius responde, quo iure mutata sunt cum alia plurima, tum id quod de baptismo Christus instituit? Is enim apostolis iussit, vt baptizarent, in no mine patris & filij, & spiritus sancti. At hi, non eam formam obseruarunt, sed baptizabant solius nomi nis Christi facta mentione. Quod si licuit ex caussa, tam recentem domini constitutionem immutare, cur successoribus eorum idipsum non licebit, quoties nõ minus id expedire viderint? & præsertim quando nõ sine communis spiritus instinctu, tam hos quàm illos, ita fecisse non ambigitur.

Apostoli Christi instituta mutarunt.

Luth. ¶ Cur sacerdotes non etiam omnia sub pane acci piunt? Nõne vnus panis & vnũ corpus sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus, vt Apostolus. 1. Corint. 10. docet apertissime.

Episc. ¶ Non hæc habet Paulus. Lege exemplaria Græca, quo sermone Paulus eam epistolam scripsit. In illis sic inuenies: Vnus panis, vnum corpus, multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Hic vides iuxta Paulum, ad corporis vnitatem sat esse cũ ctis, vt de pane vno participent, neque calicis exigitur communicatio. Sed inquies, haud multo superius de calicis benedictione loquutus est Paulus. Profecto. Sed pro hac nostra parte facit magis, si quis ea verba diligentius excutiat. Calix, inquit, benedictionis cui benedicimus? Quis (te quæso) calici benedixit nisi sacerdos? aut quis alius frangit cælestem illũ panem? Vtrunque ad sacerdotes pertinet, qui & mystici corporis, non iniuria portio, melior existimantur. Cæterum quum iis adiunguntur prophani, quòd de toto corpore loquatur Paulus, iam solius panis fit mentio: Vnus, inquit, panis, & vnum corpus multi sumus. Nam omnes de vno pane participamus, vt cunctis exploratissimũ esse possit, hic tuę sententiæ Pau-

De vino nulla mẽtio.

lum ipsum (quem citaras) aduersari.

¶ At papa laicos ab vno corpore excludere conatur dum non omnes de vno calice vult participare, resistens tum Christo, tum Paulo, & vniuersæ Ecclesiæ Dei, tantum vt mysterium iniquitatis suæ operetur filius ille perditionis & homo peccati. *Luth.*

¶ Profecto nemo potuit alius, tam virulenta verba, in ipsum totius Ecclesiæ præfectum euomere, nisi verè perditionis filius, & homo peccati. Sed finge quantumuis iniquum esse, quòd non ad calicem admittantur laici. Quid hoc ad pontificem istum? Num ei vitio verti debuit, quod per tot annos (antequam is natus esset) per vniuersam Ecclesiam fuit vsitatissimum? Neque vsitatissimum modo, verumetiam, per duo seorsum concilia generalia comprobatissimum. Multo igitur iniquissima est hæc quam in summum irrogas Pontificẽ contumelia, & tanto sanè iniquior, quo longius à veritate recessit. Neque enim ab vnitate corporis excluduntur laici, quòd non sinuntur de calice speciem alteram sumere, id quod Paulus apertissime testatur quum dicit, omnes nos vnum panem, & vnum corpus esse, quoniam ex eodem pane cuncti participamus. Sed tu calicis etiam facis mentionem, quum non ignores Paulum id non scripsisse. Verum istud facis quo tibi quidem vulgi fauorem cõciliet magis, erga pontifices vero, maiorem concites inuidiam, odiumque prorsus implacabile. *Episc. De filio perditionis.* *Callidæ Luth. machinatio.*

ARTICVLVS XVII.

THesauri Ecclesiæ vnde papa dat indulgentias, non sunt Christi & sanctorum. *Luth.*

¶ Quantum ad indulgentias attinet, principio lector admonendus est, quòd inter nostram & Lutheri sententiam nihil interfit, nisi quòd Lutherus pœnam peccatis prioribus debitam opinatur vnà cũ culpa condonari, atque id siue per fidem, siue per cuiuscunque sacerdotis absolutionem. Nos vero cum *Episc. De indulgentiis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia credimus, quod plerunque post deletam culpam remanet in peccatore, quædam ad pœnam pro peccatis pristinis debitam obligatio, quæ per summi pontificis condonationem tolli potest. Hoc secũ itaque lector expendat, an Luthero securius credatur, qui cuique sacerdoti tantam tribuit potestatem, vt à pœna simul & culpa soluat peccatorem etiam scelleratissimum, an Ecclesiæ potius, quæ propter verba Christi dicta diuo Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, opinatur, quod post deletam à sacerdote culpam, remanet adhuc pœna, quæ per quécunque legitimum Petri successorem, pariter condodari potest. Quod si quisque simplex sacerdos haud tantam habuerit potestatem, quantam ei Lutherus cé set tribuendam, quis non videt, cum quanto discrimine pontificis condonationem reiicimus? Sin autem habuerit tantam, nullum tamen periculum erit, pontificis etiam condonationem supperaddere. Nos igitur tria statuere moliemur. Primum quod post deletam à sacerdote culpam, remanet nónunquam peccator, ob priora delicta, pœnæ cuidam obnoxius, à qua per sacerdotem illum nondum soluitur. Alterũ quòd eius pœnæ debitum solui potest, per summi pó tificis condonationem. Tertium, quòd quantum diui næ iustitiæ per istam condonationem detractum fuerit, tantundem ex meritis Christi, simul & sanctorum resarciri non erit incongruum. Sed age primum aggrediamur. Quanquam ex iis quę sub articulo quinto disseruimus, dilucidum esse reor, quod nó omnes peccatores indiscriminatim ita sunt absoluti, vt qui grauius offenderit nihilo maioris pœnæ sit debitor, quàm qui leuissime, non grauabimur tamen hic pusculum aliquid adiicere. Paulus ad Rom. scribens ait: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationẽ. Atqui palam est, non huius & illius membra, æqualiter im-

Mat. 16.

Pro indulgentiis statuendis tria notanda.

Primum.

Rom. 6.

munditiæ & iniquitati seruisse pridem ad suas complendas iniquitates, quũ alter parum & breuius, alter plurimum & diutius peccatis indulsisset. Neq; enim inficias eo quin omnes tam boni q̃ mali carnis suæ mortificandis affectus astricti sint. Verũ hoc est propter fomitem, ex originali peccato relictum. At aliter astringũtur hi qui longe crassiores ex peccatis actualibus cõtraxerint reliquias, his nimirum incumbit vt quanto sordidius inquinati fuerint, tanto seuerioré adhibeãt expurgationem. Atque hoc est quod iubet Paulus, quatenus pari studio sua membra peccator ad conquirandam sanctificationem inseruire faciat iustitiæ, quo iam pridem ad complendam suam improbam voluntatem, improbitati seruierant. Et hoc aduertandum est, quod sanctificatio de qua Paulus hic loquitur non est ea, quia quis per gratiam à culpa liberatur. Nam eiusmodi iam fuerunt, ij, ad quos hic loquitur Paulus nempe vocati sancti, quemadmodum in ipsius epistolæ fronte patet. Sed neque est sacrificio, qua quis à reliquiis originalis peccati mundatur, quum planè de actualibus, hic verba faciat Paulus. Quamobrem & intelligi debet is locus, de reliquiis actualis peccati à quibus vtique peccator per opera pœnitentiæ sanctificari dicitur & expiari. Cõfirmemus & istud exemplo Dauid, qui tametsi nouerit sibi culpam fuisse remissam, non cessauit tamen peccatorum suorum reliquias persequi, & fletibus diluere quàm acerbissimis. Respondeat hic nobis Lutherus, si post remissam culpã, nihil reliqui sit in peccatore, quod expietur, cur Dauid cui de culpa fuerat compertissimum, quòd hanc agnouisset ei Deus, cur (inquam) tantopere seipsum afflixit, & per noctes singulas, tanto lachrymarum imbre stratum rigauit suum? Cur tam attente singulis prope momentis de peccato suo cogitauit? Et denique cur petiit deleri sibi iniquitatem atque amplius à peccato suo lauari? Nó hęc profecto dixisse voluit, p reliquiis originalis, sed pro reliquiis actualis peccati lõge magis studuit

De qua sanctificatione Paulus sit loquutus.

Psal. 6.

Dauid post remissam sibi culpam, reliquias peccatorum fletibus prosequitur.

2. Reg. 12.

Psal. 50.

enim vt membra iam tanto diligentius inseruirent iustitiæ ad sanctificationem, quãto prius ad mentem improbam consummandam, inseruierant iniquitati. Neque enim dubitauit operibus pœnitentiæ scoriã omnem & rubiginẽ peccatorũ, auferri posse. Sed hoc Lutherum in has angustias adegit, quod totum fidei, nihil operibus censet deferendum. Propter quod & nouam vitam optimam asserit esse pœnitentiam. Cæterum Ecclesia nequaquam sufficere vitam nouam, putat. Non sufficit (inquit Aug.) mores in melius cõmutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de iis (quæ facta sunt) satis fiat domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis & ieiuniis. Credit igitur Ecclesia manere post condonatã culpam in peccatoribus, plus vel minus expurgandũ, pro qualitate prioris vitæ, simul & doloris magnitudine, qui iam emendæ propositum antecessit. Nam vbi post scelestissimam vitam, dolor in peccatore nõ nisi pusillus succedit, eiusmodi peccato abiici non potest, sed absolui debet, si petat. Veruntamen asperius ei medicamen adhibendum esse, nemo sanæ mentis non iudicabit. Cæterum excutiamus & illud, an plura maioraque commoda sit consequuturus is, qui Luthero fidem habet, an qui credit Ecclesiæ. Primum certe non mediocris periculi est Ecclesiæ non credere, quam Paulus columnam vocat, & firmamẽtum veritatis. Nec potest huic non credere quisquã, absque infidelitatis nota, præsertim in iis, quæ salutẽ concernunt animarum. Verum si Luthero non credimus nihilo plus discriminis inde nobis imminebit, quàm si cuilibet ex infimis scriptoribꝰ non credideritimus. Deinde si credamus Ecclesiæ docenti, nonnullas in peccatore post condonatam culpam, reliquias manere, tanto magis ad molestias pœnitentiæ subeũdas, & cum exactiori solicitudine suscipiendas ipsi stimulabamur. Sin contra, cum Luthero nullas relinqui putabimus, nullam operam iis expurgandis

Vita noua nequaquam sufficit.

An plura commoda consequutus sit qui Luthe credit, an qui Ecclesiæ.

impendemus, quum iam securi nihilo magis nos ad satisfactionis obligatos, quàm alium quemlibet Christianum existimabimus. Tertio, si iam per opera pœnitentiæ reliquias peccatorum diligenter expurgauerimus, nihil post hanc vitam nobis ignis purgatorii nocebit. Sin contra, quia tales vtpote non credas, non expiauerimus, quis nos à purgatorii cruciatu securos constituet? Nemo certe, nec Lutherus ipse. Sed hactenus quod post deletam culpam, reliquiẹ manent expurgandæ, & quod pœna quædã peccatis priobi luat necesse est, dictum sit. Iamvero secundum statuamus, nempe quòd huius pœnæ debitum, per condonationem summi pontificis tolli potest. Scripturæ nimirum docent, id variis modis tolli posit. Et primum austeritate nostra. Nam Paulus ait: Si nos diiudicaremus, nõ vtique iudicaremur. Hoc est, si nos nostras in Deum offensas vlti fuerimus, vsqueadeo clemẽtem se nobis ipse prębebit, vt nolit vlcisci denuo. Neque enim bis in idipsum iudicare consueuit. Propter quod & Dauid sua peccata vindicans, confidenter ait ad Deum: Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Si non certo sperasset, per suam in semetipsum animaduersionem, reliquias peccatorum sibi condonãdas, nequaquam ad hunc modum afflixisset se, neque petiisset condonari peccata, quum iam de remissa culpa satis ei constitit, vti superius diximus. Is igitur vnus modus est, quo pœnæ debitum (quod post sublatam culpam remanet) disiici potest. Alius item est per eleemosynarum largitionem. Nam Christus ait: Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Atqui certum est, nihil ei qui gratia caruerit, profuturum, quantascunque largissimas fecerit eleemosynas, quum dicat Paulus: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ecce nihil confert eleemosynæ distributio, nisi quis in charitate radicatus

Secundum. Tres modi, quibus pœnæ debitum tolli potest.

1. Cor. 11.

Psal. 24.

Secundum.

Lucæ. 2.

1. Cor. 13.

fuerit. Verum in charitate quisquis est, is simul est, & gratiæ particeps, ac liber effectus à culpa. Nam has duas, hoc est, gratiam & culpam, simul cuiquam adesse, nequaquam est posibile. Quamobrẽ si quis à culpa solutus fuerit, iam est & mũdus. Veruntamen à reliquiis peccatorum, per eleemosynam est adhuc mundandus. Tertius modus, est per vehementem charitatis affectum. Nam vehemens vtique charitatis affectus peccatorum etiam expurgat reliquias, quum dicat diuus Petrus: Charitas operit multitudinem peccatorum. Cui subscribit & diuus Iacobus, de ipso loquens: Qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, operit (inquit) multitudinem peccatorum. Præter hęc & iniuriarum dimissio plurimum confert. Dimittite (inquit) & dimittetur vobis. Et rursum: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cęlestis peccata vestra. Ecce propterea quod tu peccatum dimittis alienum, & tibi cęlestis pater remittet peccata tua. Adde, quod oratio dominica quoties in ea rite dicimus: Dimitte nobis debita nostra, plurimum facit ad reliquiarum harum expiationem. Et ne dixeris hanc particulam ad quotidiana pertinere peccata, audias Augustinum in Enchiridio cap. 71. vbi palam affirmat, quod non solum hæc oratio, minima, & quotidiana peccata delet, verumetiam delet & illa, à quibus vita fidelium vel scelerate gesta, sed pœnitudo in melius mutata, discedit. Sed & aliena oratio, nẽpe sancti cuiuspiã viri profuerit plurimum. Nam Iacobus ait: Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Neque hic de mortalibus peccatis agitur, quæ nõ sunt adhuc remissa. Nam illa per alienam orationem nemini condonantur, sed de reliquiis mortalium, simul & de venialibus intelligi debet. Vides igitur quot modis diuia clemẽtia reliquias peccatorum dignata sit ignoscere, vt nemini mirum fuerit, si per summi pontificis cõdonationẽ, modo clauis (vt aiunt) nõ aberret, hæ peccatorũ reliquiæ simi-

Tertius.

1. Petr. 4.

Iacob. 5.

Luc. 6.

Matt. 6.

Oratio dominica quæ peccata expurgat.

Iacob. 5.

liter aboleantur. Neque enim frustra Petro creditur dixisse Christus: Quodcũque solueris super terram, erit solutum & in cęlis. Dixisset autem hoc ipsum frustra, si vinculũ aliquod cuiusuis peccatoris animum teneret, quod per vllũ è supra memoratis modis absolui posset, & Petrus Christi verbis confisus, nequiret ab eodem soluere. Dixit Christus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et credimus per eleemosynam, reliquias peccatorum expurgandas. Dixit Christus: Dimittite, & dimittetur vobis. Et credimus per dimissionem fraternæ iniuriæ, nobis etiam dimitti reliquias peccatorum. Dixit Iacobus: Oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittẽtur ei. Et omnino credimus ita futurum. Cur simili modo cum pollicit' sit Christus, id fore solutum & in cælis, quicquid Petri successor soluerit sup terram, non credimus Petri successorem (modo fideliter & prudenter idipsum attentauerit) posse nos à reliquiis peccatorum absoluere? Sed hæc pro secũdo sufficiunt. Iam ergo veniamus ad tertium. Quod est, si quid per has condonationes diuinæ iustitiæ detractum sit, id Christi meritis, & sanctorũ, abunde resarciri conueniat. Nam hoc est quod Luthero, cum primis obiici valeat, nempe ꝙ per ipsum diuinę iustitiæ non parum est derogatum, cum iuxta traditionem eius scelera plurima transibunt inulta. Nos vero nihil inultum præterire posse fatemur. Sed si quid animaduersionis peccatori defuerit, id aliunde pensandum opinamur. Nam sanè cõmodius id fieri potest, quàm si ex Christi sanctorumq; meritis quicquid iusto minus fuerit, restituatur. Nam quicquid ex pœnę debitę persolutiõe peccatori defuerit, id ex illorũ meritis rependi potest cõmodissime. Cęterum vt hoc diluci dius fiat, nonnulla prius à nobis firmanda sunt. Et primum, ꝙ eodem actu quis pro seipso mereri præmium potest, & nihilominus pro quouis altero satisfacere, absque vllo sui præmii dispendio. Quod q̃dẽ cum ex aliis multis patere potest, tum ex Mose pri-

Matth. 16.

Lucæ. 11.

Lucæ. 6.

Iacob. 5.

Tertium.

Per Luthe. diuinæ iustitiæ derogat.

Christi merita.

Eodẽ actu quis pro seipso mereri potest, simulque pro quouis altero satisfacere.

mum, qui cum tam instanter orauit, vt aut ipse de libro vitæ deleretur, aut populo remitteretur sua noxa. Non potuit certe tanta, & tam eximia charitas suo merito frustrari. Et tamen præter meritum, quod sibi comparauit, obtinuit etiã (id quod Rabbi Samuel affirmat) vt in omni clade, quæ postea Iudæis contigit, nonnihil de pœna pro peccato illo debita remittere tur. Sed & in Leuitico pollicetur Moses, ꝙ sacerdote rogante pro iis, qui pro suis peccatis hostias obtulerint, propitius foret eis dominus. Et quid est hoc loco Deum eis propitium esse, quàm eum nonnihil ex pœna peccatis debita remittere, quum quantum ad culpam attinet ipsa per interiorem gemitũ ante sufficienter fuisset deleta? Nec tamen ob id sacerdos orationis suæ præmium amisit. In libro quoque Numerorum traditur, quod quum sæuiret in populum ira Dei, mox vt Aaron obtulisset thymiama, & deprecatus fuisset pro populo, cessauit plaga. Ecce profuit Aaron suis precibus ad minuendam pœnam, populo pro suis peccatis debitã, nec tamen ipse precum suarum fuerat ob id mercede priuatus, quum dicat Paulus: Vnusquisque mercedem accipiet secũdum suum laborem. Sed & Stephanus quando pro se lapidantibus orauit, profuit vehementer Paulo, nec seipsum tamen tam ardẽtis charitatis mercede fraudauit. Sic nimirum & plerosq; sanctos viros pro peccatoribus legimus satisfecisse, & nominatim Andræam apostolum, pro quodam sene presbytero, qui penè totã priorem vitam in scortationibus absumpsit, pro quo tamen Andræas non prius destitit seipsum ieiuniis, & lachrymis affligere, quàm diuinitus intellexerit, eldé peccata fuisse condonata. Profuerunt igitur istorum studia pluribus ad satisfactionem, & tamen ex propriis meritis nihil penitus imminuerunt. Nec est dubium, quin ad hunc modũ homines cæteri mutuo vnus pro alio potest satisfacere, atq; ita vt nihil proprii depereat meriti, nequeviuus pro viuo solum, sed & pro mortuo quoque. Cui rei tam Augustin⁹, quàm

Rabbi Samuel.

Leuit. 4.

Quid sit deũ ꝓpitiũ esse.

1. Cor. 3.

Actu. 7.

Gregorius palam astipulatur, & quatuor operum genera memorant, quib⁹ defunctis prodesse possumus, hoc est altaris sacrificium, eleemosynas, ieiunia, precationesque sanctas. Augustinus vero in libro cui titulus est de cura pro mortuis agẽda, mortuorum memorias peculiariter approbat iis verbis: In Mach. inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed & si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac consuetudine claret authoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorũ. Hæc August. At quomodo prosunt hæc opera, nisi per expiationis accelerationem, & per quendam satisfactionis modum, nempe ꝑ pœnis, quarum debitum, ex peccatis in hac vita perpetratis antè contraxerant. Quod si pro mortuo satisfieri potest, multo magis pro viuo, quum is adhuc viator sit, & mereri per seipsum potest. Cęterum pro vtrouis quis id fecerit, non imminuetur ei suæ charitis merces, cum scriptum sit, Deum vnicuique secundum eius opera redditurum. Cæterum ex iis pœnis, quas pro nobis in cruce sustinuit Christus, res hæc multo magis perspicua redditur. Is enim pro peccatoribus sanguinem suum fudit, & amarissimam pertulit mortem, vt nobis peccata remitterentur, nec tamen ob id, suæ passionis præmio frustratus est ipse. Nam propter hoc, Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Cęterum fructus remittendæ non solum culpæ, verumetiam pœnæ, ad nos vsque peruenit. Tantus enim & tã amplissimus erat illius acerbissimæ nectis fructus, vt pro totius mũdi suffecisset peccatis, absq; sui præmii vel vllo detrimento. Fuit igitur hoc opus Christi meritorium simul & satisfactorium. Meritorium vtique sibi fuit, quemadmodum ex Paulo iam diximus. Fuit etiam & nobis meritorium, quia nobis Christus & gratiam meruit & gloriam. Fuit identidem & satisfactorium. Sed eius satisfactionis emolumẽtum, cum

Quatuor operũ genera quibus mortuis prodesse possumus.

2. Mach. 12

Rom. 2.

Philip. 2.

Passio Christi meritoria simul & satisfactoria.

ipse nullius eguit,totum penitus ad nos redundauit. Ex iis itaque dilucidum est eundem actum, & meritorium, & satisfactorium esse, vsqueadeo, vt quis eodem actu sibi mereri possit,& nihilominus pro altero satisfacere absque sui præmii quantulacunque iactura.Secundo supponimus.Quod quanquam nemo sit, cui non cumulatius præmium in cælis Deus largiatur, quàm hic in terris ipse meruit, innumeri tamen sunt, qui longe grauiores ærumnas pertulerũt, quàm ad suorum suffecissent delictorum expiationem. Et primum id ambiguuum esse nemini potest, quantum ad gloriosam Christi genitricem, quæ neuo quouis &labe caruit,tã originalis quàm actualis peccati.At ipsa tamen innumeras & easdem acerbissimas,perpessa fuit molestias.Fuerunt & alii (qui lethalibus noxiis caruisse credũtur) vt Ioannes Christi præcursor,& Hieremias.Quid Paulum memorem & alios plurimos,qui nũquam post baptismi gratiam lethalem culpam admiserunt?& ipsi tamen clades,ac calamitates immensas,& absque numero sunt perpessi. Neque negauerim omnes eosetiam longe supra ꝗ meruerint,esse remunerãdos. Veruntamen haud dubito, quin quòd in ærumnarum quas tolerarunt cruciatibus erat satisfactorium, non euanuerit penitus in aera.Nam Deus ipse benignissimus, qui mala nostra semper vertit in bonum,non patietur hanc satisfactionem omnino perire, sed in aliquam hauddubie conuertet vtilitatem. At peribit certe, si nec eis, neque cæteris profuerit quicquam. Et quoniam illi, suæ satisfactionis fructum, nullis destinarunt personis certis,ideo fit,vt in commune cesserit Ecclesiæ totius emolumentum, & communis Ecclesiæ thesaurus iam dicatur,nimirum vt inde rependatur, quicquid cæteris ex iusta satisfactiõe defuerit. Sic enim & Paulus ipse testari visus est,ad Colossen.scribens: Nunc enim gaudeo in passionibus meis pro vobis,& adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia. Vbi litera Ambrosii sic habet:Et suppleo reliquias pressurarũ Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia. Quibus sanè verbis Paulꝰ significare videtur ærumnas,quas cæteri sancti pertulerunt in sua carne, ceu reliquias quasdam adiungendas esse pressuris Christi,ad communem Ecclesiẹ totius vtilitatẽ. Supponimus tertio, quòd huius thesauri dispensatio præcipue pertinet ad eum, qui totius Ecclesiæ caput est, cui & Christus promisit claues regni cælorum, vt esset vere solutum in cælis, quicquid ipse soluisset in terris.Neque tamen inficias eo, quin propter vnitatẽ corporis mystici,si quis conformarit se Christi,sanctorumque cruciatibus,ipse particeps euadet satisfactionis eorum, si tamen vt non pro leui quauis tolerantia,protinus à reliquiis peccatorum, ab omni pœna pro eis debita,prorsus expurgetur.Nam ex eo sequeretur, ꝓ omnes qui in gratia decederent, confestim euolarent, atq; ita penitus extingueretur omne purgatorium. Neq; enim satisfactiones quæ manant ex Christi meritis, mox cuiq; pœnitenti dispẽsantur, quanquam ipse Christus, & ex instituto quidem pro peccatoribus tãtas ęrumnas subiisset.Dixit enim anteaquam pateretur,hic est sanguis meus,qui pro multis effundetur,in remissionem peccatorum.Et quanquam Christus eo spectabat, quum tanta pateretur, non tamen ex hac passione,singulis peccatoribꝰ protinus vt resipuerint,tantundem remissionis suppeditatur, quantum eis ad pœnam peccatis debitam sufficiat abolendam. Sic enim frustra dixisset Apostolis Christus: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:& quorum retinueritis, retenta erunt. Atq; illud quoq;:Quæcunque ligaueritis super terrã, erunt ligata & in cęlo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cęlo.Huius itaq; thesauri dispensatores,prælati sunt, quibus & Christus illa dixit. Sed inter istos,ille pręcipuꝰ est,qui cęteris omnibus pręficitur,quiq; potestatis in hac re plenitudinem obtinet,quemadmodum Innocentius,III.in cõcilio quo-

De meritis sanctorum.

Thesauri dispẽsatio pertinet ad pontificem.

Thesaurus Ecclesiæ.

Colossi.1.

Marc.14.

Qui sint dispensatores ecclesiastici.

dam generali diffiniuit,qui talem se præstitit cui me
rito fides est adhibenda. Nam (vt refert Platina) vir
erat in quouis genere vitæ probatissimus, ac dignus
qui inter sanctos pontifices censeretur. In concilio
igitur per eum vocato Laterani, in quo fuerunt (vt
idem Platina testatur) patriarchæ duo, nempe Hiero
solymitanus & Constantinopolitanus. Metropolita-
ni.70.Episcopi.400.Duodecim Abbates,Priores cō
uentuales. 80. Græci & Romani imperii legati, Re-
gum vero Hierusalem,Franciæ, Hispaniæ, Angliæ,&
Cypri oratores.In hoc concilio,quoniam abbates id
temporis præsumpserant literas indulgentiarum cō
ferre,dictus Innocentius illum abusum reuocauit,si-
mul & episcopis præscripsit certos limites,quos non
excederent, reseruata Romano pontifici plenaria sa
cultate. Sic enim quantum ad abbates illic traditur.
Accedentibus ad nos de diuersis mundi partibus e-
piscoporum querelis,intelleximus graues & grandes
abbatum excessus,qui suis finibus non contenti,ma-
nus ad ea quæ sunt episcopalis dignitatis extendūt,
de causis matrimonialibus cognoscendo,iniungen-
do publicas pœnitentias, concedendo etiam indul-
gentiarum literas. Ecce hic summus pontifex in con
cilio correptis abbatibus,testatur ad episcopalem di
gnitatem pertinere,vt indulgentiarū literas ipsi con
cedant. Quibus tamen inferius modum præscribit,
ne per superfluas indulgentias satisfactio pœniten-
tialis eneruetur.Quia per indiscretas (inquit) & su-
perfluas indulgētias,quas quidam Ecclesiarum præ-
lati facere non verentur,& claues Ecclesiæ contem-
nuntur, & satisfactio pœnitentialis eneruatur,decer
nimus,vt cum dedicatur Basilica,non extendatur in-
dulgentia vltra annum,siue ab vno solo,siue à pluri-
bus episcopis dedicetur. Et infrà, hunc quoque die-
rum numerum indulgentiarum literis præcipimus
moderari,quæ pro quibuslibet casib' aliquoties con
ceduntur,quum Romanus pontifex (qui plenitudi-
nē obtinet potestatis) hoc in talib' moderamen con-

Abbatum excessus in cōcilio Lateranen. compressi.

De literis indulgentia.

sueuerit obseruare. Tria igitur quantum ad indul-
gentias attinet,in hoc concilio decreuit Innocentius
tertius.Negauit primum abbatibus indulgendi facul
tatem.Eandem in episcopis moderabatur. Sed & ple
nariam eius rei potestatem Romano pontifici reser-
uatam declarabat. Cuius conciliī meminit, & Inno-
centius quartus, quod & quatenus ad indulgentias
spectat in altero concilio (quod ipse Lugduni cele-
brabat) palam approbauit.Ex iis igitur(quæ nos ha-
ctenus declarauimus) satis constare puto, non solum
aliquas(deleta culpa) remanere peccatorū reliquias,
verumetiam easdem per summi pontificis authorita-
tem condonari posse,nullumque prejudicium ex eo
diuinæ fieri iustitiæ, quum abunde satis ex Christi
sanctorumque perpessionibus resarciatur, quicquid
peccatoribus ex iusta pœnæ tolerantia defuerit, sed
& quo solidiora,quę diximus,cunctis innotescerent,
ipsa roborauimus duob' conciliis,Ecclesiam vniuer-
salem repræsentantibus,quæ (Paulo teste) columna
dicitur,& firmamentum veritatis.Sed iam tempus est
vt Lutherum audiamus.

Tria Innocentij.III. in cōcilio Lateranen. decreta.

Nullū præiudiciū fieri diuinæ iustitiæ ob condonationes.

¶Hunc probaui sic, quia merita Christi sunt res
viuæ,spirituales, & sacræ,quę iustificant cor. Qui e-
nim manducat carnem meam,& bibit sanguinū meū,
viuet in æternum. Verba & opera Christi omnibus
sunt salutaria ad vitam quicunque ea apprehende-
rint,nec possunt nisi fide apprehendi,ideo nec vllus
hominum habet ea in potestate sua,nisi solus ipse.

Luth.

¶Hæc aliena sunt ab articulo, nec aduersum, vt
aiunt,faciunt quicquam.Nos in operib' Christi duo
fuisse diximus, nempe meritum, & satisfactionem,iis
enim verbis vtimur,nimirum quòd sint theologis nō
solum recensioribus,verumetiam veteribus frequen
ter vsitata.Meruit itaque Christus tam sibi quàm no-
bis.Porro si meritum spectemus, præmio iam dona-
tus est quantum ad seipsum pertinet, cumulatissime,
relicta nobis interim amplissima satisfactionis gaza.
Et quanquam opera illa Christi iam trāsierint,manet

Episc.

In operibus Christi duo sunt,meritū, et satisfactio

Meruit Christ. tā sibi q̄ nobis.

Universidad de Deusto Biblioteca

nihilominus & merces operum, qua ille iam in cælis
posidet, & satisfactionis amplitudo, cuius peccato-
res quotidie fiunt participes. Cęterum quod proprie
iustificat cor, gratia est quæ quotidie creatur, & cor-
dibus infunditur nostris. Et hanc etiam Christus ip-
se nobis meruit. Nam eatenus opus Christi, cæterorũ
hominum præstat operibus, quod propter vnionem
deitatis, non solum sibi mereri præmium potuit, ve-
rumetiam nobis gratiam & gloriam. Et has conferri
ministerialiter, hoc est, per sacramentorum admini-
strationem in potestate sacerdotum est. Nec de car-
ne & sanguine Christi Lutherus ipse dubitat, quin fa
cultatem sacerdotes habeant vtriusque consecrandi.
De fide vero sæpe diximus, quòd ea non semper est
viua. Sed & sæpe quum ea viua fuerit, quanquam tũc
reatus aufertur, & peccati culpa prorsus aboleatur,
reliquiæ tamen peccatorum haud abluuntur penitus, sed eas vel per satisfactionem nostram, vel per
cõdonatiões legitime cõquisitas deleri necessum est.

Gratia cor iustificat.

Luth. ¶ Indulgentiæ autem, sunt remissiones satisfactionis, quæ nihil faciunt ad iustificationem, ideo insignis est blasphemia, merita Christi in hoc sordidum opus mortis ponere.

Episc. Duplex iustificatio, altera reatum, altera reliquias peccati tollit.

¶ Duplex intelligatur necesse est iustificatio. Altera quæ fit per gratiam à reatu peccati, altera quæ fit per expiationem à peccati reliquiis. Vtraque certe non parui momenti putanda est, neque potest altera vocari sordidum opus mortis, nisi ab improbis & blasphemis. Nam culpa quæ per gratiam aboletur, multo sordidior est quàm reliquiæ, quæ post culpam remanent, & tamen ab hac nullas omnino gratia sordes contrahit. Quod si gratia nullis per deletionem culpæ sordibus inquinetur, multo minus hæc secunda iustificatio dici poterit opus mortis sordidum, cũ iam per priorem iustificationem, culpæ sordities abluta sit. Neutra igitur, aut opꝰ mortis, aut opus sordidum, existimari debet. Sed vtraque suo modo purgat, illa reatum, ista reliquias, quæ post reatum in animo

remanent. Et sicut illa præstat vitam peccatoribus, & ista iustificat eos ad gloriam, ad quã introibit nemo, nisi prius ab iis reliquiis fuerit expurgatus.

¶ Præter hæc nullis scripturis sua probant, sed so la impia illa extra vagãte Cle. 6. ex opinionibus Tho mæ insulsissimis, & meris figmentis concepta. *Luth.*

¶ Ex scripturis abunde mõstrauimus manere post deletam culpam, peccatorum reliquias. Ex eisdem & has condonari posse, docuimus apertissime. Sed & tandem ob condonata, nullum diuinæ iustitiæ præiudicium fieri palam ostendimus. Præter hæc, quid amplius quisquam exigere debet, non intelligo, & is maxime, qui nec scripturis, nec efficacibus argumentis contrarium obfirmat. Sed finge (quod facis) nos scripturas nullas habere. Num pro nostra parte non satis fuerit Ecclesiæ totius authoritas? Num concilia duo plenissima, per optimos pontifices tam vita q̃ doctrina probatissimos accita nõ sufficient? Vt interim nihil de extra vagante dicam, quam tu tam calumnio se vocas impiam, neque de opinionibus D. Thomæ, quas tu velut insulsissimas contemnis, & nihil aliud eas facis, quàm mera figmenta, quum nemo compos mentis fuerit, qui nõ pluris vnum Thomam æstimet, quàm Lutheros decem. *Episc.*

¶ Ad hæc merita Christi sunt necessaria, & præcepta haberi, sicut & fides, sic. 1. Corinth. 1. dicit nobis, Christum esse Dei virtutem, & Dei sapientiam, & Romanorum. 5. nos in solo sanguine eius iustificari, & Romano. 4. ipsum positum propitiatorium in sanguine suo. Sed indulgentiæ nec necessariæ, nec præceptæ sunt, sicut nec fidem habent, ideo nihil faciunt ad salutem prorsus. *Luth.*

¶ Gratiam certe quæ sola salus animi est, non conferunt indulgentiæ. Sed tamen ob id non sunt respuendæ, quum in alium finem profuerint non mediocriter. Conducunt enim ad celeriorem introitum in gloriam, quemadmodum & venialium remissiones. Quis enim tã impudẽs est, vt remissiones venialiũ si *Episc. Indulgentiæ & si gratiã nõ conferãt celeriorẽ tamen aditũ in gloriã parãt*

Universidad de Deusto Biblioteca

posset consequi, repudiare voluerit, quum tamen neque istæ gratiam conferunt, neque præcipiuntur haberi. Nemo certe siue cum venialibus, seu cum reliquiis mortalium, cęleste regnum ingredietur. Quamobrem & ambæ necessariæ sunt, hoc est, tam veniarum remissiones, quàm reliquiarum mortalium expurgationes. Cæterum quanquam ad gratiam consequendam indulgentiæ parum adiuuerint, plerisque tamen occasionem præstant quærendæ gratię, quamalioqui nunquam essent quæsituri, sed ob criminum multitudinem desperantes, se præcipites in omne flagitium darent. Tuas vero scripturas (quas hic adducis) si quis excutere vellet, ostenderet facile quàm nihil faciunt ad institutum tuum. Quid enim si Christus Dei virtus sit, & Dei sapientia, num non eo magis passionum eius tolerantia, pro reliquiis offensarum nostrarũ erit satisfactoria? proculdubio. Et sanguis Christi (quo solo iustificamur) non semper effunditur, sed semel effusi virtus adhuc remanet, tam præsentibus quàm futuris peccatoribus communicanda. Quamobrem quum huius satisfactionis, peccator non protinus, vt fidem habet, particeps efficitur (sic enim omnes qui cũ fide ex hoc seculo discesserint, protinus euolarent.) Fit igitur, vt huius satisfactionis thesaurus in ærario communi totius Ecclesię dispensandus relinquatur.

Indulgentiæ plerisq; gratiæ quærendæ occasionẽ præbent.

Luth. ¶ Quod vero dicunt, merita Christi accipi dupliciter, vno modo per modum satisfactionis, alio per modum iustificationis, respondeo: Quid mihi & istis figmentis?

Episc. ¶ Non sunt figmenta Luthere, quòd opera Christi sint & meritoria, simul & satisfactoria. Nam quicquid præstantiæ conceditur operibus hominum, id operibus Christi negare non licet. Atqui superius ostendimus, opera piorum hominum, maxime pœnalia, pro peccatoribus aliquando fuisse satisfactoria, simul & sibiipsis nihilominus meritoria. Neque enim fieri potest, vt quisquam (qui forte charitate ductus,

siue pro viuis, seu pro mortuis, aut precatur, aut ieiunat, aut eleemosynas largitur, aut deniq; sacrificium altaris offert) mercede frustretur operis sui. Nam certe quo cuiusque charitas purior est, & syncerior, eo libentius hæc facit pro aliis quàm seipso. Nec est dubium, quin maior charitas mercede cumulatiori prę-miabitur. Sed nec ăplitudo præmii, qua quis ob charitatem suam donatur in cælo, quicquam obstat, quominus ipse satisfactionis fructus ad vtilitatem proximi conuertatur, quum nihil minuat ex gloria Christi quod suæ redemptionis opus innumeris profuerit. Quamobrem velis nolis Luthere, hæc in operib⁹ tam Christi quàm cęterorũ hominum distinguenda sunt, nempe meritum, & satisfactio. Quisquis enim ista secernere, vel nequeat, vel nolit, aut ingenii certe crassities in caussa est, aut peruersa malignitas, quum & sæpe videamus apud seculares principes, quorum tamen haud infinita benignitas est, vt quispiam intercedens pro alterius offensa, non solum illam obtineat, verumetiam & ampliorem apud eos gratiam plerunque sibi conciliet. Quod si princeps aliquis secularis, cuius est vel non syncera, vel non immensa benignitas vnicam alicuius aulici operam, ceu satisfactoriam pro altero acceptet, & ob eandem nihilominus intercessori gratiam augeat ampliorem, quis non videt Deum optimum maximum (cuius purissima benignitas omnem limitem supergreditur) nõ idipsum eorum operibus tribuere, qui sibi sunt charissimi.

Meritũ & satisfactio ĩ operibus secernenda.

A simili.

¶ Scio hodie merita Christi etiam accipi per modum pecuniæ. Et in quo scelerum abusu non prætexuntur hodie merita Christi? Hac fingendi libidine, quiduis è quouis facere licebit, etiam Deum ex ipso Satana, quod & faciunt atque fecerunt impii isti indulgentiarii adulatores.

Luth.

¶ Hæc nihil aliud sunt quàm mera conuicia, & cõtumeliæ in pontificem summum, & fautores ipsius, ad quæ sæpe te conuertis, cum argumenta tibi solidiora defuerint. Neq; potest profecto quoduis indicium

Episc. Suo telo repcussus Lu.

esse perspicacius hominis à veritate destituti, quàm quum ita furiat, ac debacchetur in alios tam maledicentissime. Quam rem & ipse testaris in defensione 33. conclusionis tuæ aduersus Siluestrum. Euidens, inquis, signum est destituti à veritate, furor & indignatio. Sic enim agis, vt certe nesciam, an tuam hanc eximiam cæcitatem demirer, an deplorem potiº, qui non erubescis eodem volutari luto, quo cæteros conspurcari moliris. Sed hactenus pro hoc articulo.

ARTICVLVS XVIII.

Luth. INdulgẽtiæ sunt piẹ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quẹ licẽt, & nõ de numero eorũ quẹ nõ expediũt.

Episc. Non certe constat vnde sint indulg. ¶ Multos fortasse mouet, indulgentiis istis non vsqueadeo fidere, ꝙ earum vsus in Ecclesia videatur fuisse recentior, & admodum sero repertus apud Christianos. Quibus ego respondeo, non certo constare, à quo primum tradi cœperũt. Fuit tamen nonnullus earum vsus (vt aiunt) apud Romanos vetustissimos. Quod vel ex stationibus in vrbe frequentatissimis intelligi datur. Sed & Gregorium primum aiunt, aliquas suo tempore concessisse. Neque cuiquam obscurum est, quin posterioribus ingeniis multa sint, tã ex euangeliis, quàm ex scripturis cæteris, nunc excussa, luculentius & intellecta perspicacius, quàm fuerant olim. Nimirum aut quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies, neque sufficiebat illorum ætas, totum illud scripturarum pelagus adamussim expedere, aut quia semper in amplissimo scripturarum campo, post messores quantunuis exquisitissimos, spicas adhuc intactas licebit colligere. Sunt enim adhuc in

Nonnulla ĩ euãgelijs adhuc exponẽ. Euangeliis, loca pleraque satis obscura, quæ non dubito, posteritati multo fiẽt apertiora. Cur enim istud desperabimus, quum ideo traditum sit Euangelium, vt à nobis penitus & ad vnguem intelligatur? Quoniam igitur in Ecclesiam suam amor Christi, non minus nunc quàm antea fortis perseuerat, cuius etiam potestas nihil hactenº est imminuta, cumq; sacer ille spiritus perpetuus eiusdẽ Ecclesiẹ custos, & æduituus fuerit, cuius dona tã indesinẽter, & æque copiose fluunt, sicut ab initio, quis ambigere potest, quin ad eorum (quẹ iã in euangelio supersunt incognita) clarã notitiã, ingenia posteriorũ illustrabuntur. Cæterum (vt dicere cœpimus) multa sunt de quibus in primitiua Ecclesia nulla quẹstio facta fuerat, quæ tamen posteriorum diligentia subortis dubitationibus, iam euaserunt perspicua. Nemo certe (vt ad negotium nostrum redeamus) iam dubitat orthodoxus, an purgatoriũ sit, de quo tamen apud priscos illos, nulla, vel q̃ rarissima fiebat mentio. Sed & Grẹcis ad hunc vsque diem, non est creditum purgatorium esse. Legat qui velit Græcorum veterum commentarios, & nullum, quantum opinor, aut quàm rarissimum de purgatorio sermonem inueniet. Sed neq; Latini, simul oẽs accensim, huius rei veritatẽ conceperũt. Neq; tã necessaria fuit, siue purgatorii, seu indulgẽtiarum fides in primitiua Ecclesia, atq; nunc est. Nã tunc vsqueadeo charitas ardebat, vt paratissimi fuissent singuli pro Christo mortem oppetere. Rara fuerunt crimina, & ea, quæ contigerunt, magna fuerant canonum seueritate vindicata. Nunc autem bona pars populi, magis Christianismum exuret, q̃ rigorem canonum paretur, vt nõ absq; maxima sancti spiritus dispensatione factũ sit, ꝙ post tot ãnorũ curricula purgatorii fides, & indulgẽtiarũ vsus, ab orthodoxis generatim sit receptus. Quàm diu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsiuit indulgentias. Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgẽtiis opus erit? His enim, si nullum fuerit purgatorium, nihil indigebimus. Cõtemplantes igitur aliquandiu purgatorium incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim, partim ex reuelationibus, partim ex scripturis fuisse creditum, atque ita tandem generatim eius fidem ab orthodo-

Multa nũc ꝑspicua quæ olim obscura.

De purgat. apud priscos mentio rara.

Universidad de Deusto Biblioteca

xa Ecclesia fuisse receptissimam, facillime rationem aliquam indulgẽtiarum intelligimus. Quum itaque purgatorium tam sero cognitum ac receptum Ecclesiæ fuerit vniuersæ, quis iam de indulgentiis mirari potest, quòd in principio nascentis Ecclesiæ nullus fuerat earum vsus? Cœperunt igitur indulgentiæ, postquam ad purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatum erat. Tunc enim credibile est sanctos patres accuratius cogitasse, quibus modis aduersus illos cruciatus, suis gregibus consulere potuissent, & iis præsertim, quibus ætas non sufficeret, ad complendam per canones institutam pœnitentiam. Legentes igitur inter cætera, tantam Petro suisque successoribus, in Euangelio collatã à CHRISTO fuisse potestatem, vt quicquid ille solueret in terris, solutum foret & in cælis, & eam exactissime librantes, non dubitarunt Petri successores (modo fideliter & prudenter id negotium egerint) pœnas (quas pro reliquiis peccatorum nõ sufficienter hic expiatis, in purgatorio luerentur) condonare posse. Animaduertebant enim propensiores ad clementiam illos esse debere, quàm ad rigoris districtionem, simulque perpendebant, quod cum sacerdotibus potestatem donasset Christus, animas ab æterna pœna liberãdi, multo magis talem in Ecclesia reliquit authoritatem, quę posset à purgatorii pœnis identidem absoluere. Ex hoc fonte (ni fallor) indulgentiæ manarunt, & ad magnum animarum commodum, si per summos pontifices rite credãtur, simulque recte suscipiãtur à pœnitẽtibus. Neq; negauerim, quin earum abusus vtrobiq; fieri potest. Potest enim & cõcessor indulgentiarum, id sinistro quodam intuitu facere, simul & suscipientes eas, ansam ex eis accipere viuẽdi negligẽtius. Et quid est, quantunuis homini necessarium, quo nõ ipse queat abuti, modo animum ad id intenderit. Cæterũ ea culpa, non rei (qua quis ad eum modum abutitur) imputãda est, sed abusori potius. Nõ sunt igitur indulgentiæ fraudes fidelium, neq; remissiones bo-

Cœperũt indulgentiæ simul atque purgatorij metus mortales inuaserat

Vnde manarũt indulgẽ.

norum operum, sed illis (vt diximus) commodissimè resarciuntur, quæ peccatoribus desunt, ad iustam pœnæ taxam, pro peccatis debitæ persoluendã. Sed iam Lutherus pro sua parte loquatur.

¶ Erraui fateor, vbi dixi, indulgẽtias esse pias fraudes fidelium, sic enim à multis prouerbio dici audieram, quos tunc imitabar: Reuoco ergo & dico: Indulgentias esse impiissimas sceleratissimorũ pontificum fraudes, & imposturas quibus & res, & animas fideliũ fallunt & perdunt. Sed & hanc propositionem cum præcedente & quatuor sequentibus reuocaui lib. de captiuitate Babylonica. *Luth.*

¶ Hæc reuocatio iuxta prouerbium est: Mandrabuli more. Procedit enim hęc tua peruersitas semper in deterius. Nam vt prius erraueras, ita nunc, & multo quidem magis aberras à scopo. Quæ res opinor, satis ex iis, quæ prius disseruimus, est dilucida. Tu certè fallis fidelẽ plebem, qui contra patrum omniũ sententias, simul & totius Ecclesiæ tot retro seculis vsurpatam consuetudinem, polliceris auditorio tuo pœnæ simul & culpæ plenariam remissionem, cuius pollicitationis, nullam vales præstare securitatem. Quamobrem ipse merus impostor es, & plebis omnino seductor, non ipsi pontifices summi, quibus & euãgelium fauet, & generale subscripsit concilium, ac recentiorum interpretum cœtus vniuersus. Neque enim à veteribus hæc res in quæstionem venit. Consentiunt tamen & hi peccatores ad satisfactionem obligatos manere post remissam culpam. Quod solum satis est, ad tuas imposturas dilucide manifestãdas, ad errorem tuum conuincendum, quo non veteris absolutos asserere, tam à pœna quàm à culpa liberos esse factos. *Episc.*

¶ Probaui enim superius satisfactionem, aut nullam requiri à Deo, aut prorsus irremissibilẽ esse ab homine quam requisierit, ideo indulgẽtias istas prorsus nihil esse. *Luth.*

¶ Nec probasti, nec probabis vnquam, nisi prius *Episc.*

& scripturas sacras, & interpretes omnes (quotquot præcesserũt) errasse docueris. Nihil hactenus opinor (quod ad hanc rẽ attinet) in hoc assertionum libello prætermissum à nobis est, cui non abunde satisfecimus, quin etiam ostendimus cum ex patribus orthodoxis, tum ex scripturis diludicis, peccatores sublato reatu peccati, nihilominꝰ ad pœnam teneri, quæ peccatis debetur actualibus, non vt tu videri vis, originali duntaxat. Sed & eam ostẽdimus esse remissibilem, tum aliis modis compluribus, tum per cõdonationes à summo concessas pontifice.

Luth. ¶ Sic enim Adæ & Heuæ omnibusque nobis impo suit laborem & mortem.

Episc. Inter Adæ peccatũ & nostrum plurimum interest. ¶ Plurimum interest, inter Adæ peccatum, quod is in paradiso commisit, & nostrum, quod videlicet ab eo contraximus. Illud nimirum in ipso peccatum actuale fuit, quum tamen in nobis originale solum dicatur. Cæterum ex eo perspicuum esse tibi potest, quod non protinus ablata culpa, tollitur & pœna. Neque enim dubito, quin Adam statim (vt resipuit) accepe rit culpæ condonationem. Veruntamen ea condonata nihilominus Adam remansit ad pœnam obligatus. Sed, inquis, hanc pœnam tollere summus pontifex haud potuit. Esto non potuit. Num igitur & cæterorum hominũ (quæ peccatis eorum actualibus debentur) pœnas auferre non poterit? Non consequitur. Nam satis apertum est eiusmodi pœnas, multis aliis modis deleri posse, qui tamen haud aliude vim habent quàm ex verbo Christi, per quod & indulgẽtiæ fulciuntur. Dissoluuntur enim illæ pœnę vel eleemosynarum largitione, quia dixit Christus: Date & dabitur vobis, vel fraternæ iniuriæ dimissione, quia dixit idem: Dimittite & dimittetur vobis, vel demum absolutione, quia dixit: Petite & accipietis. Et cur non identidem pontificis condonatione? quando & ab eodem Christo dictum est: tibi dabo claues regni cælorum: & quodcũque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

¶ Sic occidit & percussit multos in scriptura sancta pro peccatis. *Luth.*

¶ Verissime. Sed quid inde moliris? Si velis inde colligere, quod pœna peccatis debita dissolui nõ potest, sequeris tuam solitam dialecticam, quæ prorsus inualida est. Nam etsi multos pro suis peccatis afflixit Deus, quibus nulla pœnæ facta sit remissio, præter has tamen plurimi fuerunt, quibus animaduersionem hauddubiè remisit. An non ad preces Aaron (quemadmodum antè recensuimus) plaga vehementer sæuiens in populum cessauit? Et ad preces Mosis, num lepra sororis suæ post septem dies non fuerat curata? Et Dauid seipsum affligente (quum pessimis triduum esset in populum grassatura) num bidui vindicta sublata non erat? His nimirum exemplis & innumeris aliis, quæ passim in scripturis inueniuntur, clarissime patet pœnam peccatis debitam ad aliorum preces auferri posse. *Episc.* *Ad preces Aaron plaga cessauit. Num. 16.*

¶ Sic & Psal. 88. dicit: Si peccauerit, visitabo in virga iniquitates eorũ. Ideo merum figmentum est, quicquid de indulgentiis dictum, & creditum est. *Luth.*

¶ Ineptissima nimirum consequutio. Neque enim oportet ob id indulgentias merum figmentum esse, ꝙ nequeant inflictas à Deo pœnas absoluere. Alioquin foret & sacerdotalis absolutio merum item figmentum, quum neque ipsa virgam Dei semper auersatur. Et tamen ipse fateris eam nõ solum culpam, verumetiam pœnam auferre penitus. Deus enim, si peccator à nequitia sua resipiscens in semetipsum animaduertere studeat, paratus est, flagellum & virgam cohibere suam, id quod proximus eiusdem psalmi versus indicat: Misericordiam autem meam, inquit, non dispergam ab eis, vbi siue Hieronymus is fuerit, siue alius quispiam interpres, subiicit in hunc modum. Sicut diuina seueritas terret, arguente iustitia, ita pietas reparat, moderante clementia. *Episc.* *Nota quũ nõ sint indulgẽtiæ cõtemnendæ.* *Psal. 88.*

¶ Non enim papa potest hoc verbum Dei tollere. Damnent ergo psalmum istum, tum credam indul- *Luth.*

gentias aliquid esse.

Episc. ¶Esto papa nequeat hoc verbum Dei tollere. Sed neque sacerdos id potest, cui tamen tu tribuis, à pœna simul & culpa soluendi potestatem. Nihil ergo repugnat psalmus iste veritati indulgentiarum, sicut neque sacerdotali potestati contradicit. Neque potes ignorare profecto tu, qui toties euoluisse te iactitas ipsam bibliam, Deum sæpe destinatas animaduersiones propter pœnitudinem populi reuocasse clementer, & easdem etiam inflictas non raro subduxisse. Quo maior hauddubiè tua peruersitas est, & impudentia, quum ista proferas, aduersante conscientia tua. Nam tibi satis conscius es, te contra scripturas sacras ista palam asserere.

Luth. ¶Sed & Hebr. 12. docet Paulus nos à Deo patre disciplinari, & 1. Corinth. 11. iudicari & corripi à domino, ne damnemur.

Episc. ¶Sed & idem ipse Paulus, seipsum dissoluit quum dicit: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Nam iuxta Paulum, hoc loco iudicari, corripi est. Quia sequitur: Dum autē iudicaremur, à domino corripimur. Possumus igitur Dei correptionē vitare, si nosmetipsos diiudicauerimus, hoc est, si dignè liberata peccatorum nostrorum magnitudine, pœnitentes confugerimus ad misericordiam Dei. Sic enim per eleemosynas, per ieiunia, perque nostras ac aliorum præcationes, Dei flagellum præuenire possumus. Et inter hæc quid prohibet si verbo Christi, de condonationibus à Pontifice datis, vere confidamus, nec proinde segniores, ad opera bona reddamur. Quid inquam prohibet, quo minus hac humilitione nostra ad indulgentiarum susceptionem, etiam Dei flagellationem effugiamus? Nam idem qui promisit ob eleemosynæ largitionem, munditiam animi consequuturam, pollicebatur futuram in cælis condonationem, per eas venias, quas ipse Pontifex fecerit in terris.

1. Cor. 11. *Iudicari est corripi.*

Per indulgētias irā Dei effugimus.

Luth. ¶Et sanctissimus ille vicarius Dei in terris docet

se posse tollere, & remittere quæ Deus imponit, tam pulchrè conuenit cum principe & rege suo, sicut belial cum Christo.

Episc. ¶Nunquam desinis vbique strophas, & malignas cauillationes tuas inserere. Nusquā certe docet summus pontifex se posse tollere, quæ Deus imposuit, aut contra ipsius beneplacitum & ordinationem, ipse velle moliri quicquam. Veruntamen hoc ex Christi verbis, se polliceri cōfidit, nempè quod pœnam eam condonare posset, quam sacerdos arbitrio suo dignā censuisset, & quantam, vel ex canonibus, vel ex scripturis, æquam existimasset, quæ secundum iustitiam diuinam imponeretur. Et quid vetat, quo minus hāc pœnam summus pontifex condonare posset quam posset sacerdos culpam, pro qua debetur illa pœna? Et maximè quando tam absolute concesserit ei Christus, vt, Quicquid solueret super terram, esset soluturum & in cælis. Qui enim dicit quicquid, is penitus excipit nihil.

Nunquam non cauillis ludit Lutherus.

Luth. ¶Si tamen aliquid essent indulgentiæ, quid aliud quàm remissiones bonorū operum essent? Nōne remittunt satisfactiones? Quid autem sunt satisfactiones, nisi bona opera, bonæque passiones? vt etiā hac ratione pestilentiores fuerint indulgentiæ si aliquid essent, quàm nunc dum nihil sunt.

Episc. ¶Et hic peruersissimè cauillaris. Neque enim indulgentiæ sunt bonorum operum remissiones. Nam summus pontifex hoc non agit, vt qui suscipiunt indulgentias ob eas ad bene operādum fiant remissiones. Quin potius (vt cum tanto iam intelligant ære alieno sese liberatos, quo pridē erant pressi) alacriores inde reddantur, ad sanctè syncereque viuēdum. Nec intelligis (opinor) ipse, quum asseras vnumquēque curatum à pœna peccatis debita, suos absoluere parochianos, quòd à bonis eos absoluit operibus, aut quòd remittat opera bona. Cæterum quum ais, quod indulgentiæ satisfactiones remittunt. Falsum est. Nō enim satisfactionem vllam remittunt, sed obligatio-

Indulgētiæ nō sunt bonorū operū remissiones curat paro chianos à pœna peccatis debita soluit non à bonis operibus.

nem duntaxat qua peccator ad ſatiſſactionem tenebatur. Diuerſa nimirum ſunt obligatio ad pœnam, & ſatiſſactio pro pœna. Nam obligatio vinculum eſt. At ſatiſſactio non eſt vinculum, ſed vinculi magis ſolutiua. Quamprimum enim quis ſatiſſecerit, vinculum (quo tenebatur) abrumpitur. Soluit itaque ſummus pōtifex obligationem ad pœnam, vt iam nō amplius ad eam pœnam teneatur pœnitens. At ſatiſſactionem non tollit, quia poteſt nihilominus peccator (modo ita voluerit) ſatiſſacere, quanquam ad eam de cætero non obligetur. Verumetiam ſi fecerit eam, tutius & melius eſt facturus. Nam quemadmodum ante diximus error euenire nonnunquā poteſt, tam in eo (qui tales indulgentias largitur) quam etiam in eo, qui ſuſcepturus eſt eas, vt longe tutius, eandem ſatiſſactionem (ſi per ætatem & vires ei liceat) complere, quàm omnino prætermittere.

Diuerſa ſunt obligatio ad pœnā & ſatiſſactio pro pœna.

Luth. ¶ Quæ fraus ſceleratior, q̄ hominibus bona opera remittere, & licentiam dare pigritandi ſub ſpecie pietatis, ad pecunias tantum exugendas?

Epiſc. ¶ Si tantum ad pecunias exigendas, & non magis ad animarum vtilitatem aſpiciat is, qui largitur indulgentias, vereor ne perparum iſtiuſmodi indulgentiæ ſuſcepturis profuturæ ſint. Nam fidelis & prudens, in hoc negotio miniſter quiſpiam exigitur. Verum ſi priuatis affectibus remotis, animarum in primis commodo proſpiciat, auſim aſſerere, nullū ita ſcelus, aut fraudem ſubeſſe condonationibus, ſed plurimum iis profuturas, quicunque rite ſuſceperint eas, & maxime aduerſus ignis purgatorij cruciat°. Quod ſi quiſpiam ob eas licentius & negligentius viuat pontifex in culpa non eſt, ſed ille qui tam vtilibus, in malum ſuum abutitur. Neque enim pontifex, aut opera bona remittit (vt antè diximus) aut pigritandi licentiam dat cuiuis, quin potius hortatur, vt deinceps viuant circunſpectius, ne ſi denuo labantur, deterior euadat eorum conditio.

Salus animārū in largiendis indulgentiis vnicus debet eſſe ſcopus.

Luth. ¶ Reuoco etiam quod dixi eas eſſe de numero eorum quæ licent, hoc enim verum eſſet ſi aliquid eſſent. Quia quod non eſt præceptum nec conſultum, prorſus nec expedit, nec neceſſarium eſt, ſed merè licitum & arbitrarium.

Epiſc. ¶ Argutia iſta tua, mera quædam argutia eſt, & nihil habet ſoliditatis. Quod, inquis, non eſt præceptū nec conſultū prorſus, nec expedit, nec neceſſariū eſt. Non conſequitur. Nam vti ſuprà diximus, remiſſiones venialium peccatorum ne præceptæ ſunt, neque conſultæ, & tamē vehementer expedit, ac neceſſariū eſt, vt venialia peccata nobis remittantur, priuſquam hinc migrauerimus, alioq̄ propter hæc, hauddubie patiemur ignis purgatorij cruciatus. Quod ſimiliter & de reliquiis mortalium, haud dubito futurum. Nā ſi non prius illæ, ſiue per indulgentias, ſeu per alios modos expurgentur, ignis illius omnino perferemus grauamen. Quanquam igitur earum condonationes, in ſcripturis, neque præceptæ fuerint, neque conſultæ, neceſſariū tamen eſt (ſi vitare cupimus illius ignis concremationem) vt priuſquam hinc exierimus omnino condonentur nobis.

Epiſc.

Luth. ¶ At tales eſſent indulgentiæ. Nunc autem dico, eas eſſe de numero eorum, quæ fallunt & perdunt, quum ſint nihil niſi fraudes ſceleratorum ſanguiſugarum populi Dei.

Epiſc. ¶ Bona verba quæſo. Satis oſtendiſſe me puto, nō eſſe fraudes indulgentias, nec iis falli quenquam modo tam ille qui ſuſcipit, quàm qui largitur, vterque faciat animo recto. Si charitas magis, quā cupiditas moueat concedentem, & ſi ſuſcipiens non inde negligētior, aut ad peccandum audacior efficiatur, nihil ambigo, quin ad illum finem profuturæ ſint, quo fuerāt conceſſæ, hoc eſt, vt à pœnis purgatorij liberent. Neque ſolum id, verumetiam ad augmentum gratiæ conferunt, quando nemini cōceduntur, niſi propter opera aliquid, quo in ſe pietatem contineat. At proinde quærens indulgētias, ad boni operis exercitiū excitatur, quo & meretur nōnihil, dum fuerit in gratia. Sed

Indulgentias nō eſſe fraudes.

& fides eius etiam (quæ quum primis necessaria est) semp aliquid promeretur. Tantũ igitur abest, vt fallant indulgentiæ, vt & contra, magis profint, ac promoueant plurimum. Atque hæc sufficiunt, ad huius articuli confutationem.

ARTICVLVS XIX.

Luth. INdulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iustitiam.

Episc. Tres Euãgelij partes Luth. confundit. ¶Tres euangelij scripturas Lutherus, perinde ac si nihil omnino diuersitatis habuerint, velut vnam sæpe confundit, quum inter se tamen (nisi vehementer fallor) discriminis habeant plurimum, & longe diuersas in Ecclesia potestates insinuent. Prima est, quæ traditur Matt. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcũque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Altera est, quæ scribitur Mat. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Tertia vero penult. Ioan. habetur: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. De duobus itaque postremis loquamur primum. Illa profecto (quòd & manifeste patet ex iis, quæ circunstant) ad iurisdictionẽ Ecclesiæ, & ad forum, vt aiũt, publicum, spectat magis. Nam postquã dixisset Christus: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, ilico subiunxit: Amẽ dico vobis, Quæcunque alligaueritis super terram, &c. Quibus verbis hauddubiè potestatem dedit Apostolis, quatenus possent à cõmunione Ecclesiæ separare quemlibet, qui vel animo prorsus obstinato nolit Ecclesiæ decretis obtemperare. Sed illa Ioannis penult. planè spectat ad forum priuatum, & ad clàm ferendum in peccatorẽ iudicium pro suis admissis. Diuersæ ergo

Quodcunque ligaueris, &c.

Quæcunque ligaueris, &c.

Quorũ remiseritis, & cætera.

Quomodo explicandæ sunt dictæ scripturæ Matt. & Ioan. & quid inter se discriminis habent.

I.

sunt hę duę scripturæ, & ad officia prorsus diuersa pertinent. Sed & alterum adhuc discrimen adest, nempè quod illa ligandi potestatẽ tribuit, ista retinendi peccati facultatẽ. At non est idem ligare & retinere, quũ ligare sit recens vinculum iniicere, retinere vero potius sit, in eodem seruare statu quo pridem quisquam fuerat. Sed neq; Luthero prorsus idem est remittere & soluere. Sic enim in confirmatione articuli secundi scribit: Aliud est omnia peccata remitti, aliud tollit. Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit. Tertium insuper discrimen est, quod præter ingentem verborum discrepantiã, sit etiam in eis longe contrarius ordo. Nam in illo Matth. 18. de ligatione prius mentio fit, ac subinde de solutione. Sed in ista Ioannis, de remissione prius agitur, ac subsequenter de retentione. Non est itaque credibile quod eandẽ omnino facultatẽ per vtranque Christus voluit indicari. Sed vt recte credit Ecclesia, hæc in sacerdotes omnes competit, illa solos maiores, hoc est, episcopos, respicit duntaxat. Cæterum iam veniamus ad primam, nempe quæ scribitur Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis. Hæc profecto non minus ab illarum vtraque discat, quãm inter se dissideant ipsæ. Et principio patet inter hanc & tertiam interesse plurimum ob easdem rationes, quibus ostendebatur discrimen secundæ ad tertiam. Quum enim ex iisdem locis petitæ sint, simili modo conficiunt, ꝓhęc prima non potest à tertia non dissidere. Quamobrem hoc reliquũ est, vt quid inter primam ac secundam intersit iam exquiramus. Harum sanè veritatem superius articulo. 13. collegimus, tum ex eo, quod in prima fit mentio de clauibus regni cælorum, & vbique de cælis pluraliter. In secunda nec de cælorũ clauibus mentio fit, neque de cęlis alicubi, sed de cælo singulariter vtrobiq;. Quod certè discrimen Origeni, quemadmodum illic diximus, videtur

II.

III.

Insigne numeri discrimen, Tibi dabo claues, &c.

insigne,& ducit adnotandum.Sed istud item aduertẽ
dum est,quod in altera quidem distributio super plu
ralitatem cadit,in altera vero super singulare, quod
nemo non perspicit aliquanto latius esse porrectum.
Nam in illa dicitur:Quæcunque solueris,in hac ve-
rò:Quodcunque solueris. Ad hæc adde,quod solus
Matthæus vtranque nobis tradit,nec vllus Euangeli
starum,vllam de alterutra facit mentionem. Nec est
verisimile, quod idem Euangelista tanta verborum
diuersitate duas has sententiolas vno solo capite di-
stantes extulisset,si censuisset eas ad eandem omni-
no rem pertinere,& non variam in his exprimi pote-
statem.Huc accedit,quòd si Petrum Christus præpo-
suit cęteris,&ampliori voluit authoritate donari,(de
qua postea dicturi sumus) quis iam non facile discri-
minis huius rationẽ intelligit? Nempe vt prima qui-
dem propter potestatis amplitudinem (quæ ad om-
nes cælos extenditur)ad solum Petrum pertineat.Se
cunda vero quæ non vsqueadeò latè patet,sed ad v-
num duntaxat cælum,cæteros concernat apostolos.
Quoniam igitur diuus Petrus in suis successoribus
semper in Ecclesia repræsentatur, & in cæteris epi-
scopis Apostoli, quibus deinde subsunt sacerdotes,
quis non aduertet, ex iis compositissimum ordinem
in Ecclesia constitutum, & cuique pro suo gradu con-
gruam collatam esse potestatem? Nimirum vt infimis
liceat à reatu peccatorum absoluere, id quod Chri-
stianis apprimè necessarium est. Deinde mediis præ-
ter hæc in foro publico aperta crimina vindicare.
Summis denique præter hæc ex plenitudine supre-
mæ potestatis,tam iis,quàm illis pœnas debitas con-
donare. Atqui Lutherus nullum ordinem admittit,
sed rem omnium pulcherrimam, hoc est ordinatissi-
mam cuiusque status distributionem aufert ab Eccle
sia,confunditque prorsus omnia, sacerdotes Episco-
pis æquans, & plebem sacerdotibus, paremque mu-
lierculis cum summo pontifice tribuit potestatem.
Multo sanè rectius Ecclesia cum Euangelio consen-

Luth. indigestam Ecclesiæ molẽ struere conatus ordinatissimam cuiusque status distributionẽ tollit.

tit decorum in iis ordinem seruans. Nam quid ordi-
ne pulchrius ? & contra quid confusius esse potest,
quàm vbi nullus est ordo?Cæterũ Lutherus hæc ver-
ba(quæ Petro dixit Christus)multis modis extenua-
re laborat.Et primum,quòd eadem omnino conten-
dit esse,quæ cæteris dicta fuerãt Apostolis. At palàm
constat rem aliter se habere. Neque enim Christus,
quæ Dei virtus,& Dei sapientia fuit, quique nec iota
quidem protulit vnquam, absque iusta ratione,non
absque caussa credẽdus est toties in altera cælos in-
geminasse pluraliter,& in altera non nisi cæli singu-
lariter fecisse mentionem. Nec potest huius caussa
prorsus alia reddi,quàm quod in his, diuersum om-
nino potestatis gradum voluit designari. Rursum ex
hoc restringere molitur, quod Petri successorem af-
firmat nihil amplius ex iis verbis arrogare sibi posse,
quàm quòd horum authoritate pœnas per canones
inflictas tollere queat.Et hoc item longissimè dissi-
det à vero.Quod vel inde cõstare potest,quia prius-
quàm canones vlli fuissent conditi, Petrus hanc po-
testatem accepit à Christo. Non ergo propter cano-
nes(qui nõdum instituti fuerant)hac Petrum autho-
ritate donauit Christus. Liquet igitur quãta sit horũ
verborum amplitudo,& maximè quòd Christus nul-
lo potestatem istam limite coartauit, sed absolutã &
cum summa plenitudine cõtulit.Quid enim plenius
& absolutius dici potuit,quàm quodcunque ligaue-
ris & solueris?Quisquis enim hoc dicit,nihil excipit.
Nullum profectò vinculis genus hic eximitur. At
perspicuum est, obligationem peccatoris ad pœnam
pro peccatis debitam, vinculum quoddam esse. Sed
& illud ad rem haud parum confert,si diligenter ex-
quiramus,quánã occasione Christus hæc verba pro-
tulerit.Nam ex ea longe magis perspicuum erit quod
assertimus. Postquam enim Petrus palàm fuisset cõ-
fessus,Christum esse filium Dei,pro merito confessio
nis huius,audiuit à Christo vicissim ad se dictũ:Beat
es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuela-

Manifest. Lutheri error.

Tanta Petro pro fidei suæ cõfessione data potestas.

uit tibi,sed pater meus qui in cælis est.Fortassis arca num istud mysteriũ adhuc non fuerat cæteris omnibus reuelatum.Et si fuerat,solus tamen Petrus hoc iã ore suo testabatur.Propter quod & ei Christus subiũxit:Et ego dico tibi. Christus hauddubie cunctos interrogauit,quemnam se crederent esse? Sed quia solus Petrus confessionem hanc suæ fidei protulit,soli Petro Christus vicissim respondit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Quis aliorum quæso nomenclaturam hanc à Christo sortitus est quàm Simon,qui & dictus est Petrus?Solum ergo Petrũ iam alloquutus est Christus,quum nemo cæterorum vocatus sit Petrus. Et ego,inquit,dico tibi,quia tu es Petrus,&super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram,erit ligatum & in cælis. Et quodcunque solueris super terram,erit solutum & in cælis. Ecce pro merito suæ confessionis, hæc Petro dicta fuerunt, atque id etiam postquam Christus Ecclesiæ suæ meminit ædificandæ,atque aduersus inferorum portas stabiliendæ.Sed adhuc non desistet occursare Lutherus: Non potest,inquit,ex iis verbis inferri tam amplissima potestas.Neque enim latius extendi poterit solutio,quàm ligatio. Quamobrem ad ea duntaxat,quæ per Petrum ligata sunt,referri queunt & soluta. Sed & hoc falsum esse paucis monstrabimus.Nullus enim Petri successor,sed nec Petrus ipse,cuiusuis innocentis animum potuit alicuius delicti mortalis reum constituere. Potuit vtique Petrus leges condidisse,quas si quis contẽpsisset, transgressionis reus fuisset effectus.Verũ non tunc Petrus, sed transgressor ipse seipsum reũ constituisset,nimirũ qui sua sponte leges illas esset prætergressus.Sed Petrus, aut Petri successor,neminẽ facere potest reum alicuius peccati mortalis. Veruntamen Petri successor, id quod ipse nequaquã diffiteris,potest quẽque peccatorem à morta li quocunque delicto penitus absoluere.Latius ergo

Nemo cæterorũ apostolorũ vocatus est Petrus.

Cõfutatur ratio Luth. de æqua potestate ligãdi & soluendi.

Latius solu

solutionem,quam ligationem extendi,quis iam non perspicit?Nam ad lethalem vsque culpã solutio porrigitur.Sed non ad eam vsq; protenditur ligatio,quũ solus peccator sua spõte seipsum in culpa ligare queat.Verũ quidem est, vbi quis lethale facinus admisit, hunc Petri successor,anathematis vinculo(donec resipiscat)ligare poterit.At ipse iam peccator seipsum ante reum fecit,alioqui iuste ligari non potuit. Veruntamen (vbi ligatus est peccator) tum successor Petri,nõ modo vinculum anathematis, verumetiam culpæ nodum plane dissoluit.Quamobrem & latius patet solutio quę duplex vinculũ tollit,quàm ligatio quę solũvnũ.Cæterum quia tertiumvinculum adhuc relinquitur in peccatore, nimirum obligatio quædã ad pœnam pro peccatis debitam,& hanc explenitudine suæ potestatis, idem Ecclesiæ princeps & caput, nempe successor Petri, deleri potest. Alioqui mendacium(quod absit) fecisset Christus, qui nullo penitus excepto vinculo,pollicitus est illud in cælis omnino fore solutum,quodcunque super terram Petrus soluisset.Ex quibus nimirum & huius articuli deprehenditur error quo dicit Lutherus indulgentias his, qui veraciter eas consequuntur,non valere ad remissionem pœnæ,pro peccatis actualibus apud diuinam iustitiam debitæ.Sed iam de hoc satis.

tio q̃s ligatio accipitur

solus peccator seipsum in culpa ligat.

A vinculo absoluit Ecclesiæ princeps.

ARTICVLVS XX.

SEducuntur credẽtes indulgentias esse salutares & ad fructum spiritus vtiles. *Luth.*

¶Ego certe non dubito, quin multis profuerint ad fructum spiritus consequendũ. Quod & paucis ostendere conabimur. Nunquam indulgentiæ cõceduntur,nisi pro certo quodam opere, quod specie habeat pietatis. At eiusmodi opus quisquis præteritorum pœnitens,intuitu Dei fecerit, non potest non mereri,quum iam in charitate constitutus sit, & charitas(vt ait Augustinus)augeri meretur. Adde,quod *Episc. Indulgentias esse salutares.*

plerique ſpe conſequendi indulgentias, ſuos animos ad Deum leuant, ſeque ipſos digna pœnitudine, & confeſsione præparant, quo fieri valeant earum participes, quod ſane facturi nequaquam eſſent, niſi talium indulgentiarum conceſsione fuiſſent prouocati. Huc accedit, quod nõ ſit parui momenti ad fructũ ſpiritus, vel comparandum, vel augendum, fidei in Deum renouatio. Quũ igitur Chriſtus Petro, ſuiſque ſucceſſoribus fuerat pollicitus, quod ab omni vinculo poſſent abſoluere peccatores, accedit quiſpiã huiusverbi fiducia, qui ſe grauiſsimis ob ſua ſcelera cruciatibus obnoxium intelligit, condonationem à pontifice petiturus, nihil de Chriſti verbo prorſus hæſitans. Is hauddubie fidem renouat ſuam. Et quoniam ipſius fides, ante per ſacerdotis abſolutionem formata fuiſſet, oportet quòd iam non ſolum eius obligationis qua tenebatur ad pœnam, condonationem ſuſcipiat, verumetiam ampliorem apud Deum gratiam hauddubie promereatur. Porro gaudium (quod & alius ſpiritalis fructus eſt) dici reuera non poteſt, quãtum peccator ex indulgentiis conſequitur, quum intelligit ſeſe, non à culpa modo, verumetiam à pœnarum acerbitate peccatis ſuis debita penitus liberatum. Pacem vero quis exprimat quam peccator ſic abſolutus poſt ſuſceptas indulgentias, in corde conſcientiaque ſua ſentit, quæ nimirum omnem ſenſum exuperat. Sicque demum & ad cæteros ſpiritales fructus excitatur, ad longanimitatem, patientiam, benignitatem, bonitatem, manſuetudinem, & temperantiam. Falſum igitur eſt, quod ſeducuntur credentes indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus fructum ſalutarem. Sed dicet forte quiſpiam, maior pars hominum ob eas licentius viuunt. Non reclamo. Sed idem faciunt identidem, ob immenſam clementiam Dei, & ob ſummam ipſius ad miſerendum pronitatẽ. Quid ergo? Dei clementiam damnabimus? Haudquaquam, ſed miſeros & ingratos peccatores, qui tanta

Indulgẽtiæ ad fructum ſpiritus fideiq; reuocationem ſunt vtiles.

Vtilitas indulgẽtiarũ.

abutuntur clementia. Neque ſecus hoc loco facere quempiam decet. Neutiquam inceſſere conuenit indulgentias, ſed ipſorum peccantium malitiam, qui ſæpius araneorum more, venenum illic hauriunt, vnde ſalubrem ſuccum haurire potuiſſent. At hæc ſufficiunt pro articulo.

ARTICVLVS XXI.

INdulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodo & impatientibus. *Luth.*

¶Nos cunctis peccatoribus (qui pœnarum debitores fuerint) neceſſarias eſſe non ambigimus nedũ publice criminoſis. Cæterum quoniam articulus iſte nullam habet probationem, hic operæpretium erit Lutheranis obiectionibus reſpondere, quas opponit aduerſus tria, quæ quidem ſtatuere moliti ſumus ſub articulo 17. quum primum de indulgentiis loqui cœperimus. Primum erat, manere, vt plurimum poſt deletam culpam, pœnæ cuiuſdam obligationem pro peccatis. Secundum erat, quòd ea pœna tolli poteſt per indulgentias à ſummo pontifice conceſſas. Tertium quod nihil ex eo diuinæ iuſtitiæ derogabitur, quum abunde reſarcietur ex Chriſti ſanctorumque meritis, quicquid ex pœnæ perſoluendæ taxa, peccatori defuerit. Hic Luther. primum in reſolutione ſua, de virtute indulgentiarum concluſione 5. nobis occurrit. Sex pœnarum genera commemorans, primam gehennæ, ſecundam purgatorij, tertiam, quam appellat voluntariam & Euangelicam, quartam, quæ Dei virga peccãtibus infertur, quintam, quæ per canones infligi ſolet, ſextam, qua licet nolit agnoſcere, tamen diſceptandi gratia figit, vt eam improbet. Primã aſſerit in ſummi pont. poteſtate non eſſe, quòd & vniuerſam Eccleſiam opinari conſtãter affirmat. At iſtud nõ vſquequaq; verũ eſt. Facile quidẽ aſſentior ſummũ pont. nõ poſſe quempiam à gehennę pœnis eri-

Epiſc. Cũctis peccatoribus neceſſariæ indulgentiæ.

Tria cõtra quæ Luth. agit.

Sex pœnarũ genera.

Prima.

pere, postquam eis semel per mortem addictus fuerit. Verum ante mortem (quandiu quis hic vixerit) sicut eum Pont. à culpa potest absoluere, ita potest & à gehennæ pœnis liberare. Alioqui possunt & inferorum portæ aduersus Ecclesiam præualere. Sed neque staret aliud Christi promissum, nempe: Quorum remiseritis peccata, remittũtur eis. Secũdã verò (quæ est purgatorij) similiter asserit, nullius hominis subesse potestati. In quo similiter eum errasse non dubito. Tum quia certum est, plerosque diuorum sic in terris vixisse, vt pœnas illas (postquam hinc discesserint) euaserint penitus. Tum, quod vbi maior illa potestas Ecclesiæ cõceditur, nempe liberandi pœnitentes ab æterna gehennæ pœna, multo magis ea non deerit, quæ à temporaria purgatorij pœna posset eripere. Tertiam subinde, quã voluntariam & Euangelicam vocat, dicit, nec licere pontificem tollere. Quoniam hæc (vt ait) præcepta fuit à Christo. In qua re profecto (nisi toties eam expertus fuissem) demirarer plurimum hominis inconstantiam, quippe qui secum in hac parte vehementer pugnat. Quod vt palam fiat, oportet hic recẽseamus quæ locis aliis de hac pœnitentia disseruerit. Vult nimirũ hanc voculam ex Græco verbo μετάνοια traductũ esse & μετανοεῖν nihil aliud esse q̃ resipiscere, aut vt expressius dicat, trãsmẽtari. Propter quod & aliquando pœnitentiã optimã asserit nouam esse vitam, aliquando vero nõ sufficere nouã vitam, sed etiam oportere foris operari varias carnis mortificationes, pro qua re diuum Paulũ adducit quem ait præcipere ad Ro. 12. vt corpora nostra offeramus hostiam viuentem, sanctam Deo placẽtẽ. 2. Cor. 6. quòd exhibeamus nosmetipsos in multa patientia, in ieiuniis, & vigiliis, &c. Et Christum citat Mat. 5. 6. qui docet ieiunare, orare, eleemosynas dare, & hæc omnia tenet esse præcepta, Nõnunquã tamen affirmat opera nostra nihil omnino valere, sed solam cuique sufficere fidem. Atqui iam cum homine cõgrediamur. Si præceptum sit Luth. Pœnitentiam agite.

Secunda.

Tertia. Luth. incõstantia.

Pœnitentia Luth. quid sit.

Quibus quæso præceptum est? Aut iis, qui gratia carent, & vitæ nouæ non sunt adhuc participes? Aut iis qui nouam habent vitam? At non istis, hoc recte mandari videtur, quippe quum iam ipsi vitam habeãt nouam, neque potest ad eos apte dici, transmentemini, seu mentem aliam habeatis. Habẽt enim ipsi bonam mentem & vitam bonam, neque possunt hanc mutare, nisi iam ex bona prauam faciant quod opinor, nolis, facerent. Sed hoc forte velles, vt se meliores quotidie redderent. At hoc nescio, an tuæ doctrinæ conueniat, qui libertatem arbitrii negas. Neque certe istud μετανοεῖν est, hoc est, quemadmodum tu ais, sensum alium & mentem induere. Superest igitur, vt nõ iis qui iam mutati sunt, dicatur, illud tuũ μετανοεῖτε, hoc est, transmentemini, sed illis, qui vitæ nondum facti sunt participes. Ad quem modum (haud tibi valde repugno) si dixeris Christum, Ioãnemque Baptistam, & Petrum in Actis apostol. fuisse locutum. Eis autem isti sunt locuti, qui nondum gratiæ fuerant participes, non autem illis, qui iam vere fuissent vitam ingressi nouam. Quamobrem nec omnib⁹ hoc dictum fuit Christianis, nedum non præceptum fuerat. Credo tamen alibi commonefactos à Paulo Christianos, quatenus carnem suam crucifigant, hoc est vitiis carnis repugnent, nec sic tamen, vt iis verbis ad perpetua ieiunia Christiani teneantur, aut non liceat quibuslibet vesci, modo temperanter idipsum fecerint. Nam alioqui certe periret Christiana libertas, quam ipse tantopere prædicas. Sed quid moror? Apertissimum esse cunctis potest, vel non cadere mortificationem sub præcepto, vel non adeo carere, vt in se quisque tantam exerceat, quantam sua caro ferre posset. At sufficiet tantam agere, quanta satis fuerit, ne superetur à vitiis. At hæc mortificatio tam iis qui leuissime peccauerunt, quàm illis qui in maxima sunt prolapsi scelera, communis est, & ab illis plerunque rigidior exigitur, quum sint adhuc viribus integri, membraque simul habeant viuidiora. De cæteris verò, cũ

Quibus dictũ sit pœnitentiam agite.

Carnis mortificatio non cadat sub præcepto.

sint ob suas priores intemperantias confracti magis, & viribus amplius exhausti, mitior carnis requiritur cruciatus. Sed præter hanc, certum est, vti superi° docuimus, modo sacris & literis & interpretib° fides adhibenda sit, maiorem pœnitentiam à sceleratis expoſci debere, cum nulli sit rationi consentaneum, vt iis, qui minimum & qui plurimum deliquerint, ad paria iudicentur. Huc accedit, ꝙ hæc mortificatio carnis, quam Luth. vocat pœnam euangelicam, solum respicit cautelam futurorum, hoc est, ne peccator quisquã relabatur ad vitia. Verum hæc, de qua iam loquimur, prioremvitam spectat magis, nimirum vt pro pristinis peccatis hac pœna satisfiat Deo. Et hęc est (quam opinamur in manu summi Pon. esse) vt infra latius dicemus. Sed hactenus pro tertia pœna. Quartam ait esse flagellationem à Deo missam, de qua Psal. 88. scriptũ est: Si deliquerint filii eius, & legem meam non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Et ad Heb. 12. Flagellat omnem filium, quẽ recipit. Et hanc affirmat in manu Põ. non esse. Neq; nos admodum reluctamur. Cæterum quod ait, eam tolli posse, per impositionẽ aliarũ pœnarum, abs lectori cupimus annotari. Ad quod & Ninuitarum exemplum introducit, qui per pœnitẽtias suas humiliter sese affligentes, meruerũt auertere flagellum subuersiõis vrbi comminatum suę. Hic illum percunctarer, an cum hoc meruerint, erant in gratia, an gratiæ tum expertes? At istud si dixerit, iam non sibi cohæret, quum sub articulo. 6. doceat omnem eiusmodi contritionem, quę paratur ex detestatione peccatorum, ponderando eorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, hypocritam facere vnumquemque, & magis, quàm prius erat, peccatorem cõstituere. Sin illud asseruerit potius, non effugiet tamen, quin iis pœnis ita satisfecerint Deo, quatenus eius indignationem penitus amolirentur. Adde, quod nec dubiũ est, quin hę pœnę plusquã euãgelicæ fuerãt, & supra q̃ exigebatur ad euangelicã illã, alioqui (cum sit hæc

Mortificatio carn. cautela futurorũ pctorum.

Castigatio carnis, satisfact. ꝙ pctis præteritis.

Quarta.

Attende lector.

Ionæ. 3.

iuxta tuam opinionem cunctis præcepta) magno discrimine viuimus omnes, cum neminem reperies, qui more Niniuitarum tantam indies agat pœnitentiam. Verum hoc oportet, si tamen illa præcepta fuisset. Perspicuum inde nobis esse potest, aliam pœnam hãc fuisse, quàm solam euangelicam, & est ea nimirum, quam satisfactoriam vocam°, & ad quam peccatorem obligari credimus, protinus vt à culpa soluitur, & ab æterna gehennæ pœna. De quinta vero pœna, quam canonicam illevocat, nihil moror in manu pontificis esse, quãquam demirer Lutherum, hoc pontifici permittere, vt quod Ecclesia tota decreuit, hoc ipse posset, vel tollere, vel moderari. Nam si hoc posset, non est ambiguum, quin illius authoritas, aut totius Ecclesiæ potestatẽ superabit, aut æquabit saltem. Id quod Lutherus (sat scio) nullo pacto sit admissurus? Cæterum quid si canones isti nunquam fuissent instituti? Num propterea nullam pontifex habuisset authoritatem? Neque enim credibile est, propter solos hos canones (qui nondum erant conditi) potestatem tantam à Christo, quantam supra memorauimus, illi fuisse tributam, & tamen ad harum pœnarum remissionem, Lutherus contrahit summi pontificis potestatẽ. Non enim (inquit) priores quatuor potest remittere, & quam aliam ergo remittit nisi canonicam? Sed non hic illi respondebo, quemadmodum ipse respondet sibi, facile cuique fuerit suas ipsius responsiones diluere. Dixi pridem, obligatũ esse peccatorem ad pœnam suis peccatis debitã, postq̃ sibi culpa dimissa fuit. Et hanc aio, põtificem remittere posse, cum cuiuslibet spiritalis vinculi soluendi susceperit à Christo potestatem. Superius enim haud semel ostendi, culpam momento posse tolli, sed tamen orthodoxorum omnium sententia, posthac manere pœnæ debitum. Sed hic Lutherus calumniatur, pontificem mutare iui diuinum, & id relaxare, quod iustitia diuina inflixit. Et quid ni mutet ius diuinũ, cui iuris diuini mutandi sit concessa potestas? An non iure diuino quis-

Alia solæ euang. pœna quæ satisfactoria dicit.

Quinta.

Culpa sublata, pœnæ manere debitum.

Nota mutationem diuini iuris.

Universidad de Deusto Biblioteca

quis re' peccati mortalis fuerit, æternas luet pœnas? Et tamen pontifex hunc & à reatu, & ab æterna pœna liberare potest. Quid ergo prohibet, quo minus posset temporariam pœnam (quæ secũdum diuinam iustitiam peccatis debetur) auferre, quum eterne pœnæ reatum & debitum ante sustulerit? Facetiis quoq; Lutherum nõ pudet in re tam seria ludere. Nam ait, Christum dedita opera restrinxisse clauem ad terrã, futurum sciens, quod perforaturi alioqui essent omnes cælos. Atqui ludat vt velit, nobis est satis, si quicquid super terram soluerit pontifex, hoc in cælis fuerit solutum. Hoc promisisse Christum nemo Christianus poterit inficiari. Quamobrem confiteamur oportet, summi pontificis authoritatem latius protendi, quàm ad solas pœnas canonicas auferendas. Ad illas nimirum quę pro peccatis debentur, si nulli canones fuissent. Nemo enim tam cæcus est, vt non videat iure ipso pœnas deberi peccatis, tametsi canones nũquam fuissent instituti. Nam ob id solum canones à patribus excogitabantur, quatenus ex eis conijceret sacerdos, quantam cuique peccato pœnam imponeret, quæ certe pœna (vel si nunquam fuissent canones) iure debebatur. Et hęc nimirum est sexta pœna, quam Lutherus agnoscere non vult. Nam hęc neque æterna pœna gehennæ est, neque purgatorii temporaria, neque ea quæ per Dei virgam infligitur. Sed neque illa est, quam Lutherus vocat euangelicam. Nam ea non est peccatis prioribus debita, sed ad caute lam duntaxat futurorum spectat. Neque est sola canonica, quandoquidem (si canones nullivnquam fuissent) ipsa nihilominus fuisset debita. Cæterũ, quas rationes alias complures in eadem conclusione producit, eas etiam diluamus erit necesse. Primum obiicit, quod nulla authoritate scripturæ, doctorum canonum, aut ratione probabili, potest doceri, talem esse aliquam pœnam. Et vehementer absurdum esse dicit, quod in Ecclesia quicquam doceatur, cuius nec in scriptura, nec in doctoribus, nec in canonibus, nec

Quare canones excogitati.

Sexta.

Euangelica pœna cautelã duntaxat futurorum respicit.

que saltem rationibus potest caussa dari. Hæc Lutherus. Cui respõdemus his omnibus modis peccatorem ad pœnam teneri satis abunde superius fuisse monstratum. Et nisi vereremur prolixitatis tædio lectorẽ afficere, multo plura superessent quæ producerem'. Nonnulla tamẽ (ne quis putet scripturas in hoc negotio deesse) superiorib' adiiciemus. In Leuitico sic scriptum est: Anima quę iurauerit, & protulerit labiis suis, vt malì quid faceret, vel bene, & non fecerit, & illud ipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitaq; postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnum de gregibus, seu caprã, orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Ecce quomodo non sufficit ingemiscere, & (quemadmodum tu dicis) à peccatis resipiscere, sed oportet insuper agnum aut capram offerre, quod est satisfacere pro peccato. Nam iubet Moses, vt non solum pœnitẽtiam agat, verumetiam offerat alterutrũ horum pro peccato. Cæterum inquies fortasis, idem esse pœnitentiã agere, & hoc offerre. Si velis ad hunc modum cauillari, saltẽ istud respõdeas quæso. Num post impartitam peccatori gratiam, hoc offerendum putes? An prius, quàm sit factus gratiæ particeps? At non opinor tuæ doctrinæ conquadrare, vt dixeris hoc sacrificium ante gratiam Deo gratum fore. Sin ergo dixeris id post gratiam offerendum, tum erit dilucidum, non ad culpæ condonationem (quæ iam facta est) hoc pertinere, sed ad satisfactionem potius pœnæ culpæ debita. Rursum in Daniele traditur, quum Nabuchodonosor audierat somnii sui terribilem expositionem, Daniel ei mox cõsulit, vt eleemosynis peccata sua redimeret. Tum enim (si tamen Augustino credimus) facti sui pœnitens erat. Sed & Hieronymus super Danielem idem affirmat, & insuper quod dilata fuit in eum sententia, per menses duodecim. Tam diu enim expectauit eum Deus ad satisfaciendum pro peccato, quàm si facti pœnitens erat, ubi fuit etiã in gratia. Ad quid igitur attinebat eleę-

Respõdetur cauillis Lut.

Testimonia scripturarũ, quæ docent pœnam peccatis deberi.

Leuit. 5.

Satisfacere oportet pro peccatis.

Daniel. 4.

mosynis peccata redimere, nisi per satisfactionis mo-
dum? Sed ex nouo quoque testamento, quæris testi-
monium. Audi primum Ioãnem Baptistam, qui quum
turba minis eius esset territa vehementer, & rogasset
eum, quidnam essent facturi, respondit: Qui habet
duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, si-
militer faciat. Hæc opera quæ fieri iussit, nimirum el-
leemosynæ fuerunt, & eadem extra charitatem fa-
cta, nihil (tua sententia) profuerunt. Quamobrem
quum post resipiscentiam iniuncta fuerant, palam
est ad satisfactionem pertinere. Similiter & Paulus,
gaudere se dicit, quòd tristati fuissent ad pœniten-
am Corinthii. Et laudat eam tristitiam quę secũdum
Deum est, nimirum quòd ipsa pœnitentiam in salu-
tem stabilem operatur. At si tristitia quæ secundum
Deum est, pœnitentiam operatur, prior adsit (oport-
tet) ipsa tristitia cordi, quàm pœnitentia, quæ per ni-
stitiam efficitur, quum effectum caussa sequatur num
quam, sed præcedit magis, tristitia ergo hæc (quæ pœ-
nitentiam in salutem stabilem operata fuit) aut erat
absque gratia, & iamvides eam non fecisse illos hypo-
critas, aut magis q̃ antè fuerãt, peccatores, quod ipse
tamen asseris in artic. 6. Aut erat sub gratia, & iã pœ-
nitẽtia quę subsequitur, quid aliud erit q̃ pro poena
peccatis debita, nonnulla satisfactio? Nam intelligis,
quæ proxime sequũtur. Ecce enim hoc ipsum, secun-
dum Deum contristari vos, quantam in vobis opera-
tur solicitudinem, hoc est studium emendandi, quod
reliquistis, defensionem: hoc est, secundum Hiero. sa-
tisfactionem præcepti. Sed indignationem nimirum
in vosipsos, pro malis, quæ gessistis. Sed timorẽ, ne se-
mel quidpiam in futuro vobis cõtingat. Sed deside-
rium in melius proficiscẽdi. Sed æmulationẽ prestan-
tiarum virtutum. Sed vindictam, hoc est, castigatio-
nem vestri pro peccatis. Si quis ad hunc modum vel-
let ab exordio scripturarum cuncta recensere, qui-
bus continetur, post dimissam culpam remanere pœ-
nam peccatis debitam, non pusillus profecto liber-

Lucæ. 3.

Quantis patriarcharũ et sanctiss. virorũ exemplis probat pœnã pctis debitã manere.

prodiret. Nam vt à primo homine Adam incipiamus,
quis dubitare potest illum (qui tanta fuerat sapien-
tia præditus) post offensam statim resipuisse? Neque
tamen ilico fuerat à poena peccato suo debita libe-
ratus. Quid Moses & Aaron, quibus in poenam, aut
fastus, aut incredulitas suæ, non erat permissum, vt
populum Iudaicum in terram promissionis induce-
rent? Num credis eos diu ante non fuisse reconcilia-
tos in gratiam? Remansit tamen in vtroque poena
peccato debita. Sed & Maria Moseos soror, quis ãbi-
git, quin à murmure contra fratrem suum concepto,
resipuisset? & cum Deo fratreque suo rediisset in gra
tiam, veruntamen in peccati poenam & satisfactionẽ
septem dies leprosa permansit. An nõ fratres Ioseph,
diu postquam huncvendiderant, poenas facti sui de-
derunt in Ægypto? vt & Ruben clamaret: Merito hęc
patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Et ta-
men credibile non est patriarchas tãtos, nunq̃ inter-
ea poenituisse, neq; culpam eis fuisse dimissam. Quid
Hely memorem? Qui cum audierat à Samuele negli-
gentiam suam acerbe puniendam, patienter respon-
dit: Dominus est. Quod bonum est in oculis suis fiat.
Hæc tanta suæ voluntatis ad diuinam voluntatem
conformitas non me sinit vt credam, quin cito poeni
tuerit. Veruntamen poena nihilominus subsequuta
est. Neq; enim iam in eius, vtpote senis, potestate fue
rat correctio filiorum, aut fortassis & ipsi iam emen-
dati fuerũt. Sed & Dauid, de quo supra diximus, post
quàm intellexit adulterii culpã sibi fuisse remissam,
non destitit tamen in seipsum animaduertere, multo
seuerius, quàm exposcebat illa, quam euangelicam
poenam Lutherus vocat. Afflictus sum (inquit) & hu
miliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.
Et paulo post: Quum ego in flagella paratus sum,
& dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam
iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro
peccato meo. His confine est, quod Azarias rex,
qui & Osias dictus est Ananię regis filius, qui quòd

Num. 20.

Num. 12.
Gene. 13.

1. Reg. 2.

Psal. 37.

2. Par. 31.

patris vestigia bona sequutus fuisset, in scripturis lau
datur, quod tamen incēsum adoleuerit, offensam Dei
grauem incurrit, ob quod & lepra percussus, ita per
mansit adusq; diem obitus sui. Verisimile tamen est,
& hunc pœnituisse, quia iam perterritus templū ex-
iit properanter, & in domo seorsum habitauit, relicta
filio suo regni sui gubernatione, cæterum pœna pec
cato debita non relaxabatur. Eodem pertinet, quod
Ezech.39. Ezechias rex, (tametsi culpa fuisset ei remissa) non ta
men eius peccatum, omni penitus caruit punitione.
Lucæ.1. Multa prætereo. Neque tamē alienum est ab hoc ne-
gotio si referamus, quod Zachariæ prophetæ conti-
git. Quis credat enim (cum esset vir sanctissimus) nō
suæ protinus incredulitatis pœnituisse, ac in gratiam
cum Deo rediisse? Non fuit tamen sublata pœna mu
titatis inflictę, priusquam filius ei natus fuisset. Vides
igitur in omnibus iis scripturis, apertum esse, quōd
pœna quædam peccatis remansit debita, quanquam
culpa pridem remitteretur. Sed & Paulus, quid (te
2.Cor.2. quæso) donauit illis, qui inter Corinthios peccaue-
runt? Neque enim de solo illo, qui paternum polluit
thorum (vt ait Hieronymus) iam loquutus est, sed &
de cæteris pluribus. Quid inquam aliud eorum cui-
uis donauit Paulus, quàm remissionem pœnę? Fuit e-
nim fornicator ipse iam in charitate cōstitutus & gra
tia, quod & Paulus ipse testatur, quum ipsos Corin-
thios moneat, vt cōfirment in illo charitatem. Neque
enim confirmare potuerunt quod non erat. Condo-
nauit itaque Paulus, non culpam (quæ cum charitate
non cohabitat) sed pœnam, quæ certe peccatis debi-
ta superfuerat. Sed hactenus pro scripturis. Iam quid
patres in eadem re testentur, memorabimus. Et præ-
dictis nimirum scripturis atque aliis id genus pluri-
mis, orthodoxi patres compertissimum habuerūt, in
peccato præter reatum, pœnam insuper peccato de-
bitam contineri. Propter quod & asserūt, cordis con
tritionem, & oris confessionem haudquaquam suffi-
cere, sed operis præterea satisfactionem requiri. In

Condonauit Paul. Cori. nō culpā, sed culpæ pœnā.

Suffragia patrū, quæ pœnā similiter pctis deberi docent.

corde (inquit Chrysostomus) contritio, in ore con-
fessio, in opere tota humilitas, hæc est perfecta & sa-
lutifera poenitudo. Sic enim ait sermone de poeni-
tentia. Sed quid vnicum ex patribus hic memorem?
Quando superius aduersus articulum quintum non
solum Chrysostomum, verumetiam Ambrosium, Au-
gustinum, Gregorium, Origenem, Leonem primum,
Hieronymum, Cyprianum, & Cassianum, huic subscri
psisse monstraui. Quorum sententias si Lutherus i-
gnoret, quanta est hominis inscitia? Quod si norit,
quanta est eius impudentia, qui tot sanctissimis, eis-
demque doctissimis patribus contradicere veretur,
palamq; negare, quod nec per scripturas, neque per
doctores posset ostendi aliquam eiusmodi pœnā pec
catis esse debitam. Id quod facit conclusione quinta,
inter resolutiones de virtute indulgentiarum. Cæte-
rum præter hęc, quanquam nemo non videat, quàm
id sit identidem rationi cōsentaneum, tamen quia Lu
therus eodem loco negat rationem probabilem af-
ferri posse, neque istud prætermittemus. Sed experie
mur, an id posset ratione quoque doceri. Quisquis
iustitiæ rationem digne perpēdit, mox intelliget cul
pam haud aliter, quàm per iustā poenæ sumptionem
& dationem ordinari posse. Nam hoc ad iustitiam ve-
re pertinet, vt si quid in eam sit commissum, id haud-
quaquā inultum remaneat, sed per iustam vindictam
in ordinem redigatur. Legat quisquis velit Platonem,
legat Aristotelem, aut cæteros philosophos, qui de ra
tione iustitię quicquam tradiderunt, & omnino repe
riet apud hos necessarium esse, vt qui contra legem
commiserit, poenas luat, neq; aliter ex iniusto iustus
iterato fieri posset. Id quod & D. legislator Moses nō
ignorauit, cum dixit: Pro mensura peccati, erit & pla Deut.25.
gārum modus. Quem locum Origenes super Nume.
disserens, homil.8. dicit in hunc modum: Si peccator
sum, nunquid eadem erit mihi poena, si semel pecca-
uī, quæ si secundo, & tertio, ac frequentius peccem?
Non ita erit, sed pro modo, & numero, & mēsura pec-

Apoc.17. Benefactis præmiũ, malefactis supplicium iustitiæ decor p̃soluit.

cati, etiam pœnæ quantitas metienda est. Quapropter & in Apocalypsi traditum est: Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Sicut igitur ad iustitiæ decorem spectat, vt pro benefactis probi, iustum suscipiant præmium, ita & p̃ noxis improbi pœnas dent commeritas. Neque seruatur iustitiæ pulchritudo, vbi quisquam absque condigno supplicio, leges impune violare finitur. Nõ abhorret igitur à recta ratione, imò quadrat plurimum, quod quum ex immensa clementia sua Deus ad culpæ condonationem sit vsqueadeo propensus, vt vel propter intensum cordis gemitum peccatori protinus ignoscat, expectet nihilominus ab eo pœnam, & iustum pro delicti qualitate supplicium, cuius ipsa vel in hac vita, vel in purgatorio luendi, post remissam culpam manet omnino debitor. Cæterum, vt etiam ex canonibus rem istam comprobemus. Negat enim Lutherus, & ex eis hanc rem doceri posse.

Suffragia canonum. De pœnitẽ. dist.1.c. porro.

Sic de pœnitentia distinctione prima, cap. porro de peccatoribus loquens dicit, quod si sui iudices fiant, & veluti suę iniquitatis vltores, hic in sevoluntariam pœnam seuerissimę animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabũt ęterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis contritione fluentibus, extinguẽt æterni ignis incendia. Et eadem distinct. sic scriptum est: Vide benignum dominum misericordiã cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta & clementi deliberatione pensantem, & ideo non imperpetuum tradidit pœnę delinquentes, sed quanto, inquit, tempore seruierunt cusarsaton, hoc est octo annis, disce & hoc, ó tu auditor quisquis ille es, qui tibi conscius es alicuius erroris, & quanto tempore errasse te nosti, & quanto tempore deliquisti, tanto nihilominus tempore, humilia teipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ. Non expectes vt humiliet te cusarsaton, & inuito necessitas extorqueat pœnitentiam, sed ipse præueni ipsius tortoris duritiam, quia si teipsum emendaueris, si teipsum corre-

xeris, pius est dominus & misericors, qui vindictam temperet ab eo qui illam pœnitendo præuenit. Et rursus, de pœnitẽtia dist.3. productior, scriptum est: Productior est enim pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentiæ, temporaliter detinet hominem pœna, quem iam ad damnationem æternam reum nõ retinet culpa. Ad hæc. xxxvi. questione septima, pro qualitate, citatur octaua synodus, ad hunc modum: Pro qualitate delicti, tempus pœnitentiæ impendatur. Multa sunt in canonib° id genus alia, quibus mõstratur aperte, manere pœnæ debitum, postquam remissa fuerit culpa. Sed iis omnibus Luth. non permouebitur, quin potius obiiciet, à nullo hominum pœnas illas (de quibus tot exempla protulerim) auferri potuisse. At quid si nemo hominum potuisset eas auferre, palam tamen est eiusdem generis poenas (quæ partim erant intentatæ, partim inflictæ) condonatas fuisse. An non ipsi Niniuitæ (quibus vrbis suæ comminatum fuerat excidium) per ieiunii tamen & pœnitentiæ seueritatem, hanc abs se cladem auerterũt? Et Nabuchodonosor si Danielis fuisset consilium sequutus, hoc est, eleemosynis peccata redemisset, vitasset & ipse flagellum in se destinatum. Sed & si decem iusti fuissent in Sodomis reperti, qui pro peccatis orassent, non ignem & sulphur pluisset Deus, super vrbes illas. Quid Achab & Manassen reges alioqui sceleratissimos memorem? quibus tamen ob suam pœnitentiam ignouit Deus, nec in eos animaduersionem, quam meditabatur exercuit. Sed hactenus p̃ pœnis intentatis. Iam pro iis quæ cœptæ sunt infligi. Nunquid ira Dei in Hebrẽos sęuiente, nõ profuerũt preces Aaron aduersus plagam, qua tam seueriter erant illi percussi? Obtulit enim (vt Num.16. scribitur) Aaron thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes, deprecatus est pro populo, & cessauit plaga. Sed &

Citius Herculi clauam extorqueas, q̃ Lutheri pertinaciam Ionæ.3.

Daniel.5.

Gene.18.

2.Reg.vlt. Dauid (cum esset triduana pestis in populum, quem numerari fecit, immissa) num tam acerbe seipsum nõ afflixit, vt diem vnum duntaxat, ea clades durauerit? Multa sunt eiusmodi in scripturis, non solum veteris, verumetiam noui testamenti (nisi prolixum nimis fuerit omnia recensere) quibus dilucidum esse potest, poenas à Deo vel intentatas, vel inflictas per poenitentiam, & ieiunia, perque piorum preces, & per eleemosynas auferri posse. Quo fit, vt etiam alterum Lutheri argumentum parui momenti sit. Sic enim argutatur secũdo loco: Si (inquit) esset talis pœna aliqua, non tamen ad remissionem papæ pertineret, quum sit voluntaria, & vltra canones imposita, imò non imposita, sed sponte suscepta. Verũ hic haud recte colligit. Neque enim poena (de qua iam agimus) haud est adhuc per sacerdotis arbitrium iniuncta, aut ab ipso poenitente sponte suscepta, sed ipsa est, quæ iure peccato debetur, & ad quam peccator obligatus remanet, siue sacerdos eam iniunxerit, seu non iniunxerit, & hanc nos asserimus Petri successorem, authoritate pollicitationis per Christum Petro factæ, posse condonare. Quod autem dicit, per tertiã & quartam abunde satisfieri diuinæ iustitiæ, secundum mensuram, quam nouit Deus. Certe quãtum ad quartam attinet, multa differt Deus in aliud vsque seculum, neque semper hic ad vnguem vsque castigat. Sed neque tertium poenæ genus respicit peccata, quæ præterita sunt, sed pro futuris duntaxat adhibet cautelam. Porro quod subiungit, nempe ꝓ non legitur vspiam De⁹ aliquam requisiuisse, nisi tertiam aliquando & quartam. Quid si non legatur? non propterea consequitur, vt nulla sit. Hunc argumentandi modum ostendimus esse tibi consuetum, quem omnis dialectica clamat inualidum esse. Sed plane falsum est quod asseris. Nam quum apud Iohelem legitur: Conuertimini ad me in toto corde vestro, hoc fuisset satis iuxta sententiam tuam, nimirum, vt resipiscerent, sed non hoc contentus dominus, adiecit:

Pœnas à deo vel ĩtẽtatas vel inflictas ꝑpœnitentiã & preces auferri posse.

Alter Lucaillus.

Iobe.2.

In ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et paulo superius: Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ. Et rursum ad sacerdotes: Accingite vos & plangite sacerdotes, lamentamini qui ministratis altari, ingredimini, dormite in saccis ministri Dei. Hos vtique cruciatus adeo seueros, neque tertia poena, quæ euangelica dicitur exposcit. Sed neque ad quartam poenam vllo modo pertinent. Rursum in Esaia legitur: Et vocabit dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calutitium, & ad cingulum sacci, quæ nimirum poena, nec tertia, nec quarta dici potest. Nam si tam grauis euangelica poena fuerit (quam tu dicis præceptum esse) quid de Christianis innumeris, ne dicam omnib⁹, futurum sit, horror est cogitare. At quid tibi, aut vnum, aut alterum prophetarum hic cito? Quãdo Hieronymus ipse fatetur, vocibus omnium prophetarum nos vocare Deum ad poenitentiam, hoc est ad pœnam debitam pro peccatis. Quam si nos nostra sponte dederimus, ille præterea nullam (si tamen Paulo credimus) illaturus est. Cæterum de Magdalena, & adultera, quod ex aliis dici miratur hanc absque satisfactione fuisse dimissam, illam vero nequaquam, iam solitis strophis vtitur, nimirum vt proprias diluat obiectiones, quo sua pars munitior esse videatur. Sed non est dubium, quin absque satisfactione, Christus vtrique potuit sua relaxasse peccata. Nec tamen si hoc fecisset, trahi id iam debet sacerdotibus in exemplũ. Verum si satisfecissent (quod verisimilius est) neutra satisfactio censeri debet, aut de tertia, aut de quarta specie fuisse. Primum non de quarta dici potest alterutra, quia non inflicta à Deo. Sed nec de tertia, quia nec tãtam verecundiam, nec tantam ignominiam, sed neque luctum, aut tristitiam tantam, ipsa tertia poena postulasset, quam Luth. vocat euãgelicã. Quod vero ꝓxime subinferre molitur, nempe potestatem soluendi parem esse, nec excedere posse ligãdi potestatem, paulo antè falsum

Iobe.1.

Esaiæ.22.

Astutia Lutheri.

esse docuim⁹. Quod postremo dicit, neminẽ esse sub iurisdictione papę, quantum ad primam, secundã, tertiam, quartam, & sextam, ęque falsum esse monstrauimus. Nam papa liberans à culpa, liberat & à gehennę poena quæ prima est, & liberãs à sexta, quod & ostendimus per eum fieri posse, liberat à poena purgatorii, quæ secunda est. De tertia vero & quarta non reluctamur. Corollarium autẽ (quod inducit) nihil in se veritatis continet. Nam sæpe diximus, non ob id solum deberi poenam, quod sic Ecclesia statuit, sed fuisse debitam, etiam si nullus vnquam ob hanc rem canon fuisset æditus. Canones enim ob id solum instituti fuerunt, vt à sacerdotibus dinosceretur, quæ poena fuisset peccatis debita. Expers & illud omnino veritatis est, quod sequitur, nempe quòd per vitam nouam maxime satisfit Deo. Neque est diuo Cypriano quicquam auditu magis odiosum, quàm illa sit assertio. Nam apud eum nihil ferme crebrius est (quum de poenitentia loquitur) quàm satisfactionis vocabulum, quam & affirmat non breuẽ esse debere.

Quare instituti sint canones.

Obstrigitur Lutherus.

De scripturis (quas continẽter adducit) prima est: Poenitentiam agite. Ego paucis hic ab eo percontari soleo. An hoc Baptista dixerit his, qui iã in gratia constituti fuerant? an expertibus gratiæ? Si dixerit expertibus gratiæ, iam non constat Lutherus secum, quum affirmet nullum opus ante gratiam peccatori conferre posse quicquam, quin potius obesse plurimum. Sin in gratia constitutis loquutum fuisse Baptistam dixerit, quis non videt eleemosynam (quam induxit) ad satisfactionem pertinere? Ait enim: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Quòd si hoc ad præceptum pertinere contenderit, & proinde ad poenam euangelicam, quid non erit sub præcepto? Et cur non hoc etiam ipsis militibus & publicanis iniũxerat, si de pręcepto fuisset? Baptista certe non aliter, quàm pro prioribus indixit peccatis. Neque enim se difficilem exhibere iam debuit, ne quos ad Christum allicere studuit, effugaret

Luc. 3.

magis. Porro quod ex Ezechiele producit, facile diluetur. Si conuersus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Primum hic respondemus, quòd iis verbis nihil pollicetur aliud quàm vitam gratiæ, ad quam consequendam non exigitur satisfactio, & ideo nihil hoc facit aduersus nos. Sed rursum dicimus, ꝙ iudicium & iustitia magnam in se continent satisfactionem. Si quis enim digne libret suorum peccatorum magnitudinem, & subinde iustevindicet ea, is nimirum hoc iudicium & hanc iustitiam exequens, non paruam facere putandus est satisfactionem. Neque talem quis condignam facere potest, etiam si plures victurus esset vitas. Quo fit, vt neque obstet nobis, Beati qui faciunt iudicium & iustitiã in omni tempore. Simili modo possumus & ad illud de Michęa respondere. Vbi Michæas dicit: Indicabo tibi ô homo, quid sit bonũ, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudiciũ, & diligere misericordiam, & ambulare solicitum cum Deo tuo. Dicimus ꝙ ista sufficiunt ad vitã gratiæ, nõ autem ad purgatorii poenas euadendas, nisi quis per iudicium accipiat, seueram condemnationem sui, & per misericordiam eleemosynæ opera. Nam hæc sola possunt conscientiam à peccatis expiare, & pro reliquiis peccatorum satisfacere Deo, quando & Christus pollicetur daturis eleemosynam, omnia munda fore. Hactenus igitur enisi fuimus ea cõuellere, quæ Lutherus obiecit aduersus id genᵗ ipsa poenæ, quam nos sextam vocamus, nempe pro peccatis debitam, quę certe re ipsa deberetur, si neque gehenna foret, neque purgatorium, neque euangelica districtio, nec Dei castigatio, nec demum vlli canones vnquam fuissent instituti. Et hanc asserimus, multis modis (Christo sic promittente) deleri posse, nunc per eleemosynas, nunc per dimissionem iniuriæ fraternæ, nunc per bonorum virorum preces, & demũ per authoritatem S. pontifi. traditam ex ipso verbo Christi, quod certe per se solũ sufficit, omnẽ pœnã quanta-

Ezech. 33.

Iudicium & iustitia non vulgaris satisfactio.

Mich. 6.

Epilogus.

eunque fuisset peccatis debita) facillime cõdonare, Neque enim credibile est, id frustra fuisse dictum à Christo, post illam expressam suæ diuinitatis confessionem, & habita pri° de stabilitate Ecclesiæ suæ memoria, & de clauibus item regni cælorum Petro conferendis Sed hæc sufficiunt, vt dilucidum fiat, indulgẽtias aliis etiam vtiles esse, quàm iis qui publicis criminibus irretiti sunt, & qui duri sunt & impatientis animi. Et hæc pro articulo.

ARTICVLVS XXII.

Luth. SEx generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec vtiles, videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

Episc. Indulgentiæ iẽ morituris maxime necessariæ. ¶Nullis profecto magis necessariẹ sunt indulgẽtiæ, quàm euestigio morituris, quippe ꝓ eis iam tempus non sufficiat, ad agendam poenitentiã, hoc est ad satisfactionem ꝓ peccatis. Quo fit, vt quod reliquum est poenæ pro peccatis debitæ (nisi prius per indulgentias fuerit condonatum) seuerius & acerbius expiabitur in purgatorio. Sed hic diutius remorari lectorem nolo, ꝓ hunc articulum vnà cum proximis superioribus Luthe. ipse fatetur se reuocasse. Quotamen ingenio idipsum fecerit, mox videbimus.

Luth. ¶Has propositiones (vt dixi) reuocaui antea, rogauique, & adhuc rogo omnes, tum bibliopolas, tum lectores, vt ea quæ de indulgentiis disputata & scripta à me sunt, exurant.

Episc. ¶Ecce vides lector, quonam ingenio Luth. hunc articulum reuocauit. Malo certe, prauoq;. Nam antè nonnihil indulgentiis deferebat, eas quibusdam fuisse necessarias asserens. At nunc prorsus nullius momẽti facit, neminiq; profuturas asserit penitus. Sic nimi[illegible]m eorum superbia qui Deum oderunt ascendit sem[illegible]r, & magis atque magis increscit.

¶Nesciebam enim tum, cum ea laborarem, papam esse Antichristum, qui his & similibus operationibus erroris, Satana imperante, orbem perderet Christianum. *Luth.*

¶Mirum est, quanta sit odij virtus ac potestas, quę sic fascinat hominem, vt iam videat & sentiat, quod prius non aduerterit, hoc est Christi vicarium Antichristum esse. Quos iam (te quæso Luthere) nouos oculos induisti? quibus nunc summus pontifex tibi videatur Antichristus? An non hoc didicisse potueras ab illis præclarissimis magistris tuis, vt Ioanne VViclefo, & Ioanne Huss, cæterisque Boemicæ factionis principibus, à quibus & perdoctus es alia non dissimilis farinæ plurima? Sed iam desperas in gratiam te posse redire pontificis. Quo fit vt nullũ non moueas lapidem, quo tantæ potestati summam confles inuidiam. Sed expendamus, an tu non magis (imperante Satana) perdere tuis erroribus, orbem satagis Christianum. Si nos fallat pontifex, fallit & Ecclesia, quæ veritatis firmamentum est, fallit & spiritus sanctus, perpetuus Ecclesiæ custos, fallit & Christus ipse, qui nec portas inferi præualituras asseuerabat aduersus Ecclesiam suam. Nam pontifici plane suffragãtur hęc omnia. Sed tu Luthere, qui contemptis omnibus iis, tuo confidis cerebro, Christianum orbem fallere studes. Et non absque suggestione satanæ quem credibile est, quum sis tot & tantis atque tam impiis immersus erroribus, præceptorem fuisse tibi, quos nec aliũde quàm ab ipso concepisse potueris. Nam prope cũ ista moliris euertere, quæ tota credidit hactenus Ecclesia, quęque patres orthodoxi nobis antea tradiderunt, vt non dubitem, ex eorum esse te numero, de quibus Paulus ad Timotheũ scribit: Seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes. An non tua dogmata iam indies euadunt pestilentiora, & quotidie crescit ac augetur errorum cumulus? Sed vt ad indulgentias veniamus. Quid in his facit pontifex, quo fallatur per eum orbis Christianus, magis

Episc. Vis odij Lutheriũ nouis odiis ornauit vt facile videat quod nuscquam est.

Lutheriæ cerbereæ pertinacitas rabie, orbem Christianũ euertere studet.

quàm per te? Nihil aliud illi pollicetur, quàm pœnæ pro peccatis debitæ condonationem, cui & Christus amplissima sua pollicitatione subscripsit. Tu vero tãtundem tribuis cuiuis sacerdoti. Nam affirmas nõ solum culpam, verumetiã pœnam omnem peccatis debitã, condonatã esse, per cuiuslibet sacerdotis absolutionem, hoc tu non vereris asserere, quum tamen huic tuæ sententiæ, contradicant omnes orthodoxi patres. Iam ergo respondeas, precor, vter ex vobis potius imponit orbi Christiano? an põtifex, qui tam verbo Christi, quàm patribus totius innititur? An Lutherus, qui tam verbo Christi, quàm cæteris orthodoxis patribus reluctatur?

Æqua lãce perpende lector pontifex ne an Lut. magis fallat.

¶ Fixa est sententia diuina Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, qua indulgentiæ quæ virgam iniquitates visitantem impiissime præsumunt remittere, funditus subuertuntur, & nihil nisi inane nomẽ esse monstrantur.

Luth.

¶ Nunquam eas pœnas, quæ Dei virga peccatoribus infligũtur, indulgentias posse remittere quisquã (opinor) asseruit. At quid prohibet, quo minus hi, qui pia fide susceperint indulgentias præuenire queant flagellum Dei? quando & Deus optimus pie confidẽtibus in se, tantopere sit propopensus ad veniam. Cæterum ante monstrauimus, pœnam, quæ pro peccatis debetur, & ad quam post reatum sublatum, manet adhuc peccator obligatus, non vno tantum deleri modo. Neque enim semper hæc pœna per Dei virgam expiatur. Alioqui nec Paulus nobis erit audiendus, qui pollicetur nos haudquaquã à Deo corripiendos fore, si prius ipsi nosmet diiudicauerimus. Si nosmet igitur ipse digne castigauerimus, effugiemus vtique flagellũ Dei. Nostra enim castigatione satisfieri potest pœnæ quæ peccatis debetur. Quamobrem nihil oportet, vt in eiusmodi, qui de seipsis supplicium sumunt, sæuiat virga Dei. Neque Psalmus ipse cõtrariũ affirmat, quũ nec de omnibus, sed de iis duntaxat, qui nolunt resipiscere, sed dereliquerunt legẽ Dei, & in

Episc. Flagellum Dei præuenire per indulgentias potest.

Sese corrigentes deus nõ corrigit.

Psal. 68.

eius iustitiis incedere contempserunt. Sic enim idem Psalmus: Si autem dereliquerint filij eius legem meã & in iustitiis meis non ambulauerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Nihil igitur aduersum nos qui respicientibus misericordiam pollicemur facit Psalmus iste. Potest insuper & pœnæ dictæ satisfieri per alienam castigationem, vtpote si quispiam vir sanctus eo animo se afflixerit, vt in alterius vtilitatem id cedat, ac pro peccatis alterius omnino satisfaciat. At quem sanè modũ haud defuerunt sancti, de quibus antè diximus, quòd idipsum ex magna fecisse charitate leguntur. Et demum nec istis modis solis, Deo satisfacere queũt peccatores, verumetiam per canonicam pœnam à sacerdote congruenter impositam. Cæterũ vtcunque fuerit, nisi (priusquàm hinc migrauerimus) et prorsus debito satisfiat, in purgatorio tãtundem luituri sumus. Neque enim peccatũ aliquod euadere potest penitus inultũ, & absque omni prorsus vindicatione, aut in ipsum qui deliquit, aut in alium qui talem vindicationem subierit illius commodo.

Aliena castigatio pœnam tollit.

¶ Nec curanda hominum reproborum distincto de cerebro suo conficta, de pœnis medicatiuis & satisfactoriis.

Luth.

¶ Temeritati tuæ rectè conuenit omnia contemnere. Attamen veritas est nemini contemnenda. Porrò verum esse constat, vel ex scripturis ipsis pœnas quasdam fuisse medicatorias, quæ non erãt satisfactoriæ, quales opinor tolerasse Paulum, ob stimulum carnis suæ, quibus inani gloriæ & arrogantiæ (quæ alioqui ex magnitudine reuelationum suarum ei propẽdebat) medela pararetur. Neque enim pœna quęuis, quæ vel infligitur à Deo semper ob satisfactionem adhibetur peccati. Nam cæcus ille (qui à natiuitate sua passus est oculorum orbitatem) nequaquã ob sua peccata sic punitus fuit, sed magis, vt in eo manifesta retur gloria Dei. Et Iob similiter atque Tobias, nõ alia ratione, tot calamitates perpessi sunt quàm vt ex

Episc. Temeritas Luth. quid non cõtẽnit.

Non quæuis pœna ob satisfactionẽ infligitur.

Universidad de Deusto Biblioteca

els alii discerent patientiam. At ediuerso Nabuchodonosor, & Maria soror Mosi, cæterique complures, ob iustitiam castigati sunt, nimirum vt aliquousque peccatis eorum satisfieret. Sed & Dauid (postquam intellexit peccati sui reatum sibi fuisse dimissum) nõ desiit tamen dicere: Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Nunquam hæc profecto dixisset, ac multa id genus alia, nisi persuasissimum haberet, se remansisse ad pœnas aliquas obligatum. Quamobrẽ ex iis perspicuum esse potest, non omnes vno fine pœnas immissas à Deo fuisse, sed quasdam satisfactionis, quasdã solius medelæ caussa.

Psal. 50.

Pœnarũ aliæ satisfactoriæ, medicatrices aliæ

Luth. ¶ Verba Psalmi clare docent, peccata & iniquitates virga visitari.

Episc. ¶ Quidnam aliud hæc Psalmi verba sibi velint, non intelligo, nisi quod filij Dauid, qui legẽ Dei deseruerint, verberibus adigantur ad Deum reuertisi nolint idipsum facere sua sponte. Quod si sua sponte reuersi fuerint, & in semetipsos digne pro commissis animaduerterint, non video qui posses ex hoc Psal. probare, quòd Deus hac animaduersione nõ flectetur ad veniam ex clementia sua. Neque enim consueuit Deus bis in idipsum iudicare. Iudicaret autem bis in idipsum, si postquam ipsi semetipsos diiudicauerint, ipse denuo vellet eosdem iudicare, id quod fa-
1. Cor. 11. ctum Deum omnino Paulus negat. Nequaquã igitur verba Psalmi clare docent id quod tu moliris, & maxime quando pollicetur Deus in eodem Psalmo, se non cohibiturum ab illis misericordiam suam. Misericordiam, inquit, meam non dispergam ab eis, neq; nocebo in virtute mea.

Deus sua sponte se affligentes, venia prosequitur.

Luth. ¶ Et nemo nisi insanus queat negare, virgam illam esse pœnam pro peccatis inflictam, siue hanc satisfactionis, siue alterius negotij dixeris.

Episc. ¶ Geminum intellectũ habet is tuus sermo, quum asseris, Dei virgã esse pœnam pro peccatis inflictam.

Possunt enim verbera pro peccatis infligi, quatenus per ea quis excitetur à peccati somno, quemadmodũ sæpe contingit filijs Israel, de quibus & scriptum est: Quum occideret eos, reuertebãtur ad eum. Et alibi: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, & postea accelerauerunt. Possunt & eadem intelligi pro peccatis inflicta iam his, qui conuersi sunt, quemadmodum & Dauid accidit qui simul atque pœnituerit ob cẽsum populi factum, virgã tamen Dei sustinuit, qua & vehementer afflictus fuit, nimirum ex peste, quæ multum atrociter desæuit in populum. Neuter horum sensuũ non sufficit ad huius Psal. veritatem. De posteriori satis apertũ est. Et de priori quis negare poteris, quòd si Deus quempiam verberibus adegerit ad resipiscentiam, quin iam virga visitauerit ipsius iniquitates, & in verberibus eius peccata? Nemo tam recte colliget, quòd postquam quis à peccati somno per Dei virgã sic fuerit excussus & expergefactus, quòd nihil pœnæ debitæ supersit, quæ per indulgentias deleatur, quod tamen ipse moliris.

Dublex infligendi pœnæ ratio.

Psal. 15.

¶ Non ergo credas, etiam si angelus de cælo aliud docuerit, contra tuam manifestam scripturam, nedum si draco blasphemus de curia Rom. aliud fremat. Non remittet homo, vt tollat visitationem huius virgæ.

Luth.

¶ Iam furere incipis, perinde ac si triumphaueris, quum nihil feceris minus. Quid enim colligis ex hac scriptura, quam iactitas vsqueadeo manifestam esse? Num hoc, quòd non aliter diuinæ iustitiæ satisfieri potest quàm per virgam istam? At hoc falsum esse pluribus docuimus. Neq; enim sequitur. Visitabo in virga iniquitates eorum. Ergo non aliter, nisi per hanc virgam peccatis satisfieri potest. Quis nõ videt huius argumẽti stolidissimas ineptias? Nam ita Paulus, vt diximus parum verax fuisset dicens: Si mosmetipsos diiudicauerimus, non vtique iudicaremur. Desine igitur istiusmodi maledictis summum incessere pontificem, cui & impudentissima quidem impingere multa

Episc. Ante victoriam laudes canit.

1. Cor. 11.

mendacia soles. Cuiusmodi & hoc vnum est, quod hu-
ius visitationem suis indulgentiis tollere pollicetur,
quum tamen ille nunquam istud ne cogitauerit qui-
dem. Quanquã & potest populus harum indulgen-
tiarum confidentia, sic ad vitæ melioris emẽdam ex-
citari, vt ab eis auertatur indignatio Dei, suumq; gla
dium ipse cohibeat, quem esset alioqui vibraturus.
Sed hactenus hæc respondisse sufficiat.

ARTICVLVS XXIII.

Lutb. EXcommunicationes sunt tantum pœnæ exter-
næ, nec priuant hominem communibus spirita
libus Ecclesiæ orationibus.

Episc. De excõmu nicatione. ¶ Si quis vel vnum errorem semel admiserit, inde
plures quotidie suboriuntur, quemadmodum in Lu-
the. iam fieri manifestum est. Nam error quẽ de fide
concepit errores sibi peperit innumeros, opinatur
enim fidem vel solam cuique sufficere. Quo fit, vt sa
cramẽtis nihil tribuat, satisfactionem omnino tollat,
contitionem item aliquã existimet obesse peccatori.
Sed neque necessarium esse, vt quis omnia mortalia
sua confiteatur, licereque sordidissimis & sceleratis-
simis (modo fidem habeant) ad Eucharistiam accede-
re. Ac demũ vnumquenque sua fide, bonorũ omniũ
(quæ totius Ecclesiæ communia sunt) ita fieri parti-
cipem, vt nec per indulgentias, ei maiora cõferri pos
sint, quã habeat, neque per excõmunicationes auser-
ri. Ad hos nimirum errores, aliosq; plurimos, adegit
eum error, quẽ de fide mordicus tenere decreuit. Cõ
tigit enim hic Luthero quemadmodum homini cui-
dam quopiã profecturo, qui male suum iter ab initio
per loca multis diuisa sepibus instituit. Is enim (vbi
primam ruperit sepem) ad alteram veniens & eam pa
riter euertat oportet, ac subinde tertiam & quartam,
atque reliquas omnes (quotquot obsistũt itineri suo)
demoliri necessum erit, aut tandem retrouerti, & a-
liunde sibi quærere fœliciorem ingressum. Ad hunc

Epiſc. De excõmu nicatione. Ex fidei er rore innu meros ſibi Lutb. pepe rit errores.

Similitudo bona.

modum profectò Lutherus mihi visus est fecisse. Nã
principio de fide parum rectam imbibit opinionem.
Sed quum eam defendere constituit, reluctabatur ei
sacramentorum efficacia, quam idcirco protinus
amoliri conatus est. Post hanc ei obstitit satisfa-
ctio quæ quum opus quoddam sit, & ad iustificatio-
nem peccatoris conducat plurimum, hanc etiam tol-
lere quamprimum curauit. Pariter & de cæteris (ne
sim prolixior) idem omnino studuit efficere. Quic-
quid demum opinioni suæ (quam de fide sibi firma-
uit) aduersabatur, hoc euertere modis omnibus est
molitus. Cæterum (vt ad articulum tandem venia-
mus) quia vidit Lutherus futurum, vt si per excom-
municationes cuiquam habenti fidem, auferri pos-
sent spiritalia bona, iam non sola fides sufficeret.
Idcirco studet & hanc potestatem excommunicatio-
nibus tollere, docetque eas externas tantummodo
pœnas esse, nec priuare quenquam posse communi-
nibus Ecclesiæ precationibus, aliisque spiritualibus
bonis. Sed iam ipsum audiamus.

Quare ex communica tiones Lut. damnat.

¶ Hanc satis firmiter probaui in sermone de ex-
communicatione.

Lutb.

¶ Primum igitur operæ precium fuerit hic tuam
recensere probationem, quam in eodẽ sermone pro-
ducis, & eandẽ (si possumus) deinde refellere. Distin-
guis illic fidelium communionem bifariam, quarum
alteram internam vocas & spiritualem, alteram ex-
ternam & corporalem. Illam dicis constare fide, spe,
& charitate in Deum. Hanc dicis esse participationẽ
sacramentorum, quæ fidei, spei, & charitatis signa
vocas. Eandem insuper ad communionem vsque re-
rum vsus, colloquij, habitationis, aliarumque cor-
poralium conuersationem extendi vis. Asseris dein-
de, quod sicut nulla creatura potest animam illa pri
ori spirituali cõmunione, vel communicare, vel ex-
communicatam reconciliare, nisi solus Deus: ita nec
potest alius quisq; cõmunionem illã spiritalem tolle-
re, seu quenq; excõmunicare, nisi homo ipse seipsum

Epiſc. Communio fidelium à Lutb. bifa riam diſtin cta.

per peccatum proprium. Sicque tandem ex his colligis, excommunicationem Ecclesiasticam, esse communionis externæ duntaxat priuationem, hoc est, sacramentorum, funeris, sepulturæ, publicæ orationis, atque id genus cæterorum. Hæc sane totius argumentationis tuæ summa est, quę mihi profecto plurimum habere fuci videtur, perparum vero solidæ veritatis. Quid enim si nemo fidem, spem, aut charitatem auferre posset ab homine, nisi per peccatũ has ipse tollat sibi, num non restant alia quæ per excommunicationem tollantur? Neque nos negamus, quin indignè quispiam interdum excommunicetur, quum nihil inde prorsus dispendij patiatur. Sed nos de illo, qui iustè fuerit excõmunicatus, loquimur. Cuiusmodi sunt hi, qui plerunque fidem retinent, amissa charitate. Qualis nimirum & Corinthius ille fuerat, quem Paulus satanæ tradidit. Num (te quæso) Corinthius iste post traditionem & excommunicationem quam ei Paulus inflixit, non iam in ampliorem (quàm ante fuerat) detrusus est satanæ potestatem? Quid enim prohibet quo minus id fieret? quum & de Iuda legimus, bis eum in potestatem satanæ venisse, semel quũ concepit animum tradendi Christum, atque iterum, quando buccellam accepit à Christo. Sic nimirum & Corinthius ille, semel (quum peccauit) sub ditionem satanæ venit, ac denuo (quum excommunicatus fuerat) & tunc multo quidem euidentius. Intellige quæ dico. Corinthius ille primo per baptismum communionis Ecclesiasticæ factus est particeps. Deinde per culpam charitatem amisit, & dilapsus est in aliquam diaboli seruitutem, & quanquam erat spiritaliter in se mortuus, nimirum quia charitate caruit, erat tamẽ adhuc per fidem Ecclesiæ membrum, & mystico corpori coniunctus. Quo sane factum est, vt non quantum voluit satanas in illum potuit sæuire. Obsistebãt enim ei preces, & cætera spiritualia totius Ecclesiæ bona, quorum erat adhuc aliquo modo. Corinthius ille particeps, ne pro sua libidine vexarat hominem.

Luthori argumentatio manis.

1. Cor. 5.

Corinthius à Paulo excommunicatus.

Iudam bis in potestatẽ satanæ venisse legim⁹.

Attende lector.

Quid enim aliud (te precor) satanæ malitiã cohibuit tunc magis quàm postea? nempe cum illius potestati datus erat Corinthius. Aut cur non æque prius vexauit illum, si non minus tunc ab eo fuerat possessus? Verum inquies: Et si maiorem in corpus accepit potestatem, non tamen in animam identidem. At istud illic haudquaquam probas. Bene quidem ostendis, nihil iis nocere posse, qui charitatis sunt participes. At de aliis, qui propter admissa sua charitatem amiserũt (de quibus magis attinebat loqui) nullã inducis probationem. Quæ res omnem argumentationem tuam prorsus inualidam reddit. Nam de iis & non de illis firmari necesse fuit, quòd excommunicatio nullum inferat animæ nocumentum. At inquies: Paulus adiecit vt spiritus eius salu⁹ sit in die domini. Quid tum? An non interea dispendium Corinthius ille passus fuit, etiam in anima? Profecto. Nam & si Corinthio Paulus hanc intulerit excommunicationem, ob finalem animæ suæ salutem (modo Corinthius æquanimiter eam tulisset, & iusta pœnitudine seipsum emẽdasset) ipse nihilominus bonorum spiritualium, quæ in Ecclesia quotidie multiplicabantur iacturam interea passus est non modicam. Quod si per hanc excommunicationem haudquaquam resipuisset ad maiorem damnationis cumulum tandem ei conuerteretur. An Christum credis quando buccellam Iudæ porrexit id ad detrimentum Iudæ fecisse? An non potius, vt Iudas tanta beneuolentia resipisceret? Et tamen accepta buccella, mox intrauit in eum satanas ad mali sui cumulum. Multo magis hic quum ex instituto Paulus Corinthium ab Ecclesia separauit, & tradidit satanæ. Nonquid tu non malum putas à Christo separari? & malum quidem animæ? quum & hæc inuisibilis vnio secundum animam potius, quàm secundum corpus facta sit. At inquies: Iampridem per peccatum fuit separatus à Christo. Fuit certe nec viuaciter coniunctus, nec tamen penitus à Christo diuisus. Habuit vtique per fidem nonnullam vnionẽ, quemadmodum

Buccellam à Christo accepit Iudas vt resipisceret.

Cõparatio elegans.

& membrum aliquod expers vitæ quod tamen corpori per neruos & pellem coniungitur, & nonnullo fouetur corporis calore. Ad quem modum & Corinthius ille (priusquam fuerat excommunicatus) Ecclesiæ per fidem iungebatur, & per Ecclesiæ bona spiritualia fouebatur nonnihil. Sed postquam anathematis gladio percussus fuit, hac aliter à communibus Ecclesiæ bonis separabatur, quàm brachium à corpore, si penitus dissecatum sit, vt nihil ab eo fomenti prorsus suscipiat. Ex quo nimirum tuus error apertus est, qui negas excommunicatum anathemate separari, aut satanæ tradi, sed ante fuisse separatum & satanæ traditum. Excommunicationem vero contendis haud aliud quàm signum illius separationis esse. Sic enim ais sermone tuo de excõmunicatione, quarto loco. Excommunicatio iusta est, significat potius animam esse diabolo traditam & Ecclesiæ communione spirituali priuatam, quia fertur super eum, qui peccato mortali seipsum priuauit communione charitatis, & diabolo sese tradidit. Nos quod seipsum priuauerit bona parte communionis spiritalis, & quòd aliquousque seipsum satanæ tradiderit, non refragamur. Quandiu tamen remansit in corpore, nõ per excommunicationem omnino separatus, non omnino penitus emolumento bonorum illorum spiritualium caruit, neque omnino in satanæ venit potestatem. Quæ duo iam firmabimus. Et primum istud quod posterius est. Exploratum cunctis esse potest, non fuisse mentitum Paulum, quum dixit, se decreuisse in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis Corinthiis, & suo spiritu vnà cum potestate Domini nostri Iesu Christi, quatenus fornicator ille traderetur satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus esset in die domini Iesu Christi. Nõ hic dicit Paulus quod sit traditus, sed quòd sit tradẽdus. Quæ res adhuc dilucidior est apud Timotheum, vbi ait se Hymenæum & Alexandrum satanæ tradidisse, vt discant non blasphemare. Si non vere tradidisset eos satanæ, iam cõ-

1. Tim. 1. Hyemenæ & Alexãder à Paulo satanæ traditi.

stat falsum dixisse Paulum, qui seipsum asserit hoc fecisse. Sed & illud quod sequitur, nempe vt discant non blasphemare, rem ipsam indicat manifestius. Quomodo enim didicissent non blasphemare, nisi per hanc traditionem accepisset in eos satanas apertionem aliquam vindicandi potestatem. Sed & Corinthius ille quem satanæ Paulus tradidit in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fieret, quomodo non tam grauiorem à satana molestiam incurrerit, quàm ante sit perpessus? Palam est igitur excommunicationem non solum significare traditionem factam satanæ, sed per illam item excommunicatum iam eidem efficaciter tradi. Porrò quòd ante excommunicationem nemo sit penitus omni bonorum spiritualium emolumento priuatus, vel ex eo constare potest, quod malis etiam profuerit plurimum, inter bonos conuersari. Nam vt bonus potest operibus communicare malignis, quod & diuus Ioannes testatur epistola secunda, ita possunt vicissim & mali, bonorum operibus aliquousque communicare. Certum est, quando Stephanus pro se lapidantibus exorabat, preces eius Saulo profuisse, quanquam & tunc is esset inimicus Christi, & acerrimus quidẽ. Quid ergo dicemus, Paulo, quum infidelis erat, ac infidelium socius, Stephani precatio profuit, & fideli cum fidelibus conuersanti, tametsi peccatori, totius Ecclesiæ suffragia nihil omnino conferant. Adiumento quinetiam fuit cuidam mortuo, quod inter Helizei fuisset ossa sepultus, quemadmodum 4. Reg. 13. scribitur, & nihil adminiculari posset peccatoribus, quod in medio sanctorum, conuersari sinuntur? Adminiculatur hauddubie. Veruntamen quum per excommunicationem abscinduntur à totius Ecclesiæ corpore, iam ab omni bonorũ spiritualium ope separãtur. In quo separationis malo tandiu perseuerant, quandiu permanserint in sua pertinacia. Clarũ igitur ex iis opinor esse quod non satis firmiter abs te probat° is articulus fuerat, sermone illo, quẽ tu super ex-

Excõmunicatio neque quã signum est satanæ traditionis, sed ipsa traditio.

Bonorũ cõsortium malis prodesse. Act. 7.

Excõmunicatus ab omni spirituali bono segregatur.

communicatione scripseras.

Luth. ¶Etiã per ipsorummet verba, vbi papa dicit lib.6. de senten.excommuni.medicinalẽ & non mortalem, non eradicantem esse excommunicationem. At si priuaret spiritalibus communibus bonis, certe mortalis esset, quia animam separaret à Deo.

Episc. Fidem, spẽ, & charitatẽ excõmunicatio nõ tollit. ¶Sunt quædam sane bona spiritalia, quibus excommunicatio neminem priuare queat, nempe fides, spes, & charitas. His hauddubie nemo per excommunicationem priuatur. At præter hæc sunt alia, quę nõ parum ipsis peccatoribus inter iustos commorantibus opitulantur, vti suprà diximus. At quibus nimirum seiungit excommunicatio multisque non corporalibus modo, verumetiam spiritalibus eum incommodis afficit, quisquis excommunicatur. Et tamẽ medicinalem esse quid prohibet? Nam vt ea quę purgãt corpus, tametsi multis alioqui damnis ipsum afficiãt, mederi tamen dicuntur. Sic pari modo, quid obsistit, quo minus id animæ salutare medicamen dicatur, quod ad salutem eius finalem exhibetur, quanquam interea spiritalis nocumenti nonnihil inferat? Nam suo bono spiritale dispendium anima patitur, si per hoc dispendium, ex morte posset ad vitam reuocari. Nihil ergo pro tuo dogmate facit illud cap. Quũ medicinalis, lib.6. de quo tantopere gloriaris.

Excõmunicatio medicinalis esse potest.

Luth. ¶Ego autẽ fortioribus nixus sum, quia in potesta te hominis nõ est, vt quis credat vel non credat. Sola autẽ fides vel incredulitas copulat vel separat animã Ecclesię Dei, sicut Christus dicit Mar.16. Qui crediderit, saluus erit, qui nõ crediderit condemnabitur.

Episc. ¶At istud fulcimentum (cui te nixum dicis) quàm sit inualidum, puto nos pluribus ostendisse, quoties de fide tecum disseruimus. Sed nec grauabimur, hic alia quædam adiicere. Si sola fides vel incredulitas copulat vel separat animam ab Ecclesia Dei, quomodo verum est quòd peccator (qui adhuc fidem retinet) per mortale peccatum seipsum priuauerit omni communione charitatis, & diabolo sese tradiderit?

Hoc nimirum eodem sermone, sub quarto membro tu affirmas. Multi ergo separantur à communione charitatis, atque ita consequenter ab Ecclesia Dei, qui fidem nihilominus habent. Nam & Corinthius ille (qui per Paulum separatus ab Ecclesia fuerat) fidem tamen habuit. Non ergo sola fides animam copulat, quam ab Ecclesia Dei disiungere sola posset incredulitas, sed & male citas Euangelium. Neque enim Marcus ita recensuit Christum: Qui crediderit saluus erit, sed adiecit: Et baptizatus fuerit. Non enim absque baptismo sufficit fides, sicut nec absque gratia. An non Esau Deo credidit? de quo & Paulus ad Hebræos tradit, quod cum lachrymis frustra benedictionem inquisiuit. Qui enim cum lachrymis benedictionem quærit, videtur idipsum ex fide facere. Et si sola fides suffecisset, mirum est, cur non fuisset eam benedictionem consecutus. At Paulus affirmat eum non inuenisse pœnitentiæ locum. Cæterum dices te de fide formata iam loqui. Tum extra caussam declamitas. Nam in hoc omnino tecum conuenimus, quod qui talem fidem habet, nihil ei nocet excommunicatio, quum is in gratia sit, atque culpa vacet, ob quam solam vibrari iure posset excommunicatio. Sed de illo nobis est sermo, qui cum fide possessa, mortalis fuerit peccati reus. Is nimirum est seu membrum quoddam in se mortuum, quod tamen vnitum corpori, refocillationem ab eo nullam accipit. Quid enim (te quæso) membrum aliquod mortuum (quod & sæpe videmus) vnitum corpori præseruat à putredine? Quid inquam aliud, quàm vnio ipsa? Nam si dissectum hoc membrum esset à corpore, confestim putresceret. Sic & peccator quàm diu manet in Ecclesia, communibus aliquandiu suffragiis Ecclesiæ, bonisque cæteris eiusdem spiritalibus fouetur. At simul atque per excommunicationẽ ab Ecclesiæ gremio disiunctus fuerit, iam omnis bonis spiritalis communione priuatur.

1.Cor.5.

Mar.vlt.

Heb.12.

Peccator seu membrũ in se mortuum.

Comparatio efficax.

¶Nullus est ferè articulorum, qui manifestioris *Luth.*

sit veritatis quàm iste, vt ego non possum satis laudare diuinã prouidentiam, quæ draconé istum antiquũ cum papa & rabidis papistis suis sic excæcauit, vt in tam claram veritatem, etiam à seipsis statutam impingerent, qua vel vna cæcitate totius huius bullæ authoritatem, non modo mihi, sed toti orbi merito contemptam reddiderunt.

Episc. Null' Lu. conuiciandi vel modus finis.

¶ Conuinciorum & calumniarum tuarum nullus est finis. Quid iam habes iustæ rationis, quod ad istũ modum debaccharis. Nihil enim pro te facere decretalem illam (quam à papistis dicis esse statutam) superius ostendimus. Atque tanto minus facit quàm nihil quod in eadem adiicitur, nempe quod sequitur, Dum tamen is in quem lata fuerit, non contemnat. Quo verbo satis dilucidum est, in quos medicinalis fuerit excommunicatio, nimirum in eos qui resipiscunt, neque pergunt in obstinatia sua. Verum obstinatis & pertinacibus non medicamen est, sed gladius interimens. Nam hi contemnunt Ecclesiam, cui datum est à Christo gladium hunc, in proteruos & contumaces filios exercere. Nam quemadmodum in synagoga mors temporalis per corporalem animadueresionem infligebatur, ita nunc & in Ecclesia, qui spiritali gladio feriuntur, mortem incurrunt æternam, nisi confestim à pertinacia sua resipiscant. Propter quod & Augustinus quæstione tricesima nona supra Deuteronomium affirmat, quod hoc agit in Ecclesia iam excõmunicatio, quod in veteri lege fecisse legitur interfectio. Cui suffragatur & Cypria-nus epistola vndecima, libri primi. Interfici Deus iussit, sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis, non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circuncisio carnalis manebat, nunc autem quia circũcisio spiritalis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. Neque enim viuere foris possunt, iam domus Dei vna sit, & nemini salus esse, nisi

Excõmunicatio in ecclesia idẽ facit quod in veteri lege interfectio.

in Ecclesia posit. Hactenus ille. Sed ista sufficiunt ad huius articuli conclusionem.

ARTICVLVS XXIIII.

DOcendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem quàm timere. *Luth.*

¶ Id profecto nouum esset docendi genus, quo neminem ex sacris & orthodoxis authoribus hactenus vsum fuisse legimus. Affirmat enim diuus Gregorius, quod sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit timenda est. Et Augustinus huic astipulatur, de excommunicatione loquens: Nihil sic debet formidare Christianus quàm separari à corpore Christi, si enim separatur à corpore Christi, non est membrũ eius. Si non est membrum eius non vegetatur spiritu eius. Quisquis autem (inquit Apostolus) spiritum Dei non habet, hic non est eius, Hæc ille. Docet & Ambrosius omnia prius tentanda, quàm ad hoc disciplinæ genẽ veniatur. Cum dolore, inquit, amputatur, etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis, & si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia aufferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere. Postremo (quod sanari potest) cum dolore abscindere. Hæc Ambro. cap. 27. li. 2. de officiis. Intelligis hic ex Ambrosio, cũ sta prius esse tentanda medicamẽta, quàm exeratur excommunicatio, quæ nõ aliter ab ecclesiæ corpore peccatorem abscindit, quã ab humano corpore ferro secatur membrum quod putre prorsus est & insanabile. Quod si medico spiritali, nimirum episcopo tam modestum esse debet, quempiam hoc gladio ferire, quanto magis præcauendum est ei, qui percutitur, ne quicquam is agat, quo iure posset ad hunc modum ferire, ab ecclesiæ corpore penitus resecari. Timẽda et igitur excommunicatio, & modis omnibus fugienda tanquam gladius, tanquam occasio, tanquam ipsa

Immedicabile vulnus ense resecandum est.

Excõmunicatio modis omnibus timẽda est & fugienda.

mors, quæ pertinacem hauddubie separat à Christo, neque sinit eum (qui excommunicatur) bonorum Ecclesiæ spiritualium esse participem. Nam in hoc statu si mori quempiam contigerit, extra Ecclesiam moritur, extra quam nulla salus est. Et iis hauddubie, qui sic moritur perpetuis gehennæ cruciatibus adiudicabitur. Quæ sola ratio merito potest cuique metũ & formidinẽ excõmunicationis incutere. Nam id cum primis metuendum est in quo tantum animæ discrimen imminet, vt si casu forsitan illo moreretur in æternum periret. Quando igitur nemo, vel ad momentum, de vita certus esse potest, quis non videt, quàm sit metuendum vel ad vnam horam excommunicari? Cæterum erroris tui caussa, vel eo suboritur, quod existimas sacerdotes, nullam super hominum animas obtinere potestatem. Ad hunc errorem tuum nec paucis verbis Chrysostomus conuellet in dialogo de dignitate sacerdotum libro tertio capite quinto. Hi qui terram, inquit, incolunt, atque in ea conuersantur cælestia dispensare meruerunt, & potestatem acceperunt, quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim ad illos dictum est: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis, erũt soluta. Habent quidem & mundi principes vincendi aliquam potestatem, sed qua in solis corporibus vtilicet, hoc autem vinculum, quod sacerdotibus commissum est, ipsam contingit animam, trãsitque cælos, vt ea quæ operati fuerint sacerdotes deorsum, Deus confirmet in cælis, sententiamque seruorũ dominus ipse corroboret. Quid ergo reliqui est, si omnis eis cõmissa est potestas cælorum? Et paulo post: Quæ potest inueniri maior potestas? Omne iudicium dedit pater filio. Ad hoc video, à filio totum sacerdotibus esse commissum, ac sint sicut iam translati in cælum, è humanam transcendentes naturam, atque à nostris infirmitatibus liberati in tantum inuecti sunt principatum. Hæc Chrysostomus. Ex quibus dilucidum

Erroris Lutheri caussa.

Potestas sacerdotalis à Christo commissa.

Omne iudicium pater dedit filio. filius autẽ sacer. cõmisit.

est, quantum in subditorum animas, habeant sacerdotes potestatem. Sed iam Lutheri probationem expendamus.

¶ Probatur, quia ipse papa dicit eam esse medicinalem, non mortalem, sed disciplinãtem, sed id quod medicinale & viuificans est, nemo debet timere, nisi ii qui hanc bullam imposuerunt, furiosi scilicet, qui medicinam & vitam timere, & non amare docent, imò amari damnant, & timeri mandant. Neque enim ipsos furiosos videas sic à communi sensu omnium rerum abhorrere, vt vitalia, & medicinalia timenda censeant. Verum digna bulla suis authoribus. Quis non superabit damnatus ab his perditis & miseris hominibus?

Luth.

¶ Si non ipse diffisus esses probationi tuę, non tot maledictis & probris, eam suffarcinasses, ad quę semper confugis, quum tibi solidiora fuerint argumenta. Sed ipsa tibi conscientia testis est, eam nulli' ponderis esse. Neque Decretalis affirmat excommunicationem esse viuificantem, neque id cum tuo dogmate constare potest, quum tua sententia, Quicquid fit in non habente gratiam, obesse credendum sit magis quàm prodesse, quemadmodum cõtritione quantũuis ingenti, superius articulo sexto tradidisti. Vbi igitur quispiam pro mortali iuste excõmunicatur, cum iam is gratia careat, quomodo potest ea excommunicatio salutaris viuificaq; ei fore? Potest nimirum occasio quibusdam esse resipiscendi, & eatenus medicinalis est. Verum contumacibus, & iis qui persistunt in malitia sua, qualis tu Luthere mihi visus es, profecto lethalis & prorsus mortifera. Quod & Decretalis ipsa palam indicat. Sic enim illic habetur: Cum medicinalis sit excommunicatio non mortalis, disciplinãs non eradicãs, dum tamen is in quem lata fuerit, non contemnat. Ecce si is in quem lata fuerit excommunicatio, contemnat eam, tum plane mortalis est, & eradicans. Cæterum cunctis exploratũ est, eam vsque adeo cunctis metuendam esse, vt corporalem quemli

Episc.

bet pœnam quis optaret subire magis, quàm semel excõmunicari. Sicut & manus (si loqui norit) omnem potius cruciatũ se malle perferre confiteretur, quàm semel suo corpore separari. Cæterum hactenus pro articulo.

ARTICVLVS XXV.

Luth. ROmanus pontifex Petri successor nõ est, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in beato Petro institutus.

Episc. ¶ Iam tãdem prestare conabimur, quod toties antè sumus polliciti, nimirum ostẽdere, ꝙ summus pontifex sit totius Ecclesiæ caput. Quod & bifariam efficere moliemur. Primum scripturis, quibusmultę prerogatiuę Petro tribuuntur. Deinde patrum omnium orthodoxorum qui spectatissimi sunt, testimoniis. Et hæc quidem ante congressum faciemus. At in ipsa cõflictatione præter hæc, alias eiusdem rei confirmationes accipiet lector adeo crebras, vt nisi pertinacia nimia cæcutiat, perspiciet hauddubie Luth. odio quodam, & animi sui malignitate, potius hæc contra pontificem euomuisse, quàm vlla subnixum veritate. Sed age. Primum ex Petri prærogatiuis, quæ non paucæ sunt istud ostendamus. Inter quas ordine prima est, quòd mutato nomine Christus illum Cephan, hoc est Petrum vocari censuit, cum antea Simon vocabatur. Mutatio nominis, indicium semper fuit altioris cuiusdam mysterii, quod vel ex veteri testamento patet, ex nominibus commutatis Abraham, Sara, Israel, vt nec iam absque grandi mysterio Christum putemus, huic apostolo nomen indidisse nouum. Tribus nimirum apostolis, qui præ cæteris apud Christum maioris erant authoritatis: hoc est, Simoni, Iacobo, Ioanni, nomina solus CHRISTVS indidit. Nam hi dicti sunt Boanerges, hoc est, tonitrui. Simon vero, Petrus vocabatur. Sic enim Marcus tradidit, vbi duodecim apostolorum recenset nomina. Et im-

Sũmũ põti. totius eccliæ caput esse bifariã ostendimus.

Petri prærogatiuæ ex euang.

Prima.

Matt. 16.

Nomina in vet. testa. nõ sine grandi mysterio mutata.

Marc. 3.

Tribus apostolis nõia Christus indidit.

posuit (inquit) Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges. His tribus præ cæteris Christus familiarius vtebatur, quos plerunque solos suæ conuersationis testes assumpsit. Nam hi soli (dum transfigurabatur) præsentes erant, & quum laici filiam suscitabat, & quum paulo ante passionem orabat prolixius, vt nõ sine causa solis istis imposuerit nomina. Simon tamen (vt singularis eius præeminentia fieret apertior) nomen haud aliũde, quàm ab ipso Christo deriuatum accepit. Christus enim (vt testatur Paulus) petra fuit. Ac proinde à CHRISTO petra, dictus est Petrus. Nimirum vt hac nominis deriuatione, Christus nobis præsagiret Petro suas vices, & præcipuam authoritatem fuisse committẽdam. Nam alioqui, cur à seipso nomẽ hoc desumptũ, Petro communicaret? Huc accedit secũda prærogatiua, ꝙ quanquam Petrus non erat vocatione primus, Euangelia tamen vbique primas partes ei tribuisse constat. Fuit equidem Andræa Petrus, quantum ad vocationem posterior, verumetiam in ordine, primus huic tribuitur locus. Sic enim Matthæ⁹ scribit: Porro duodecim apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui vocatur Petrus, &c. Similiter & Marcus & Lucas hunc primum faciunt. Nec est credendum Euangelistas, suis arbitriis quenquam (quiuocatione posterior fuerat) collocasse primum, nisi certo cunctis (qui tum aderant) omnium nationum, & multis id miraculi tenuulenti scirent, eundem à Christo fuisse cęteris prępositum. Tertia subinde prærogatiua est, quòd propter illam eximiam diuinitatis Christi cõfessionem, nempe Christum esse filium Dei viui, Petro dictum fuit à Christo: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Perspicuum est hęc nõ cęteris, sed soli Petro fuisse dicta, quã-

Secunda. Matth. 10.

Marc. 3. Lucæ. 6.

Tertia. Matth. 16.

do nemo cæterorum, sed solus Petrus vocatus fuit Simon Bar Iona. Et hanc tanquam insignem Petri prerogatiuam. Interpretes omnes vnanimiter annotauerunt, de qua & fusius mox dicemus. Quarta vero

Quarta.
Mat.16.

post hanc sequitur, quòd soli Petro nominatim, claues regni cælorum Christus fuerat pollicitus. Cæteri sane ligandi soluendique potestatem acceperunt, sed in cælo singulariter, Petr' autem pluraliter in cælis. Simul & nonvnius cælt, sed cęlorum claues Petro à Christo promissas audiuit. Nec hic mihi quispiam dixerit, eandem vtrobique potestatem significari. Nam mihi persuasissimum est, nisi voluisset Euangelista diuersam aliquam rationem, & discrimen hic aliquod in his verbis indicasse, nequaquam tanta fuisset vsus varietate, præsertim quum vno duntaxat intermisso capitulo, vtrunque tradat, & illud Petro pluraliter fuisse dictum, & istud singulariter cæteris apostolis. Sed & hęc Origenes diligentius obseruandum indicauit. Cæterum & de iis latius antè disseruimus.

Quinta.
Matth.17.

Quinta subinde prerogatiua non parui ponderis est, quod in soluendo didragmate, Christus, Petrum solum præ cæteris omnibus apostolis, sibi tanquam parem adiunxit. Quæres tam apertum indicium, cuiusdam præeminentiæ fuit in Petro futuræ, vt inde mox inter cæteros (vt apud Matthęum patet) oborta quæstio fuerit, quis futurus esset maior in regno cælorum. Sed de hoc plusculum infra dicturi sumus.

Matth. 18.
Sexta.
Lucæ.12.

Sexta prerogatiua, nec obscura certe non multo post sequitur. Facta enim inter apostolos contentione (cuius & Lucas meminit) quis eorum videretur esse maior. Christ' exemplo sui docet, quem in modum is se gereret, qui maior inter eos esset futur'. Et mox ad Petrum conuersus, ait: Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua. Et tu aliquãdo cõuersus cõfirma fratres tuos. An non his verbis pa-
lam tribuit Christus Petro, maiorem quãdam prę cæteris sublimitatem? Præsertim quum protinus, vt do-

cuerat, quem in modum is qui maior esset futurus, se ipsum gereret erga cęteros, subiecit, Satanam omnes illos expetisse, se tamen orasse pro Petro, quatenus ipse persisteret in fide, vt sic tandem conuersus confirmaret & cæteros. Nisi enim hoc ita se habere dixerimus, insoluta manebit quæstio, Quis apostolorum videretur esse maior. At ad hunc modum erit plenè dissoluta. Nam eum hauddubie (qui cæteros confirmaret) maiorẽ instituit. Septima prerogatiua fuit,

Septima.
Marcielt.

quòd ad Petrum nominatim angel' miserit ipsas mulieres, quæ tã illi, quàm cęteris apostolis nunciarent, surrexisse Christum. Ite (inquit) dicite discipulis eius & Petro. Magnum id omnino fuit indicium præcellentiæ Petri, quòd eum angelus magis quàm cæteros nominauit. Sed hic forte quispiam dixerit, hoc ad cõsolationem Petri fuisse factum, nempe ne desperaret quòd ter antè negasset magistrum suum Christum.

Marc.16.

Quasi non abunde Christus illum consolari potuit, qui soli Petro præ cæteris apostolis primum apparuisse legitur. Certe qui dignatus fuerat seipsum illi redituum ostẽdere, potuit omnem ab eius animo desperationem amoliri. Vtrunque certe magnitudinis Petri non leue fuit argumentum, & quòd prius q̃ cæteris apostolis, Petro Christ' apparuit, & quòd illum nominatim angelus nuncians ipsas miserit mulieres. Sed & vt tertium iis accumulemus. Nunquam certe nisi Petrus fuisset prę cęteris illustrior, tam insignem eius lapsum, omnes Euangelistæ tanto studio expressissent. Octaua prerogatiua fuit, quòd primus ipse

Octaua.

Christi monumentum ingressus erat. Et istud haud infimum indicium est præstantiæ Petri. Nimirum, quum in eum locum primus introierit, vnde surrexerat Christus, prim' Christi vices in Ecclesia post Christum esset gesturus. Potuit enim Ioannes prius ingredi, quippe cursu præuenerat Petrum. Currebant enim (vt testatur Euangelista) ambo simul, at Ioannes præcurrit citius Petro, & quum venisset prior ad monumentum, substitit, nec est introgressus. Verum Pe-

Ioan.20.

trus vbi venit ad monumentum, mox introiuit. Primus ergo Petrus Christi locum intrauit, qui post Christum primus erat in Ecclesia futurus. Nona prærogatiua fuit, ꝓ præ cæteris Petro nominatim suarũ ouiũ curam cõmiserit Christus. Neque id negligẽter fecit, sed cum ingẽti studio & apparatu. Quum enim essent & cæteri præsentes, Petrum percontatus est, num se plus quàm illi diligeret. Simon Ioannis (inquit) diligis me plus iis? Respondit ei Petrus: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit igitur ei Iesus: Pasce agnos meos. Et quum ad hunc ferme modum, iterum, ac tertio, Petrum interrogasset an se diligeret, Petroque toties id affirmante, tertio suarum ouium ei curam intũgit: Pasce (inquit) oues meas. Quod documentum adeo clarum est pro magnitudine Petri, vt haud scio, an vllum potuit esse luculentius. Nam his verbis abunde testatus est Christus, totum ouile suum, hoc est Ecclesiam vniuersam vnà cum agnis & ouibus administrationi Petri fuisse creditam.

Nona.

Ioan. vlt.

Decima prærogatiua fuit, quod post hæc omnia, singulariter ei Christus dixerit: Sequere me. Quo sane verbo significatur, Petri quædam præ cæteris insequela Christi præeminentia. Quod & Chrysostomus diligenter annotauit: His (inquit) verbis, iterum curam, & familiarem in eum affectum, Christus ostendit. Insinuat vtique Christus, de Petro, sibi curam amplior esse, quàm de cæteris, quod illi speciatim dixerit: Sequere me. Quare & Petrus iam audacior factus, interrogat de Ioanne (quem nouerat à Christo fuisse delectum intimius) quid esset futurum, & an ipse pariter sequeretur. Neque enim in cœna fuit ausus interrogare de Iuda, sed Ioannem tunc mediatorem sibi fecit. An non nuncvicissim, postquam Petro tanta communicasset (vt ait Chrysostomus) & orbis terrarum curam demandasset, simul & testatissimum fecisset eius amorem. Ioannes tacet, Petrus autem loquitur, & quærit ipse à Christo, dicens: Hic autem quid? Sed audit à Christo rursus ingeminatum sibi:

Decima.

Tu me sequere. Porro sequuti sunt, & Christum cæteri, sed Petrus propiori mortis similitudine, nimirum, vt simili quodam præ cæteris eum imitaretur mortis genere, cuius in Ecclesia vices præ cæteris erat administraturus. Quisquis igitur has decem prærogatiuas exacte pensitat, atque inuicem adglutinat, quasi linum lino nectens, nihil dubito, quin eius conscientia rẽ ita se vere habere fatebitur. Hoc est, Christum voluisse Petrum maiori quàm cæteros authoritate pollere, suumque vicarium in terris eum cõstituisse, simulq; ei totius Ecclesiæ commisisse curam, pariter & administrationem. Cur enim ei præ cæteris cognomentum ex seipso petitum adhiberet? Cur in ordine primum constitueret? Cur super ipsum ædificandam Ecclesiam polliceretur? Cur donaret clauibus regni cælorum? Cur sibi Petrum solum adiunxit in soluendo didragmate? Cur pro solo Petro, ne is deficeret in fide, orauit, quatenus ipse conuersus confirmaret cæteros? Cur soli Petro singulariter & priusquam cæteris apparuerit? cur simili mortis genere, hoc est in cruce finiri, voluit eum? cur, inquam, vni Petro præ cæteris tot insignia contulisset Christus, nisi quia vicarius eius esset futurus, & toti Ecclesiæ ceu princeps, & caput præficiendus. Sed hactenus ex Euangelio. Iam quibus vestigiis idipsum ex Actis apostolorum, & ex iis, quæ post Christi ascensionem Petrus gessit ostendi poterit, indagabimus. Multa fortassis prima fronte, non parum huic instituto videbuntur aduersari, quæ tamen si diligentius expendantur, non solum non officient, sed & conducent plurimum. Neque enim Petro tum par fuit omnimodam exercere potestatem, sed ad multa necesse fuit condescendere, partim humilitatis, partim vnitatis gratia. Nam qui sic vrgebantur, vt immutarent ea, quæ Christus ipse postremis etiam verbis fieri mandauit, nempe de baptizandis gentibus, in nomine patris & filii & spiritus sancti, simul & id genus alia nonnulla, quẽadmodum articulo. 16. memorauimus, quid mirum si de suo iu-

Ioannes tacet, Petrus loquitur.

Oẽm Petri prærogatiuorum collectio.

Confirmatiões ex Actis apostol.

re quisquam nonnihil imminui pateretur? Petrus tamen vbique sic suam à Christo sibi traditam exequutus est potestatem, vt cuiuis compertissimum esse posset, illum principem & caput fuisse cęteris. Principio quidem, quum ipse congruum, & rationi consentaneum esse iudicabit, vt in locum Iudę quispiam ad sacrum illum duodenarium explendum sufficeretur, habuit super ea re concionem, ad reliquam tum nascentis Reipublicæ Christianæ multitudinem. Erant enim tunc haud multo plures, quàm centum viginti. Quibus & placuit ratum habere quod tum hortabatur Petrus, atque ita sorte Matthiam delegerunt, vt is Iudæ locum suppleret. Atqui dicet hic quispiã: Non ergo Petrus hunc elegit. Certe. Sed vide qua ratione ductus, id permisit aliis. Quibusdam sane Ioseph (qui & iusti cognomen habuit) videbatur eo munere dignissimus, quibusdam vero Matthias. Nã in hos duos consensit tota multitudo. Petrus igitur, ne suo sensui nimis inniti videretur, & ne quicquam offenderet vnitati, simulque & successores futuros erudiret, hoc gestorum suorum initio, neminem in eiusmodi munera ribus conferendis, suum affectum sequi debere, voluit sortibus hoc negotium agi, quatenus in eo nullus humano affectui locus, sed tantum diuinitus fieri crederetur. Propter quod & Dionysius cap. 5. ecclesiasticæ hierarchiæ ait: Oportet (inquit) pontificem sanctum non motu proprio sacerdotales ordinationes conficere, sed sub Deo agente has pontificaliter cæleſtique celebrare munditia. Hæc ille. Ob has, inquam, rationes suę potestatis amplitudine tum vtivoluit Petrus. Veruntamen author ipse præcipuus fuit totius rei gestæ, quemadmodum ex Actis palam constat, huic confine est & illud, quod quum completis diebus Pentecostes, omnium linguis tota ipsa multitudo, dono spiritus in eos de cælo missi loqueretur, confluentibus ad miraculi nouitatem populis, ac stupentibus omnibus, solus Petrus, vt princeps & caput cæterorum, cõcionem habuit, qua stultam illorũ opi-

Prima. Actu. 1.

Secunda. Act. 2.

nionem ex scripturis confutauit apertissime, persuasitque pluribus, Iesum (quem ipsi crucifixerant) conscensus cælis, sanctum inde spiritum iuxta prædicationem suam, & aliorum prophetarum vaticinia, superedentes tum effudisse. Qua concione sic permota fuit ipsa multitudo, vt conuersi sint ex auditoribus, ipsa hora, circiter tria millia. Et hic aduerte, quem in modum scriptura seorsum à cęteris, Petrum nominatim exprimit. Stans (inquit) Petrus cum vndecim, quod & capite quinto similiter facit. Respondens autem Petrus & apostoli dixerunt: Num ita seiungeret eum à cæteris scriptura si non maior in eo, quàm in cæteris fuisset authoritas? Tertio, nec illud prætereundum est, quod proxime sequitur, cum videlicet occasione claudi, quem Petrus in nomine Iesu Christi sanabat, tertiam habuit ad Iudæos concionem, qua & conuertit ex eis quinque millia. Nec dixerit hic quisquam Ioannem etiam affuisse. Affuit itaque Ioannes. At solus Petrus hominem sanauit. Argentum (inquit Petrus) & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Ecce Petrus in sua ipsi' persona solum claudo loquitur. Nec potuit ea res latere populum, cum is quem sanabat, claudus fuisset ab vtero matris suę, vt & opera suorum quotidie baiulabatur, atq; ad quãdã templi portã reponebatur, eleemosynæ petendæ gratia. Vides vt hoc insigne miraculum, & sanè primum, quod à quouis apostolo post Christi resurrectionem factũ legitur, ipsi Petro velut apostolorum principi sit inscriptum, simulq; & conciones (quotquot hactenus habitæ fuerunt) nõ aliunde manauerint, q̃ ab eodẽ Petro. Quarto loco succurrit & illud quod de Anania & Saphira scriptũ est, in quorum fraudulentiam Petrus seueriter animaduertit. Nam & illi rebus suis & possessionibus diuenditis, non vniuersum pretium attulerunt ad pedes apostolorum, quemadmodum cęteri, sed aliquam sibi seposuerant portionem. Quo factum est, vt primum

Actu. 5.

Tertia. Actu. 3.

Quarta. Actu. 5.

vir, deinde paulo post & vxor, quę facinoris etiã conscia fuerat (Petro fraudem vtrique palam obprobante) diuino iudicio percussi, ptinus exspirarunt. Quis iam non apertissime cernit, eximiam præ cæteris in Petro fuisse potestatem, quum ad eius verbum vterque alter post alterum (facto tamen horarum trium interuallo) tam celeriter interierint. Accedit ad hæc

Quinta. Actu. 5. &. 5. Quòd cum apostoli cęteri, multa signa prodigiaque palam ęderet in populo, de nullo tamen id scriptura nominatim hactenus expresserat, quàm de solo Petro. Sic enim de illis scriptum fuit: Per manus apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. De Petro vero traditum est consequenter, ꝗ tam virquàm mulieres in plateas infirmos exportabãt, illicq; in lectulis & grabbatis eos reponebant, vt illac transeuntis Petri, vel vmbra saltem adumbraret illorum quenquam. Quòd etiam ægri, & qui vexabantur à spiritibus immundis (quos multitudo vicinarum ciuitatum eius rei gratia Hierosolymam attulit) omnes ab eo sanabantur. Ecce quantum hic discriminis inter Petrum cæterosque scriptura facit. Isti per manuum impositionem sanabant, Petrus vero per suam ipsius vmbram. Illi confusim & indistincte, Petrus vero solus & nominatim. Illi denique (quum plures essent) plurimos, at Petrus seorsum omnes, quotquot ex vicinis vrbibus, ad eum sanandi caussa confluxerant. Occurrit iam sexto loco, de cõstitutis ministris

Sexta. Act. 6. septem. Quem sane locum hi qui nullam Petro præ cæteris authoritatem tribuunt, obiicere solẽt. Atqui si res accuratius expendatur, perspicuum erit, eam nihil nobis obfuturam. Primum non erat ea res magni momenti, sed quod à quouis episcopo fieri quotidie cernimus. Deinde nec apostoli, septem hos diaconos elegerunt, sed permiserunt id negotii, discipulorum vniuersæ multitudini. Tertio vide, quia res hoc extegebat. Fuit enim murmur Græcorum aduersum Hebræos, eo quod non satis accurate prospectum fuerat illorum viduis. Ob quod, & ministrorum hu-

rum electio, toti multitudini permittebatur, ne si forte quisquam parum diligens huic officio præficeretur, amplioris in ipsos apostolos murmuris inde surgeret occasio. Quarto & istud aduerte, quod non alia ratione hæc res refertur à Luca, nisi vt constaret nobis, Stephanum & Philippum (quorum acta consequenter explicat) ex numero septem diaconorum fuisse. Quid enim de constitutis vbique locorũ episcopis non meminit potius quàm de septem illis ministris? Neque enim quisque apostolorum, sibi à suo arbitrio suscepisse credendus est episcopatum. De qua tamen re, nihil certi refert Lucas. Atqui notum est, Paulum episcopos instituisse Titum & Timotheum, quibus & potestatem fecit presbyteros locis cõgruis disponẽdi. Quid igitur dicemus? Licuisse istud Paulo, Petro non licuisse? Quid dici potest absurdius? Sed & Chrysostomus affirmat se credere, Iacobum à Petro totius orbis magistro fuisse Hierosolymis episcopum constitutum. Quis ergo dubitare potest, quin & de cæteris quibusdam idem à Petro sit factũ? Nec tamen ista memorat Lucas. Nihil ergo nobis oberit electio ministrorum, quin proderit magis, quòd ex eo iam claruit maiora Petro fuisse reseruata. Cæterum adhuc forte dicet quispiam: Non solum Petrum eis manum imposuisse, sed vnà cum Petro cęteros item apostolos. Profecto. Sed hoc nihil derogat authoritati Petri. Nam hoc ideo factum est, vt quo plures essent comprecatores, qui manus imponerent, tanto copiosior in electos descensura gratia separaretur. Septimo loco quod ad rem nostram pertinet, offertur ex actis de Petri gestis in Samaria. Id quod etiam aduersarii solent nobis opponere. Nimirum quòd Petrus eo missus fuerat per apostolos, quo moliuntur, & illum nihil præ cæteris apostolis plus authoritatis habuisse. Veruntamen si diligẽtius animum intendant, intelligent id non imbecillum esse pro Petri authoritate testimonium. Primum res erat vehementer ardua, tum propter Magum quen-

Iacobus à Petro episcop. ĩstitut.

Septima. Actu. 8.

dam nomine Simonem, qui miris illam gentem præ-
stigiis illuserat, vsqueadeo vt crediderint in illum o-
mnes, à minimo vsque ad maximum, appellãtes illum
Dei virtutem, quæ vocatur magna. Tũ profecto Chri
sti verbum, qui prædixit apostolos etiam in Samaria
testes sibi futuros. Et quanquam Philippus ipsos Sa-
maritas, sua prædicatione simul & miraculis conuer-
tisset, non potuit tamen eis signo sensibili conferre
spiritum, vt metus fuerat, ne mox in pristinos errores
relaberentur. Ob has igitur aliasque rationes, necess-
saria fuit præsentia Petri, cui comes erat Ioannes ad-
Actu.3. iunctus. Nam cum his duobus hactenus præcipue co
operatum fuisse spiritum, apostoli compertissimum
habuerunt. Erant enim hi duo pariter in sanatione
claudi præsentes ad portam speciosam templi. Erãt
Actu.4. & insimul, quando ad Petri prædicationem conuersi
sunt ex Iudeis quinque millia. Erant & hi pariter in
carcerem coniecti. Sed & vnà contra sacerdotibus &
põtificibus examinati, die postera facti sui, rationem
reddiderunt. Quid si negotii difficultas præsentiam
summi pontificis exposceret, cuiusmodi & cardinali-
bus omnibus visum fuit, quando Pius secundus expe
ditionem in Turcas parabat, num ea profecto dero-
gauit authoritati suę quicquam? an non auxit eã po-
tius? cum negotii moles præsentiam tantæ potestatis
Actu.8. exposceret. Sic nimirũ & magnitudo Petri magis in-
notuit ex hoc facto. Nam à Philippo prius baptizati,
protinus vt in eos manus Petrus imposuit, spiritum
sanctum acceperunt, id quod Philippus alioqui san-
ctissimus, & spiritu plenus præstare non valuit. Sed
& insignem illum magum Simonem, pecunia cupien
tem emere donum sancti spiritus, ita repressit, vt etiã
Octaua. adegerit ad veniam implorandam. Octauo loco di
lucida fit Petri authoritas, ex visione cælitus ostensa,
qua positus in mentis excessu vidit cælum apertum,
Actu.11. atque inde vas quoddam velut lintheum magnum,
quatuor initiis alligatum, submitti è cælo in terram,
in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæque,

& reptilia, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum:
Surge Petre, occide, & manduca. Qua nimirum visio-
ne, Petrus admonebatur etiam gentes incorporare
Christo. Gentium enim immunditiæ per quadrupe-
dia terræ, perque bestias, ac reptilia & volatilia cæli,
significabantur, & illas iam Deus intra lintheũ Eccle
siæ recipiẽdas decreuit. Propter quod & Petro iussũ
erat, vt mactaret eas primum, hoc est, per verbum Dei
(quod & gladio quouis vtrinq; incidente penetran-
tius est) tetrũ peccati sanguinem effunderet, eisque
subinde vesceretur, hoc est, more cibi traiceret eas
in Ecclesię corpus, & incorporaret eas Christo. Num
ista non indicant Petrum totius Ecclesiæ caput fuis-
se? Cui sic iussum est etiam gentes in Ecclesiam reci-
pere, & eas corpori Christi adunare, simul & cui my-
sterium istud (quod adhuc cæteros apostolos latuit)
tam aperte fuerat monstratum? Et ne scrupulus ali-
quis dubitationis eum teneret, sic ter fuit admoni-
tus. Insuper & euestigio post visionem venerunt ã
Cornelio viro gẽtili quidam accersendi Petri gratia,
quatenus illum in fide Christi erudiret. Nam & ita
præmonitus ab angelo Cornelius fuerat, vt quosi-
dam eius rei gratia mitteret ad Petrum, Petroque
iussum est identidem à spiritu, ne quicquam hæsita-
ret vnà cum illis ire. Quum igitur accessisset ad Cor
nelium Petrus, habita concione, nondum finitis ver-
bis, cecidit ilico super omnes gentes, quæ tum ade-
rant, spiritus sanctus. Nono, quum diu posthac, ob Nona.
subortam quęstionem super obseruatione legalium, Actu.15.
habita fuisset synodus, in hac Petrus, vt princeps &
caput cæterorum, suam sententiam primus dixisse
refertur, nempe quòd gentibus ad fidem Christi cõ
uersus nõ esset hoc iugum imponendum, & maxime,
quum per ipsius verba (Deo sic eum præ cæteris ad
hoc munus eligente) gentes aliquæ credidissent, san-
ctumque (similiter vt Iudæi) recepissent. Quam
sententiam subinde Paulus & Barnabas confirma-
bant, & postremo Iacobus, quippe quem & decuit

Petrus vt princeps & caput cæterorũ in synodo sententiã primᵒ dixit.

Decima.

Gala.1.

in sua sede, totius synodi recensere decretum. Fuit enim is (vt supra diximus authore Chrysostomo) per Petrum illic institutus episcopus, quanquam ab aliis referatur, id à Petro, Iacobo & Ioanne fuisse factum. Et sane credibile est Petrum id fecisse, ex consensu cæterorum. Decimo, confert & illud quod ad Galatas scribit Paulus, post annos tres se venisse Hierosolymam, Petri visendi gratia, & apud eundem mansisse dies quindecim. Et vide qua nam epistola Paulus id testatur. Nimirum in ea, qua cæteris apostolis suam authoritatem æquare vel enixissime conatur, & qua seipsum contraponit Petro. Nempe quod erat ipse in gentium apostolatum missus, quemadmodum Petrus in circuncisionis. Quanquam certe non potuit ignorare Paulus, Petro speciali quadam reuelatione fuisse commissum, vt per eum in gentes sancti spiritus gratia infunderetur, & maxime, quum interfuit concilio Hierosolymitano, vbi Petrum audierat hanc sibi reuelationem factam, exposuisse toti concilio. Cæterum ne suam Paulᵒ apud Corinthios authoritatem minueret, non quid Petro Christus, sed quid sibi copiose donauerat, retulit. Et certe quidem id facere potuit, quando pseudoapostoli sub colore Petri magnos introduxerunt inter Corinthios errores. In hac tamen epistola tantum honorem se Petro detulisse vel ingenue cõfitetur, ꝓ eius visendi gratia, se Hierosolyma venisse testatur. Nam (vt Hieronymus ait) quanquam non discẽdi studio Petrum conuenisset, qui & ipse eandem prædicationis habebat authoritatem, honoris tamen deferẽdi caussa id fecit. Quam rem & Ambrosius pariter attestatur. Dignum, inquit, fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. Non vtique vt aliquid ab eo disceret, qui iam ab authore didicerat, à quo & ipse Petrus fuerat instructus, sed propter affectum apostolatus, & vt scireret Petrus hanc illi datam licentiam, quam & ipse acceperat. Hæc Ambrosius. Quis iam non certo certius

ex his tot locis, partim ex Euangelio, partim ex Actis apost. depromptis, intelligit Petrum fuisse principem & caput totius Ecclesiẹ? Neque enim spiritus ille sanctus hanc rem in scripturis toties inculcasset, tamque variis insinuasset modis, nisi voluisset eandem à cunctis firmissime credi. Cęterum iis iam adiungamus ad sacrorum interpretũ testimonia, quibus apparebit, eos ad hũc sensum priores illas scripturas intellexisse. Nã & hoc secũdo loco fuimus polliciti. Mihi quidem videtur, haud mediocriter huic instituto conducere, si docere queam Ecclesiẹ proceres vnanimiter ita sensisse. Nam iis omni iure fides maior adhibenda est, sententiam suam scripturis astruentibus, q̃ Luthero quantũuis pertinaciter negãti. Quamobrem & illorũ sentẽtias in medium afferemᵒ. Hilarius primum, quum aliis locis, tum lib. 6. de Trini. sic ait: O miseræ stultitiẹ furor impius, non intelligens beatæ senectutis fideiq; martyrẽ, & martyrem Petrũ, pro quo pater rogatus est, ne fides eius in tentatione deficeret, qui iterata à se dilectionis in Deum postulata pfessione, tentari se adhuc tãquam ambiguum & incertum, tertia interrogatione congemuit. Per id quoque à domino post tertiam tentationis purgationum infirmitatem, pasce oues meas, ter meritus audire, qui in cunctorum apostolorum silentio, Dei filium reuelatione patris, intelligens vltra humanæ infirmitatis modum, supereminentem beatæ fidei suæ confessione locum promeruit. Hæc ille. In qua sententia palam alludit quatuor Petri prærogatiuis superius introductis, & tandem asserit Petrus propter confessionem beatæ fidei suæ, locum supereminentem inter apostolos promeruisse. Subscribit & Ambrosius sermone quodam de pœnitentia Petri: Quum (inquit) tertio interrogaretur à domino: Simõ amas meᵒ Respondit tertio: Domine tu scis quia amo te. Ait ᵒ minus: Pasce oues meas. Et hoc tertio, quod quidem dictum ad compensationem prioris profecit ᵒroris. Qui enim dominũ tertio negauerat, tertio ᵒfitetur,

Sacrorũ interpretũ testimonia qbᵒ Petrũ cæterorũ, & prĩcipem & caput esse constat.

& quotiés culpam delinquendo contraxerat,totiens gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro,antequã fleret lapsus est,post eaquam fleuit electus est,& qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumpt⁹ est, &alios regendos accepit,qui prius se ipse non rexit. Hæc Ambrosius.Quibus profecto verbis testatur,Petrum post lachrymas omnibus Christi ouibus præfectum fuisse pastorem, & eas in sui regiminis curã accepisse.Leo quoque sermone secũdo de pontifice assumptionis suę anniuersario sic scribit.De toto mundo vnus Petrus eligitur,qui & vniuersarum gentium vocationi,& omnibus apostolis,cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur,vt quanuis in populo Dei multi sacerdotes sint,multique pastores,omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid cum eo commune cęterisvoluit esse principibus,nũquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit. Hactenus ille. Ecce tria quæ plurimum annotãda sunt. Primum quod vnus Petrus vniuersarum gentium vocationi,& omnibus apostolis, & cunctis Ecclesiæ patribus præponitur, ita vt sit omnium sacerdotum & pastorum ipse subChristo pastor & rector primarius. Alterum, quod huic diuina dignatio, suæ potentiæ consortium tribuerit.Tertium denique,ꝙ sine Petro nihil eorum cuiquam dedit,quod cæteris permisit apostolis.Astipulatur & Gregorius in registro epistola.32.Cunctis, inquit, euangelium scientibus liquet, quodvoce dominica sancto & omnium apostolorum Petro principi apostolo,totius Ecclesię cura commissa est.Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum ,& ego pro te oraui Petre, vt non defiũat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hãc petram ędificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi

non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & Quodcunque ligaueris super terram,erit ligatum & in cælis, & Quodcũque solueris super terram, erit solutũ & in cælis. Et rursum inter homilias suas.21. Qua in re consyderandum nobis est,cur omnipotens Deus eum quem cunctæ ecclesię præferre disposuerat,ancillæ vocem pertimescere,& seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ actum esse pietatis dispẽsatione cognoscimus,vt is qui futurus erat pastor ecclesię,in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset.Hactenus Gregorius.Videes igitur & hoc autore, Christum Petro totius ecclesiæ suæ curam commisisse, propterea q̃ prius permisisse eũ labi,vt in sua culpa disceret,qualiter aliis, quibus pastor futur⁹ esset,misereri debuisset.Ad hæc Cyprianus,tractatu.3.de simplicitate prælatorum docet vnitatẽ ecclesiæ ab vnitate episcopatus Petri pendere,& quanquam ex Christi verbis post resurrectionem habitis,parem cæteris cum Petro potestatem fecit,nimirum quantum ad remissionẽ peccatorum spectat.Nam in ea re non maiorem Petrus quã quisquã cæterorũ potestatem habuit, tamẽ ex aliis quæ prius dixerat,ita præfert Petrum vt exordiũ ecclesiæ, post Christum à Petro,tanquam ab vnitate quadam fuisse profectum affirmet. Et paulò inferius, episcopatus eius,quem vnum esse dicit,singulos asserit in solidũ, non nisi quandam tenere partem,ipsum denique fatetur,vnum caput,vnamq̃ originem esse cũctis,sed & vnam identidem omnibus communem esse matrẽ, ecclesiam videlicet fœcũditatis successib⁹ copiosam. Adde,quod & alibi sæpe fatetur Cyprian⁹ super hũc Petrum, ecclesiam ædificatam fuisse,quemadmodum inferius adhuc dicturi sumus.Augustinus item serm. 124.de tempore.Credendæ,inquit, erant Petro apostolo claues ecclesiæ, imò creditæ sunt ei claues regni cælorum.Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo,quę esset pro suæ naturæ vitiis passionib⁹,culpis inuoluta atque peccatis. Denique

Cur Petrus labi permissus.

Vnitatẽ ecclesiæ ab vnitate episcopatus Petri pendere.

Exordium ecclesiæ post Christum à Petro dimanans.

Universidad de Deusto Biblioteca

sic ad eum saluator dicit: Tibi, inquit, dedi claues regni cælorum Deinde sequitur, dicens: Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, videlicet, vt in clauibus fidelis ianitor in sentẽtiis esset clementissimus dispensator. Erat enim reuera hic Petrus paulò durior & ferius, sicut eius austeritatẽ trũcata ob Christi iniuriam serui principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque seuerus, si donum nõ peccãdi à Domino fuisset adeptus, quæ venia commissis populis donaretur? Sed idcirco diuinæ prouidentiæ secretum ita temperauit atque permisit, vt primus ipse laberetur, ac rueret in peccatum, quo erga peccantes, duriorem sententiam proprii casus intuitu temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga salutem hominum, quantum curæ, quantumcunque solicitudinis impendatur, aduertite. Totius corporis morbum in ipso capite curat ecclesiæ, & in ipso vertice, componit membrum omniũ sanitatem in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobili fidei fundamento, in Petro scilicet illo qui dixerat: Etiam si me oporteat mori tecum, non te negabo. Hæc ille. Ecce Petrum hic Augustinus vocat, & caput ecclesiæ, & verticem membrorum, ipsamque confessionis Christi crepidinem, & demum immobile fidei monumentum, cui & claues ecclesiæ & innumeram populorum multitudinem asserit à Christo fuisse commissam. Consentit & iis Hieronymus. Nam præter hoc quod cum alibi, tum in commentariis epistolæ ad Galat. Petrum vocat principem apostolorum aduersus Iouinianum, libro. 1. scribens. Postquam obiecerit sibi, quòd super Petrum fundatur ecclesia. Respondet, quòd licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, tamen inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis quoque tollatur occasio. Hoc Hierony. Nec est vt quisquam hic dicat, hanc electionem apostolos ex se fecisse. Nam palam est ex multis scripturis superius intro-

Mat. 16.

ductis, non apostolos, sed Christum hunc delegisse, qui futurus esset totius ecclesię pastor, & princeps, & caput cæterorum, à quo promanaret ecclesiæ cõcors vnitas, & omnis diuisio schismatica tolleretur, Nam proculdubio, nisi talis esset quispiam, qui capitis vicem in ecclesia gereret, tam ob rebelles supprimendos, quàm ob cõtrouersias & lites dirimědas, in schisma faciliter incideremus. Hic vides Luthere cunctos ecclesiæ proceres vnanimiter consentire, Petrũ fuisse caput & principem ecclesiæ. Quòd si quisquã velit ad hunc modum in mediũ adducere cæteros, hoc est, Bedam, Bernardum, Rabanum, Remigium, Hugonem, & Richardum, aliosque innumeros, facillime id quidem facere posset. Verum illi quos produximus, longe spectatiores sunt. Cæterum inquiet aliquis, hi (quos citasti) Latini sunt, qui propterea videri possunt, in Ecclesiæ Romanæ gratiam hæc dixisse. Cui respondeo, non esse credibile, tot patres non minori sanctitate quàm doctrina conspicuos tãta concordia rem affirmasse, quæ non illorum iudicio verissima fuit. Veruntamen si quis malit Græcos audire, non desunt ex eis quorum aperta citemus testimonia. Ex quibus nimirum sententia nostra testatior erit, quo magis constat Græcos Ecclesiæ Romanæ semper aduersatos fuisse. Græcos igitur audiamus. Chrysostomus imprimis apud Græcos author celeberrimus, id crebro palamque testatur in cõmentariis super euangelia, tã Matthæi, quã Ioãnis. Illic homilia. 55. Petrũ caput vocat iis verbis. Vt futura, inquit, ecclesia, tot tãtisque fluctibus impetu irrũpẽtibus, immobilis maneat, cui⁹ pastor & caput, & piscator homo atque ignobilis, terrarũ orbe reluctante, adamantis naturã firmitate superet, hæc omnia Christus (quæ solius Dei sunt) pollicetur ei se daturũ. Ecce quomodo Chrysostomus Petrũ quẽ alioqui piscatorem & hominem ignobilẽ fuisse dicit, pastorem vocat, & caput ecclesiæ, & asserit ei promissa, quæ solius Dei sunt. Et paulò superius, eundẽ os & verticem ap

Græcorum testimonia quibus luce clarius omnibus patet. quãta Petrus præ cæteris authoritate polluit.

pellat totius cõsortij. Quid igitur, inquit, Petrus omnium apostolorum os, & vertex consortij totius, quũ omnes interrogati essent, ipse solus respondet? Et fi-
militer homilia. 97. super Ioannem. Quid tãdem, inquit, aliis omissis Petrum affatur? Os erat apostolorũ & princeps, propter quod & Paulus eũ præter alios visurus ascendit, simul vt ei Christus ostenderet iam sibi fiduciam habendam. Tanquam enim negationis obliuisceretur, fratrem curam ei cõmittit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit, Si amas me, fratrum curam suscipias. Et infra vocat idẽ Chrysostomus, Petrum totius orbis magistrum, tradit que Iacobum ab eo fuisse constitutum episcopũ Hierosolymitanum. Et idem de laudibus Pauli. Non, inquit, hic solus talis fuit, sed ille quoque qui fuit apostolorum caput, qui sæpe dixerat paratum se esse pro Christo animam tradere, & tamen mortem vehementer horruerat. Hæc Chrysostomus. Subscribit huic, & alter quidam ex Græciæ episcopis, Eusebius videlicet libro secundo, capite. 14. ecclesiasticæ historiæ. Continuo, inquit, in ipsis Claudii temporibus, clemẽtia diuinæ prouidentiæ, probatissimum omnium apostolorum & maximum fidei magnificentia, & virtutis merito, primorum principem Petrum, ad vrbem Romanam, velut aduersum humani generis communem perniciem, repugnaturum deducit. Ducem quendam & magistrum militiæ suæ, scientem diuina præliare, & virtutum castra ductare. Hæc ille. Ecce quantis Eusebius Petrum effert precontis omnium apostolorum probatissimum, ac maximum, & primorũ principem, fidei magnificentia, & virtutis merito. Quibus accedit & Cyrillus, & ipse quoque Græcus, qui de Petro loquẽs ait, quod quũ Christus ab apostolis quæreret, Vos autem quem me esse dicitis? Petrus vt princeps, caputque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Christus filius Dei viui, quibus aperte Cyrillus testatur, Petrum fuisse principem, & caput omnium apostolorum. Similiter & Origenes super initium euan-

gelii Ioannis, & idem Græcus quoque. Nemo, inquit, nos existimet Petro Ioannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis enim esset altior apostolorũ illo, qui est, & dicitur vertex eorum? Ecce & Origenes Petrũ verticem apostolorum vocat. Athanasius quoque Græcus Liberio Papæ scribens, de hæreticis mentionem facit in hunc modum: Mutauerunt, inquit, gloriã catholicæ ecclesiæ, propria nouitate, siue per ea, quæ illicite in eis defensione gesta sunt, hæreticam turbulẽtiam introducentes, illud competenter ad nos retinẽtes, quod bene ad Iesum filium Sirach dictum est. Vsque ad mortem, certa pro veritate, & dominus pugnabit pro te, huiꝰ rei gratia, vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis, quia dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Hæc ille. Ecce testatur hic Athanasius vniuersalis ecclesiæ curam, Liberio quondam pontifice Romano fuisse cõmissam. Sed & Theophilus eiusdem astipulatur, illud Lucę explicãs, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Petrꝰ, inquit, cui iam commissa ecclesia fuerat, quasi omnium curã gerens inquirit, vtrum ad omnes dominus parabolam protulisset. Hæc Theophilus. Subscribit & Basilius libro secundo aduersus Eunomium de signis quibusdam Petrum exprimentibus verba faciens. Per hanc vocem, inquit, intelligimus Ionam qui fuit ex Betsaide Andrææ fratrem qui ex piscatore in apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fidei præstabat ecclesię, in seipso ædificationẽ suscepit. Hæc Basilius. Quibus verbis aperit se sensisse quod super Petrum ædificata fuisset Christi ecclesia, & quod Petro præ cæteris eximia quædam à Christo fuisset tradita potestas. Dionysius item, plerunque summum, plerũque verticalem, appellat Petrum præ cæteris, vt nihil mirer quũ veteres istos ita cõspirare video, quod in Florentino concilio tam Græci quàm Armeni, reiectis pristinis erroribus, ecclesiæ Romanæ se subdi-

derint in hunc modum. Diffinimus sanctam apostoli cam sedem, & Romanum pontificé in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum pōtificé, successorem esse beati Petri principis apostolorum & verum vicarium Iesu Christi, totiusque ecclesię caput & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regēdi, & gubernādi vniuersalem ecclesiam à domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quēadmodum & in gestis Oecumenicorū & in sacris canonibus cōtinetur. Hactenus ex concilio. Neque res hæc raptim & properanter conclusa fuit, sed tractu mensiū quindecim, acerrimis interim hincinde super hac re disceptationibus habitis. Græcis & Armenis pro sua parte tam scripturarū quam authorum veterū testimonia proferentibus. Latinis contra pro sua. Cæterum, vti Blondus refert, qui tū Eugenio fuerat à secretis summo tandem animorum consensu conuenerunt omnes, vt & Græcorum oratores omnia decreta Synodi palam approbarent hac subscriptione quæ sequitur.

Nos igitur oratores nomine nostro, nostrique reuerendi patriarchæ. & omnium Armenicorum, sicut & vestra sanctitas in ipso Decreto attestatur hoc saluberrimum Synodale Decretum cum omnibus capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet & docet sancta sedes apostolica, & Romana ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptamus, suscepimus & amplectimur. Illos quoque doctores & sanctos patres quos ecclesia Romana approbat reuerenter suscipimus. Quascunque verò personas, & quicquid ipsa Romana ecclesia reprobat ac damnat, nos pro reprobatis, ac damnatis habemus, profitētes tanquam veri obedientiæ filii, nomine quo supra, ipsius sedis apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter obtemperaro. Hanc sane concordiā, Franciscus Comes Mirandulanus vir egregia litera-

tura, testatur se suis oculis, inspexisse manu Imperatoris consignatam Dilucidum igitur est, non modo Latinorum calculis, verumetiam Græcorum, Petro tanquam apostolorum principi, & capiti totius ecclesiæ curam & administrationem fuisse cōmissam. Sed iam tempus est, vt Lutherum audiamus, sua statuere molientem.

¶ Hunc facillime probo per experientiam. Nunquā enim fuit super omnes ecclesias totius mūdi Roma. Pontifex, sed neque adhuc est, neque vnquā in futurum erit, vt spero. Quid ergo necesse est multis in hac re digladiari, cum ipse omnium sensus nobis ostendat rei veritatem? Neque enim super ecclesias Græciæ, Indiæ, Persidis, Ægypti, & Affricæ vnquam fuit, neque adhuc est quod cū magna querela & dolore cōfitentur ipsimet, frustra tam multis studiis in hanc rem consumptis. *Luth.*

¶ Quid eas ecclesias, quæ tā procul sitæ sunt, memoras? Potuisses, exēpli gratia Bohemorum ecclesias nominasse, aut aliorum qui se separarunt ab ecclesia Romana, de quibus maiorem notitiam habere possumus. Nos tamen pro cunctis vnam responsionem dabimus. Aut enim ex malitia se subtrahunt, aut ex veniabili quadā ignorantia, quēadmodū de quibusdā crediderim magis, cuiusmodi sunt plerique simpliciores, qui vel per tui similes scripturarū interpretes, in errores abducūtur, vel fortassis nūquā audierūt quicquā hac de re disceptatū. Hos si nulla idipsum ingenii prauitate fecerint, sed implicite crediderint cuncta, quæ docuerit Christus, libēter etiā hanc veritatē credituri modo fuerint eā ab aliis docti, nō facile cōdemnarim. Sed illos (qui ex malitia se subtraxerint) palam ausim asserere, nihilo magis ad ecclesiam orthodoxorum pertinere, quā ecclesias Arrianorū, aut Donati starum, aut aliorū id genus hominū. Nam horum congregationes, satanæ potius cōciliabula dicēdæ sunt, q̄ ecclesiæ Christi. Nihil itaq; prohibet, quominus quisq; Petri successor dicatur Christi vicarius *Episc.*

ſuper omnes eccleſias, quæ ceu mẽbra quædam vni catholicæ ſunt eccleſiæ cõnexa. Quod & abunde ſatis eſt ad tuam probationem refellendam. Secundo reſpondemus, quòd non ſolum eorum (qui iam ſunt in eccleſia Chriſti) ſed & aliorum omnium etiã Turcarum, & Iudæorum cura ſpectat ad ſummum Pontificem, quanquam ipſi nolint hanc in ipſo poteſtatem agnoſcere. Quid enim ſi rebellis quiſpiam & obſtinatus epiſcopi ſui iuriſdictioni reclamet, num propterea non pertinebit ad ipſius curam? pertinebit haud dubie. Sic nimirum & de cunctis hominibus, quantũuis rebellibus, certum eſt quod ad ſummum Pontif. ſpectat eorum cura. Nam & Chriſtus dixit, alias oues habuiſſe ſe, quæ non erant adhuc ex ouili ſuo. Quo verbo poſſumus intelligere, non ſolum eas, quæ iam intus fuerant in ouili, verum eas etiam quæ foris vagabantur. Quando igitur Petro cõmiſit Chriſtus omnium ſuarum ouium curam, & paſtorem ipſum ſua vice ſuffecit, quis dubitare poteſt, quin ad ſucceſſorem Petri, hoc eſt, ad ipſum qui pleno iure ſuccedit in Petri locum, cunctorum hominum, bonorũ iuxta ac malorum, cura pertineat, vſqueadeo, vt quantum in ſe fuerit, ſtudere debeat omnes ad ouile Chriſti, hoc eſt, ad eccleſiæ gremium & vnitatem reducere. Per hanc itaque curam, qua ſic tenetur ille cunctis, ſiue ſubditis, ſeu rebellibus, ſuperintendere, ſtudiumque ſuum fideliter adhibere, quo celerius redeãt ad ouilis vnitatem, omnino ſuper omnes omnium hominum congregationes, ſummus Pontifex in beato Petro fuiſſe creditur inſtitutus. Neque enim rebellio, quenquam ab omni paſtoris cura ſtudioque penitus eximere poteſt.

Luth. ¶ Sed dicent, de iure nõ de facto loquimur, & nõ quid faciant, ſed quid facere debeant eccleſię illæ rebelles quærimus.

Epiſc. ¶ Acu (quod aiunt) rem tetigiſti. Sic enim haudquaquam dubie ſunt dicturi. An tu Paulum exiſtimas non ſuperiores eas eccleſias fuiſſe conſtitutum, quæ poſtquam ad fidem ab eo conuerſæ fuerant, non perſtiterunt in ea fide, ſed per pſeudoapoſtolos facta ſunt rebelles? Nũ hæc rebellio ius Pauli ſuſtulit? Nequaquam. Sic neq; Petri profecto, ſucceſſorumque ei, propterea ius ablatum eſt, quod ipſorum moderationi plures hominum congregationes ſubdi neutiquã ſe patiantur, neque gubernationi ſe ſubiiciant.

¶ Reſpondeo, hoc pro me facit. Sic enim iure diuino inſtitutus eſſet hic primatus, eſſet ſine dubio aliquando impletus, cum non prætereat à lege Dei vnum iota, quod non impleretur, etiam portis inferi non præualentibus contrarium. *Luth.*

¶ Conſultius reſpondiſſes, ſi particulam hanc adiecíſſes, vel implebitur. Nam certum eſt quòd à lege Dei vel vnum iota non præteribit, quin aut iam impletum ſit, aut in poſterum implebitur. Cæterum adhuc omnia, nequaquã impleta ſunt. Neque enim hactenus perfecte completum eſt illud: Et erit vnũ ouile, & vnus paſtor. Fuit nimirũ eccleſia Chriſti, vt ſemper vna, ita ſemper vnũ ouile. Et fuit hoc ouile priuſquã Gentes ad fidem, conuertebatur. Sed Chriſtus illis verbis intellexit Gentes, & Iudæos in vnum pariter ouile fore coadunandos, quod adhuc futurũ eſt, quando reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, & Gentes omnes conuertentur ad Chriſtum. Nam ſi dixeris iam completum eſſe propter eos qui ex vtriſque tam Iudæis quàm Gentibus nunc ad Chriſtum conuerſi ſunt, iã ergo completus eſt (ſi dicam) paſtoratus Chriſti, quẽquam igitur eandem contulit Petro neque paſtoratus ille quicquã aliud ſit quã primatus Petri, certe & primatus Petri iam impletus eſt. Neque enim quenquã ad Chriſti paſtoratum dicere potes attinere, qui non idem attineat ad Petri paſtoratum, & proinde ad primatum eiuſdem. Eligas igitur vtrum horum licebit magis impletum iam eſſe, vel adhuc implendum, hoc Chriſti verbum: Erit vnum ouile & vnus paſtor. Si dixeris iam impletum eſſe, propter eos qui nunc ſunt vnius eccleſiæ filios, & in iſtos itẽ neceſſe eſt fateare *Epiſc.*

Universidad de Deusto Biblioteca

iam impletum esse Petri primatũ. Nam qui Petri primatum spernit, Christum spernit, nec iure potest vnquam Ecclesiæ filius dici, sed ab Ecclesia separatus est. Sin dixeris adhuc non impletum, sed implendum fore, iam ipse tuam ipsius argumentationem dissoluisti, vt nos pluribus respondere nihil oporteat.

Luth. ¶Et omnia quæ Deus præcipit, sunt ab aliquibus saltẽ impleta, & quæ promisit, sunt simpliciter & semper & vbique impleta.

Episc. ¶Neutrum horum vsquequaque verum est. Neque enim primum illud tuum admittit dogma, nempe quòd omnia quæ Deus præcepit, sunt ab aliquibus saltem impleta. Quis enim iuxta tuam opinionem, aut illud præceptum, Non cõcupisces, adimpleuit vnquam? aut istud, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, ex omnibus viribus tuis. Non potes igitur ipse quouis asserere pacto, quòd omnia (quæ præcepit Deus) impleta sunt ab aliquibus. Sed & secundum etiam à vero diffidet. Nam promisit Deus, omnia Christo fore subiicienda, quod hactenus (Paulo teste) non est impletum. Necdum, inquit, videmus omnia subiecta ei. Pollicitus est & Christus, suum Euangelium per totum orbem prædicatum iri. Sic enim Matthæus ait: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in toto orbe, in testimonium omnibus Gentibus. Et Marcus ita: Et apud omnes Gentes oportet prius hoc Euangelium prædicari. Diuus tamen Augustinus asseuerat, suo tempore nondum in partibus Æthiopiæ, fuisse quibusdam Gentibus auditum Euãgelium. Quod & ante ipsum Origenes homilia vicesimaoctaua, multis verbis diseruit. His accedit & illud, quod paulo ante recensuimus, de vno ouili, & de vno pastore, quod neque hactenus integre completum est. Falsum igitur & illud est, quòd omnia quæ promisit Deus, sunt simpliciter & semper & vbique impleta.

Matth. 24. *Mar. 3.*

Luth. ¶At primatus iste, ne vna quidem hora impletus est vnquam.

¶Primatum hunc impleri: geminum habet intellectum. Potest enim plenitudo primatus huius intelligi, vel quãtum ad potestatis donum, vel quantũ ad potestatis exequutionem. Si vis horum discrimen exemplo dinoscere, sic habe. Testatur Christus omnẽ sibi potestatem datam in cælo & in terra. Plenã haud dubie Christus & integram à patre potestatem hanc accepit. Sed tamen huius potestatis exequutionem non exercuit hactenus plene. Neque enim (vt diximus) hucusque cuncta subiecta sunt ei. Sic quanquã Petrus nõ sit hactenus vsus plena suæ potestatis exequutione, nihil ob id oportet, vt nõ plena fuerit ei donata potestas. Christus hauddubie primatum hũc ei plenissime contulit, super omnes omnium hominum congregationes, Iudæorum simul & Gentium, quanquam ad hunc vsque diem, nec illi neque successoribus suis omnes subiectæ sunt. *Episc.*

¶Impossibile autem fuisset eum non impleri, si vel præceptus vel promissus fuisset. *Luth.*

¶Primatus iste nimirum plenissime datus fuit, & à Petro susceptus. Sed tu de subiectione loqueris, quam ego præceptam fuisse nõ dubito, simul & promissam, neque tamen hactenus impletã, sed implendam aliquando. Nimirum quando illud implebitur, quod erit vnum ouile & vnus pastor, & quando reliquiæ Iudæorũ saluæ fient, quæ videlicet adhuc neqquaquã implentur. Palã est itaque, tuã probationem nõ vtraque parte prorsus inefficacem esse. Nos tamen vtranque partem admittimus, & ꝙ ista subiectio præcepta fuerat omnibus, qui se velint saluos fieri, & ꝙ promissa quoq; fuit quanquam adhuc nõ sit impleta, quod & cunctis esse potest compertissimum. *Episc.* *Probatio Lutheri vtrique inefficax.*

¶Eligant ergo quod volunt, Deus primatum Petri instituit ac promisit, & nunquam impleuit. Ergo mentitus est. Si non mentitus est, nunquam instituit, neque promisit. *Luth.*

¶Et in hac quoque ratiũcula tua plenissime delitas, quod vel ex iis apertissimum est, quę suprà fuisse *Episc.*

promissa memorauimus, necdum tamen impleta. Nã satis est ad veritatem promissionis, quod id vel tandẽ impleatur, quod promissum est, neque sic mentietur, qui promisit. Quanquã certe (quantum ad primatus attinet veritatem) Petrus & successores eius à Christo plenarium acceperunt, licet eiusdem exequutionem non adhuc plenam exerceant, neque subiectionem plenam cuncti qui tenentur, hactenus exhibuerint. Sed hoc primatus veritatem non eripit, quæ nõ in subditorũ arbitrio, sed in ipso præside sita est, cui fuerat primatus ipse donatus.

Luth. ¶ Hanc ratiunculam, neque soluũt, neque soluẽt vnquã omnes papistæ in vnum cahos confusi.

Episc. *Ante victoriam laudes canit. Quid pudeat impudẽtem.* ¶ Puderet te profecto, nisi frõtis esses perfrictissimæ, tam inaniter fuisse gloriatum de tam futili ratiũcula, perinde ac si plane solidissima fuisset, ac prorsus insolubilis, cum nec tãtillum quidem valeat. Sed neque sic contentus, conuitium insuper adiecisti, cũctis primatus huius fautoribus, quasi prorsus eos viceris, quum certe nihil feceris minus. Hæc an tuã professionem deceant, alii viderint. Ego tuis cõuitiis nõ respondebo.

Luth. ¶ Præterea quid non audeant præsumere? qui primatum tribuunt Rom. episcopo, si non mouentur insuperabili & à seipsis confesso argumento. Quod omnes Apostoli æquales fuerunt Petro.

Episc. ¶ Ex his quæ præmisimus abunde colligitur, non omnino pares fuisse Petro cæteros Apostolos. Frustra enim tot prærogatiuis donasset eum Christus, si nulla prorsus in re fuisset cæteris maior. Sed et præeminentiam testatus fuit apertissime Christus, quando propositæ à cæteris quæstioni, quis eorũ esset maior, ipse respondit, ministrum illũ oportere fore, qui maior inter eos esset futurus, simulque Petro subiũxit, Simon, Simon, Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut tricum. Ego autem oraui pro te, vt nõ deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Nonne verbis istis apertissime prodidit

Mat. 20.

Maior inter apostolos Petrus qui cæteros confirmare à Christo iubetur.

Insigniores prærogatiuæ Petri.

Christus, maiorem inter eos futurum fuisse Petrum, pro quo Christus se pollicitus est oraturũ, quatenus ille conuersus cõfirmaret cæteros? An tu nihil istud opinaris, posse videlicet cæteros confirmare? Pares fuisse non negauerim, quantum ad remittendorum peccatorum attinet potestatem, & pares item in gradu sacerdotali fuisse constitutos. Verum ista non inferunt omnimodã paritatem. Nã aliis gradibus multis antecessit illos Petrus. Nemo enim illorũ primus præter Petrum constitutus fuit. Nemo præter eũ cognomentum accepit à petra Christo deriuatum. Solus item ipse regni cælorum claues sibi promissas audiuit. Ab ipso quoque tanquam ab vnico post Christum principio suam Christus pollicitus est emanaturam ecclesiam. Pro Petro iuxta ac pro seipso Christus tributum pependit, non pro cæteris. Pro Petro quinetiam orasse se Christus asseruit, quatenus ille posset cæteros apostolos cõfirmare. Petro singulariter Christus, & priusquã cæteris apostolis apparuit. Petro suarum ouium curam cæteris audientibus, vel tertio cõmisit Christus. Sed & eũdem præ cæteris eodem mortis genere, quo prius ipse passus fuit, præmonuit ab hac vita migraturũ. Quid simile fecit pro cæterorum aliquo?

¶ Et nullum eorum ipse elegit, fecit, confirmauit, misit, aut aliquid mandauit. *Luth.*

¶ Iam solita vteris dialectica tua. Sed mera negatiua nihil efficit. Quid si non elegerit, neque fecerit, aut cõfirmarit eos in Apostolos. Num propterea nõ potuit Christus illum præ cęteris fecisse maiorẽ? Hoc certe maior fuit, quod (authore Christo) confirmauit in fide cæteros. Et quanquam non misisse legitur aut mandasse quicquam illis, an ob id non licuit misisse & mandasse, quum tanta fuerit ei data potestas illos in fide confirmandi? Pro subrogando sanè quopiam loco Iudæ, primus ipse cęteros hac de re commonuisse traditur, & quum sorte Matthias electus esset, hũc Petrus suffecisse dicitur in Apostolorum numerum. *Episc.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Sic enim sacer scribit Dionysius capite quinto eccle-
siasticæ hierarchiæ. Et Beda in Actis tradit, quod Pe-
trus numerum Apostolorum duodenarium integra-
uit. Nec certè repugnant Apostolorum Acta, quū in
illis scriptum sit, quod annumeratus est Matthias cū
vndecim apostolis. Et quis alius quàm Petrus, illum
cæteris annumerauit? Cōgruebat sane, quatenus per
eum, qui primus fuit inter apostolos, & sortis euen-
tus promulgaretur, & electus cooptaretur cæteris.

Luth. ¶ Quid enim facerent, si semel missum aliquem à
Petro possent ostendere, sicut nos ostendimus Petrū
ab aliis missum? Act. 8.

Episc. Missio Petri auctoritatem eius auget. ¶ Mirum est, quod non aduertis ipse, q̄ bellè qua-
drat istud cū Petri maioritate. Nónne dixit Christus,
ministrum illum esse debere, qui futurus esset inter
apostolos maior? Sic ergo decuit Petrum, sui magistri
prædicationem implere, vt ministrum se cæteris exhi-
beret. Quanquam hoc negotium tantæ fuit arduita-
tis (vti superius ostendimus) vt vel maximè Petri præ-
sentiam exposceret. In quo nimirū eximia Petri ma-
gnitudo variis modis euasit illustrior. Partim ex Si-
monis magi reprehensione, partim ex donatione san-
cti spiritus, quam Philippus præstare non valuit. Cæ-
terum quia pluribus hac de re supra disseruimus, si-
mul & de Ioanne, qui quū fuit inter cæteros, post Pe-
trum, cum primis habitus, vnà tamen cum Petro mis-
sum fuisse constat, vt ex iis tam egregiis nūtiis, rei dif-
ficultatem apertius intelligeremus. Quoniam, inquā
de iis omnibus late supra disceptauimus, iam vela cō-
trahentes, pergamus ad alia.

Luth. ¶ Miser ille homo Roman. episcopus suam eccle-
siam Romanam, neque regit, neque pascit, sed neque
potest. Deinde curiam suam omnium scelerū lernā,
etiam nutrit ac fouet, & totius orbis ecclesias sibi ar-
rogat ad regendum, imò nec suam personam regere
iam à multis seculis potuit. Tam crassas tenebras te-
meritatis adhuc non palpamus? Et hæc figmenta ver-
borum incompositissima adhuc admittimus, vere cre-

dentes eū vere pascere ac regere velle, aut posse om
nes ecclesias, qui suam proximā etiam vastat. Lupus
in suo ouili, pastor erit in alienis?

¶ Faciat nec ne summus pōtifex ea quæ caput & *Episc.*
pastorem deceant, alienū est ab instituto nostro. Nos
hoc loco tantum inquirimus, an caput reuera sit, &
pastor à Christo constitutus. Nec defensionē scelerū
(si quibus abundat Romana curia) iam ipsi medita- *Quæstio est de potestate, non de sceleribus personæ.*
mur, sed an Petro, successoribusq; suis, tāta sit à Chri
sto collata potestas, quanta creditur, & asseritur, à sa-
cris omnibus interpretibus. Parum certe tuæ conue
nit religioni (qualiscunque fuerit ille) miserum eum
appellare, cui tot sacri interpretes, tanta vel ab ipso
Christo tributa confitentur. Sed iam perspicio satis
argumenta deesse tibi, quum ad ista (quæ mera con-
uitia sunt) fugias. Nunc enim quum nequeas argumē
torum viribus illius authoritatem minuere, malitiæ
tuæ venenum saltem in illum conspuere studes.

¶ Vnum hoc ego admiror, cur totus orbis, hoc pri *Luth.*
matu carere non possit, cuius opus & officium nun-
quam sensit, nec vnquam sentire potest? Quid enim
principatus sine opere, imò contrario opere? Si eccle
sia stat sine illius opere & officio, etiam sine ipso pri-
matu stabit, & sine dubio melius stabit, perinde enim
est, ac si nullus sit, cuius opus & officium nullum est.

¶ An totus orbis hoc primatu carere posset, id tuo *Episc.*
cerebro discutiēdum relinquo. Christo sane videba- *Christus vnum alio quem suo gregi præ-fide-re voluit.*
tur opportunum, vt vnusquisque suo gregi pręficere
tur, qui suarum ouium, nō harum quidem, aut illarū,
sed generatim omnium curam gereret. Quod quàm
sit rationi consentaneum, mox dicemus. Si vero suū
officium non agat summus Pontifex, aut Christi gre-
gem curare negligat, non propterea consequitur, vt
eiusmodi magistratus non sit orbi toti necessarius.
Sic enim & dioceses plurimas, suis Episcopis carere
posse, facile cauillaberis. Atque ita si tibi credimus,
non modo pontificatum illum summū, sed minores,
etiam pontificatus complures ab Ecclesia prorsus

auferemus. Nec demiror sanè, si non difficulter admiseris ista, quando vel absque sacerdotibus Ecclesias quaslibet regi posse dogmatizes. Et nec sacramentis, neque sacerdotibus opus esse cuiquam, sed fidem solam, & Dei verbum sufficere cunctis opinaris. Nos vero, qui ex Christo & Paulo didicimus, in Ecclesia varios esse gradus & ordines oportere, non modo sacerdotes, verumetiam Episcopos, & summum etiam ipsum Pontificem (qui cæteris præsit) necessariũ penitus existimamus.

In ecclesia varios gradus & ordines esse oportere.

¶ Quid ergo garriunt miseri, papatum esse oportere, ad regendam ecclesiam vniuersalem, ne sit acephala? quando regitur ab illo? Non est acephala, quæ capitis, neque motum, neque sensum, imo contrariũ experitur? Væ maledictis illis figmentis, quibus tot animas fallunt & perdunt, dicẽtes: Caput caput ecclesiæ, quum nullum sit capitis vspiam indicium.

Luth.

¶ Multis rationibus congruebat, & vnus vice capitis toti præsideret ecclesiæ. Sic enim in Synagoga (quæ fuit vmbra dũtaxat ecclesiæ) præfuit vnus qui & princeps sacerdotũ dicebatur, sub quo multi gradus & ordines fuerunt. Sic & ecclesia triumphãs, cui velut exemplari nostra militans respondet, vnum habet præsidem Deum sibi, quo nouem angelorum ordines esse, cunctis est creditum. Quomodo igitur ecclesia quę media inter vmbram & exẽplar est, ex vna quidem parte respiciens vmbram, ex altera verò spectans exemplar, carere potest vnitate præsidis. Sed & si naturæ modum intueamur, prospiciemus omnem multitudinem, quæ quouis modo dicitur vna, nunquam non ad vnum ceu caput & principium referri. In arboribus multi ramorum ordines sunt, sed ii omnes ab vnitate radicis proficiscuntur. In animãtibus multa quoque membra, sed hæc omnia regũtur vno capite. Ad hæc, vt Cypriani verbis vtar: Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus, & demum in policia quauis non perperam instituta, referri debet ad vnũ, totius rei prorsus administratio. Ex quibus nimirum discere possumus, nunquam posse Ecclesiam recte gubernari, nisi tanta veritas ordinum ad vnum referatur. Id quod ex tribus fiet dilucidum. Primum quoties lites emergunt de rebus fidei, & quoties incidit de scripturarũ sensu controuersia, necesse est vt aliquem supremum iudicem habeamus, cuius iudicio stabitur. De qua re pluribus antè sub veritate tertia disceptatum est. Deinde cum plerunque necessitas vrgeat, vt generalia concilia celebrentur, per quendam ceu principem (cuius mandato cæteri parituri sunt) conuocari facilius poterit episcoporum synodus. Nam alioqui fortassis accersiti nequaquam accederent. Tertio propter contumaces reprimendos, & maxime quum inter se dissentiãt episcopi, necessaria est capitis vnitas, quę studeat eos ad concordiam reducere, ne fautorib' hinc inde multiplicatis, pusilla principio lis in perniciosum tãdem schisma prorumpat. Vides ergo, si non spontanea malignitate cæcutias, papatus necessitatem. Sed tu conuitiis (vt soles) paginas reples.

Episc. Rationes multæ quibus congruit vt vnus vice capitis ecclesiam regeret.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.

Tria ob quæ necessariũ ẽ ecclesiæ caput

¶ Quàm vere dixit Petrus, secunda epistola Petri secundo: Et fictis verbis in auaritia de vobis negotiabuntur.

Luth.

¶ Hoc ad ipsum spectat Luthere, modo cætera retenseueris Petri verba. Nam paulo ante dixit Petrus, fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos, Deũ negant, per quos via veritatis blasphemabitur. Et tamen proxime sequitur istud, quod ipse memoras. Sed illa tu prætermittis, quæ te tuis colorib' depingunt. Ecquis alius præter te, sectas perditionis introducere moliatur: Ecclesia nimirũ ea, quę ductu sacri spiritus à maioribus nostris, viris vtique non minori vitæ sanctimonia, quàm eruditione præstãtibus accepit, ad hũc vsque diem sequitur. Sed eam tu nunc tuis nouitatibus scindere paras, & viam veritatis (quam hactenus ipse tenuit) execrandis blasphemiis tuis iam cõspur-

Episc. 2. Pet. 2.

care satagis.

Luth. ¶Tamen quo magis pateat operatio Satanæ in errore isto, videamus quibus verborum fallaciis & figmentis, eum primatum probauerunt. Primum adducunt illud Matthæi decimosexto: Tu es Petrus & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque ligaueris super terram &c.

Episc. Quodcũque ligaueris, &c. ¶Pro his Christi verbis explicandis, aduertendũ est, Ecclesiam haud confusam quãdam, & indigestam esse congeriem, sed ordinatissimam Christianorum congregationem. In quaviros (vt nuper diximus) ordines, & gradus esse constat, qui tandem advnum ceu caput & principem referendi sunt. Eam à Petro Christus exordium sumere voluit, & ab ipso per successiones continuas ad finem vsque seculi perdurare. Compertissimum equidem est, põtifices summos, alterum post alterum hactenus in Ecclesia successisse, nec interruptam fuisse successionis huius continuam progressionem ad huncvsque diẽ. Qua successione præter cætera, diuus Augustinus haud mediocriter in fide se firmatum fuisse testatur, atque in Ecclesiæ gremio fuisse retentum stabiliter. Tenet me (inquit) ab ipsa sede Petri (cui pascendas oues suas post resurrectionem dominus commendauit) vsque ad præsentem episcopatum, successio sacerdotum. Hanc haud dubie successionem arbitramur generationem illam intelligi debere, de qua Christus in Euangelio dixit: Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hęc donec omnia fiant. Hæc, inquã, quæ tunc cœpit. Nequeenim cuiquam dubium esse potest, apostolos ipsos iam præteriisse, simul & cæteros vniuersos, qui superstites erant, nec tamen ad hunc vsque diem, impleta esse cuncta, quæ tum prædixerat Christus. Palam est igitur ea verba de Christianorum generatione, quæ à Petro tunc sumpsit initium, intelligi debere. Et certe non absque summa Dei prouidentia cu-

Sedes Petri firmata Romæ.

ratum est, vt Petrus in ea mũdi parte sedem firmaret suam, vnde continua nobis & interrupta pontificum & sacerdotum successio propagata sit. Discurre per cæterorum apostolorum sedes, & iam aut omnes vacuas inuenies, aut non legitimos habere successores. Nec Paulus, nec Ioannes, nec Iacobus, neque cæterorum ferme quisquam, successionem hodie reliquit vllam. Soli Petro sua successio permansit incolumis. Quamobrem & huic recte dictum fuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. Quam profecto successionem, cum nec tyranni, nec hæretici, nec machinæ demum vllæ diabolicæ, hactenus infringere valuerunt, aperte subiunxit Christus: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Soli Petro sua sedes manet incolumis.

Luth. ¶Hic per petram intelligũt potestatem Petri, seu papæ monarchiam illam super quam ædificari volũt totam Ecclesiam, id est subiici huic potestati. Hæc adulteratio & deprauatio huiusverbi Christi, & impiissima & intolerabilis est.

Episc. Per petram Petrũ intelligi, sacrorũ interpretum testimonijs cõprobatur. Sup Petrũ, teste Hiero. ædificata est Ecclesia. ¶De potestate monarchica disquiremus aliãs. Ãt interea constat per petram in his verbis Petrum intelligi posse, quemadmodum iam explicamus. In qua re certe nihil ipsis verbis adulteratiõis, aut deprauationis à nobis illatum est, quin potius sensum vere germanum eis reddidimus. Cui & spectatissimi consentiunt sacrarum literarũ interpretes. Et Hieronymus imprimis, qui rem aperit citra fucũ omnem. Nam super Matth. ipsa Christi verba sic interpretatur: Ego, inquit, dico tibi. Quid est quod ait, Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti: Tu es Christus filius Dei viui: Et ego dico tibi, non sermone cassO, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse & fecisse est. Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen apostolis dominauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphorã petræ recte dicitur ei, Ædi

ficabo Ecclesiam meam super te. Hæc Hieronymus. En super Petrum ædificanda fuit Ecclesia. Ædificabo, inquit, Ecclesiam meam super te. Astipulatur & huic Chrysostomus homil.55.super Matthæum. Hæc inquam, omnia quæ solius Dei sunt, se Christus pollicetur daturum Petro. Ita & pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem gentium pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Et paulo post ad lectorem ait: Tu vero mecum ex eis omnibus, quanta sit Petri potestas intellige. Ego tibi dico, inquit, Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. Hactenus ille. Vides & hic super Petrum ædificãdam Ecclesiam esse. Basilius item ostendit idipsum aduersus Eunomium, libro secũdo, quanquam paucis. Per hanc (inquit) vocem Petrum intelligimus Ionam, qui fuit ex Bethsaide, Andręæ fratrem qui ex piscatore in apostolatus ministerium vocat° est. Qui quoniam fide præstabat Ecclesię in seipso ędificationem suscepit. Hæc Basilius. Ecce & hic affirmat Petrum Ecclesiæ in seipso ædificationem suscepisse. Ambrosius itẽ apertissime Petrum affirmat petrã fuisse, supra quam Christus erexit Ecclesiam suam. Pro soliditate deuotionis (inquit) Petrus Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxũ immobile toti° operis Christiani compagem molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra. Petra autem erat Christus, recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit. Petrus plantat, dominus incrementum dat. Dominus irriguum subministrat. Hæc Ambrosius, sermone quadragesimoseptimo, de

Chrysost.

Basilius.

Ambrosi.

Petra Christus, et petra Petrus dicit sed diuersa ratione.

fide Petri. Subscribit & huic Cyprianus, epistol. quadam ad Quintinum. Nec Petrus (inquit) quem primum dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum Paulus de circuncisione postmodum disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere. Ecce & hic multa notanda sunt. Principio, quòd dominus Petrum primum elegit. At non vocatione profecto, sed dignitate. Deinde, quòd super Petrum ædificauit Ecclesiam suam. Tertio, quòd de primatu etiam facit mentionem. Et rursum epistola tertia ad Cornelium: Petrus (inquit) super quem ædificata ab eodem domino fuerat Ecclesia vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Hæc Cyprianus. In quo nec dissentit ab eo quem solitus est magistrum appellare, nempe Tertullianum. Nam is libro de præscriptionibus hæreticorum, de Petro sic interrogat: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram, dictũ claues regni cælorum consequutum, & soluendi, & alligandi in cælis & in terris potestatem? Ecce quod affirmat Petrum dictum fuisse petram ædificandæ Ecclesiæ, quodque regni cælorum claues consequutus sit, & potestatem soluendi ligandique in cælis & in terris. Et is Tertullianus ex antiquissimis Latinis erat, & de temporibus apostolorum vicinus. Hilarius quoque de Petro loquens, & eadem interpretans verba, super Matthæum, sic ait: Beatus hic est, vt vltra humanum oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei filium cælestis patris reuelatione conspiciẽs, dignusque iudicatus, quod in Christo Dei esset, primus cognosceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clau-

Cyprianus.

Tertullia.

Hilarius.

Ecclesiæ fũdamentum Petrus.

ſtra diſſolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cælo, vt quę in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cælo. Hactenus Hilarius. Accedit his beatus Leo in ſermone quodam de anniuerſario pontificiæ ſuæ aſſumptionis die, prædicta Chriſti verba pertractans, ait: Et ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatē meā, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, quum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, prēter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoq; petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quę mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prēualebunt aduerſus eam. Hæc ille. His aſſentitur & Gregorius lib. 6. epiſtola. 37. ad Eulogium: Quis, inquit, neſciat ſanctam Eccleſiam in apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? qui firmitatem traxit in nomine vt Petrus à petra vocaretur, cui veritas voce dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum. Cui rurſum dicitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me? paſce oues meas. Itaque cum multi ſint apoſtoli, pro ipſo tamen principatu, ſola apoſtolorum principis ſedes, in authoritate conualuit. Hæc Gregorius. Auguſtinus inſuper libro contra epiſtolam Donati. de apoſtolo Petro ſed monem faciens, quanquam alibi petram Petri fidem interpretetur, hic tamen affirmat, quod in Petro tanquam in petra, fundata ſit Eccleſia, ſuamque ſententiam confirmat carmine quodam Ambroſii, quod de Gallo gallinaceo ſcripſit, nimirum iſto, Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Et idem inter ſed mones de tempore, ſermone decimoſexto, eadem omnino verba recenſet, quæ ſupra protulimus ex Ambroſio. Sed & de ſanctis, ſermone viceſimoſexto, ſic

Leo.

Gregorius.

Auguſt.

ait: Primum ſignum mirabile, quod beatus apoſtolus Petrus fecit, claudo, pedum reſtituendo (vt diximus) veſtigia. Audiſtis frequenter ipſum Petrum à dominо petram nuncupatam, ſic ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, recte prius pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia, fidei fundamentum continet, ita & in homine, membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, pedes Chriſtiano curat, vt iam non trepidus quis, nec imbecillis poſsit ſupra petram Eccleſiæ ſtare, ſed robuſtus & fortis incedere. Hactenus Auguſtinus. Nec diſſentit Origenes, ad hunc modum ſcribens: Magno illi Eccleſiæ fundamento, petræque ſolidiſsimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, vide quid dicatur ā domino: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Hoc Origenes homilia quinta ſuper Exodum. Intelligis ex iis noſtram ſententiam, cui tot maiores Eccleſiæ, tam Græci, quàm Latini ſuffragantur, non adulterinam eſſe, neque verborum CHRISTI deprauatricem. Nos itaque cum iis, & ii nobiſcum ſentiunt, Petrum exordium Eccleſiæ Chriſti fuiſſe, & ab eodem Chriſti Eccleſiam profluxiſſe, velut ā ſummo capite, & ſupremo poſt CHRISTVM. Ab ipſo certe promanauit Chriſtianorum (qui iam ſunt quiq; poſt hac futuri ſunt) generatio, cuius & ſucceſsio perpetuabitur finem nullum habitura, quandiu ſeculum hoc duraverit. Nonne cernimus Chriſtianos è ſacerdotibus naſci, ſacerdotes autem ex epiſcopis, epiſcopos quoque ab ipſo pontifice ſummo (quoties neceſſe fuerit) propagari? ſed & ipſum deniq; qui iā ſummus eſt, ab ipſo Petro per ſucceſsionē, quæ nullis dæmonum inſidiis hactenus interrumpi potuit, rectiſſima quadam linea deſcendiſſe.

Petrus exordiū Eccleſiæ Chriſti.

¶ Quod euidenter monſtrabo, in hunc modum: Chriſtus dicit, ℣ portę inferi non ſunt prævalituræ vnquam aduerſus hanc, ſiue petrā, ſiue Eccleſiam ſuper petrā ædificatā. Nihil enim refert, ſiue aduerſus

Luth.

petram,nihilque existimandum est,siue aduersus Ecclesiam non prẽualere intelligantur, imò periculosius est aduersus petram, quàm aduersus Ecclesiam prẽualere illas,cum ruẽte petra,Ecclesiam super petram sitam necesse quoque sit ruere,nõ autem econtra.Quum autem nemo possit negare,papam & omnem potestatem eius,sæpius fuisse vna cum iis,q̃ sub eo etiam pertinacissime agunt,sub peccato & impietate,pessimoq; abusu,ac p hoc portas inferi horribiliter in eos prẽualuisse,eosque occupauerint,maxime in hodiernam diem possideant,quum hodie non seruiat ea potestas, nisi ad vastationem Ecclesiæ, vt omnium sensus cognoscit, manifestum est petram aliud quippiam significare,quàm potestatem illã portis inferi tam horribiliter subiectam & seruitutem.

Episc. ¶Per petram Petrum intelligi posse, multis speruimus. Et stat inuicta prorsus interpretatio nostra, stant & sententiæ patrum inuictæ, quas antè memorauimus. Nihil his obsistunt illa tua blateramenta, quæ tot verbis effutiueras. Quid enim si prẽualuissent astutiæ dæmonum in quosdam ex summis pontificibus? Successio tamen hæc (quæ à Petro sumpsit initium)omnino perseuerat,nec violentissimis tyrannorum infestationibus, nec acerrimis hæreticorum argutiis,sed nec vlla satanę malignitate valuit vsquã impediri. Manet Petrus huius generationis immobile fundamentum.Nec ab hoc principio suo potest vllis aduersariorum insidiis Ecclesia diuelli. In quosdam ex pontificibus, fraudes prẽualuisse diabolicas non refragor. Prẽualuerũt & in Petrum, citra quam ad ipsum ea verba Christus habuerat, nimirum quia peccato succubuit. Et quem ex vniuersa mihi dabis Ecclesia, qui non etiam interim peccato succubuerit. Veruntamen aduersus hanc Ecclesiæ promanationem à Petro, prẽualere dæmonum artes,nec potuerunt,nec poterunt vnquam.Quamobrem,per petram recte Petrus intelligitur, & per Ecclesiam quoque promanatio Christianorum à Petro, aduersus

Quid p Petrã & quid per ecclesiã.

quam inferorum portæ nunquam sunt prẽualituræ.

¶Quare impiam & intolerabilem blasphemiam esse dico, per petram qua solus Christus, id est verbum & fides eius insuperabilis significatur intelligere potestatem illam monarchicam, Satanæ seruam & officinam.Sola enim fides in Christum est,quę nullis inferi portis ad vllum peccatum potest subuerti. *Luth.*

¶Hæc inter cæteras, vna ex strophis tuis est, nec sane rarius abs re vsurpata, nempe quum vnum aliquid duabus aut pluribus queat rebus accommodari,tu talem adhibeas fucum, vt vni soli,cæteris exclusis,appropriari videatur. Sed excutiamus quàm diligentice idipsum facias. Tria quidem sunt, Petrus,potestas Petri,& fides. Tu colligere studes,super fidem, cæteris exclusis, Ecclesiam ædificatam esse, & quod aduersus fidem, prẽualere nequeant inferorum portæ. Num igitur hæc consequutio tibi iusta videtur? Non super Petri pptestatem ædificatur Ecclesia, ergo super solam fidem ædificatur?Et similiter ista:Portæ inferi prẽualuerunt aduersus potestatem Petri, quamobrem non de potestãte Petri, sed de sola fide Christus est loquutus. Primum hæc posterior consequutio tua multifariam vitiosa est, tum quod verba Christi palam est, rectius ad Ecclesiam referri debere,quàm ad petram.Et portę(inquit)inferi non prẽualebunt aduersum eam, nimirum Ecclesiam,de qua proxime loquutus est. Quanquam ergo non potuerint hæc verba de potestate Petri congruenter intelligi, intelliguntur nihilominus de Ecclesia, & non quod tu moliris de sola fide.Deinde nec satis efficaciter adhuc ostendisti, quòd aduersus potestatem Petri prẽualuerint inferorum portæ. Neque enim sequitur: Prẽualuerunt in Petrum, aut in successores Petri,ergo prẽualuerunt in potestatem, quæ vel Petro,vel Petri successoribus per Christum data fuit. Nam integram &incolumem eam potestatẽ esse,non ambigimus, tam in episcopis quàm in sacerdotibus, nedum in summo pontifice, quantũuis ipsi vitiis in-

Petrus, potestas Petri, fides trifida calle secernuntur.

Posteriores argutiæ Lu. confutatio.

Ptãs à christo data in põ. & episc. manet firma licet ipsi peccatis inquinẽtur

quinati fuerint. Tertio, nõ tantã habet fides in quo-
uis homine firmitatem, quantam habet hæc potestas
à Christo põtifici tradita. Nemo enim vsqueadeo sta-
bilis in fide est, vt labi non posset, alioqui non dixis-
set Paulus: Qui stat videat ne cadat. Quæ res vel in
Petro fuit euidẽtissima, qui ter magistrum suum Chri-
stum negauit. Verum potestas ista, quam Petro & sa-
cerdotibus dedit Christus, nullis dæmonum artibus
potest infirmari. Præualeat quantumcunque libue-
rit Satanas in homines, aduersus hanc certe potesta-
tem præualebit vnquam. Sed inquies, Neque aduer-
sus Ecclesiæ fidem præualere potest vnquam. Hoc
ideo fit, quoniam aduersus Ecclesiæ successionem
nunquam præualebit. Semper enim Ecclesia perdu-
rabit in fide. Quia semper hæc generatio, & succes-
sio promanans à Petro, perpetuabitur. Cæterum ex
Ecclesia nullum designabis membrum, de quo cer-
tum asserere posses, quòd eius fides non periclitabi-
tur. Et vbi te quæso manet ecclesiæ fides? An tu sepa-
ratam aliquam fidem ecclesiæ seorsum manere pu-
tas, ex qua pendeat ecclesia? Non alia certe est, quàm
quæ in mentibus hominum reponitur. Quamobrem
quum in singulo quoque Christiano fides periclita-
ri potest, potestas tamen Petri manet incolumis, mul-
to solidius à potestate Petri deriuatur ecclesia, quàm
super alicuius hominis fidem collocetur. Sed iã prio-
rem similiter consequutionem expendamus. Eccle-
sia tametsi non fuisset ædificata super potestatem Pe-
tri, potuit nihilominus super Petrum ædificari, &
non super solam fidem excluso Petro. Quamobrem
nec consequitur. Non est ecclesia super hanc pote-
statem ædificata, igitur super solam fidem ẽdificatur.
Cæterum vt ingenue fatear, hanc consequutionem
insinuas magis, quàm explicas. Inuoluis enim hanc
rem tuo more, neque vsquam aperte probas, quòd
non super Petrum ædificata sit ecclesia. Sed callide
priori parte verborum Christi dimissa, mox incipis
ab altera, nimirum hac: Et portæ inferi non præua-

1.Cor.10.

Ecclesia sẽper manebit in fide.

Vbi ecclesiæ fides manet.

Prior Lut. cauillus expenditur.

Versutia Lutheri, puppi facit sine proue.

lebunt aduersus eam, hoc est, iuxta tuam expositio-
nem, aduersus petram. Nimirum vt ita versuta posses
inferre, per petram intelligi non posse potestatem
hanc (in quam vt ais horribiliter inferorum portæ
præualuerunt) sed fidem solam. De superiori vero
particula nihil explicatim disseris. At id oportuit cũ
primis. Nisi enim ostenderis super Petrum non fuis-
se ædificatam ecclesiam, nihil agis. Sed hanc callide
pertransis, & repugnante dialectica, colligis fidem so-
lam esse, aduersus quam portas inferi non præualitu
ras affirmauit Christus. Cum tamen ipse rectius po-
test de ecclesia q̃ de fide esse loquutus. Neutrum igi-
tur expugnasti, aut q̃ super Petrum, aut q̃ super po-
testatem Petri, non sit erectum ædificium ecclesiæ,
cum tamen alterutrũ abũde sufficiet, p nostra parte.

¶ Patet ergo quàm insigni blasphemia, multi pon-
tifices in suis decretis petram detorserunt ad suam
potentiam, & verbum ædificare, ad ecclesiæ æternam
subiectionem. Si enim ædificatur super petram, qui
papæ monarchiam colunt, necesse est vt portæ infe-
ri nihil in eos possint. Quum vero portæ inferi in
nullos homines plus possint, quàm in eos, religiosissi
mi papæ subiecti sunt (sunt enim omnium, quod vi-
dimus, sceleratissimi & impiissimi omnium dæmo-
num & vitiorum serui) patet, quòd nihil minus pote-
stas illa sit, q̃ petra ista, & illi nihil minus sint, quàm
ædificati super hanc petram.

¶ Isto more argumentandi, nec ecclesia super pe-
tram ẽdificabitur. Quis enim est ex tota ecclesia, qui
prorsus omni peccato careat? Et maxime si tua dog-
mata sequamur. Quum asseras in omni opere bono
peccatum esse, & opus quodque bonum optime fa-
ctum, veniale nihilominus esse peccatum, sed & ve-
niale quodlibet suapte natura mortale esse. Quòd
si quoduis ecclesiæ membrum, sic immersum est pec-
cato. Et tota pariter ecclesia peccatis erit immersa.
Nam quid aliud est corpus aliquod totum, quàm o-
mnia sua membra: Sed & tibi serua diaboli sit necesse

Luth.

Episc.

Ecclia Christi si Luth. audiendus, serua sit diaboli necesse est.

est Ecclesia,& eatenus sub illius potestate, quatenus ea peccatis est subiecta. Qui enim confitetur,inquis, se non habere Dei regnum, quod peti commorat,dicés: adueniat regnum tuum,certe seruum diaboli se ex parte confitetur. Hæc tua verba sunt, negare non potes. Quòd si diaboli serua sit Ecclesia,propter peccatum quo certe carere non potest, & propter absentiam regni Dei,quomodo tibi super petram ædificatur? Quòd si ipsa non obstantibus peccatis super petram ædificata sit, cur non etiam alii (de quibus loqueris) possunt etiã super petram ædificari? Ad hęc. Si per petram, vt tibi placet, sola fides intelligi debeat. Et tibi aduersus hanc nec dæmones præualere queunt. Quomodo cernimus in tantam quotidie Christianorum multitudinem præualere dæmones, cum tamen illi se fidem habere confiteantur? Quòd si dixeris in homines dæmones præualere non illorum fidem. Sic & ego vicissim tibi respondeo,non in potestatem pontificum, sed in ipsos pontifices,quatenus homines sunt, posse dæmones præualere. Quãobré & subruit ista consecutio,quã affers. Si ędificantur supra petram, qui papæ monarchiam colũt, necesse est, vt portæ inferi nihil in eos possint.

Alia ratio.

Luth.

¶ Adeste ergo huc papa, & omnes papistæ in vnum, conflate studia vestra omnia in vnum, si forte positis hoc vinculum dissoluere. Saltem hæc authoritas contra vos euicta triumphataque est. Nonne hæc authoritas hactenus fuit vestrũ vnicũ præsidiũ? Nonne per omnia Decreta iactata ceu rupes inuicta huius potestatis? Prorsus in nullo alio verbo vobis credimus, donec hoc mendacium & hanc blasphemiam dilueritis. Suspecti inquam eritis in omnibus aliis, semel deprehensi in tam crassa temeritate deprauandi verbi Dei.

Episc.

Lutheri tela in seipsum remissa.

¶ Hæc iam exprobras orthodoxis Ecclesiæ catholicæ membris,quæ suo capiti studiose fauent, vt par est. Et ego vicissim eadem in te verba retorquebo. Huc adsis & tu Luthere, cum Lutheranis omnibus

tuis & omnia studia vestra in vnum conflate, neque vnquam efficietis, quin vera prædixerit Christus. Nempe,quòd super petram,hoc est Petrum, ædificaturus esset Ecclesiam suam. Stat contra vos hæc authoritas inuicta, quæ etiam de nobis triumphat, & triumphabit. Neque vnicum hanc nobis præsidium esse credatis, quum non desint plura, & sane quàm hęc multo validiora, quæ nunquam infirmabitis. Et vt ex illis viginti locis, quos supra recensui, partim ex Euangeliis,partim ex Apostolorum actis duos solos memorem,nempe de didrachmate,quod pro se & Petro Christus persolui voluit, & de oratione quam pro solo Petro fecit Christ?,ne deficeret in fide,quatenus ipse conuersus confirmaret cæteros. Hos inquam duos locos nullis verborum ambagibus,nullis fucis,nullis imposturis, pro vestra parte contorquebitis vnquam. Et iam Luthere,postquam hic tantopere gloriaris, & exultas, quasi rem euiceris, dic mihi, precor, vtrauis harum id rationum feceris? An quia crassioribus ingeniis (licet aliter tua censeat conscientia) videri vis hic peperisse victoriam? Et tum demiror, quomodo te non pudet, qui religionem professus es,ad hunc modum illudere plebi Christianæ. An magis,quòd ex animo rem itavere se habere confidis? & tum certe nullo deinceps alio verbo credendus,donec hoc mendacium & hanc blasphemiam dilueris. Suspectus,inquam,eris & merito quidem in omnibus aliis,semel deprehensus in tam crassa temeritate deprauandi verbi Dei.

Solutio dilemmatis.

Oratio Christi p Petro.

¶ Mitius sane errassetis,si per petram intellexisse tis sanctum Petrum,quem aliquod sancti patres fundamentum Ecclesiarum appellarunt.

Luth.

¶ Si vel vnicus ex iis (quos produximus) hoc affirmasses Luthere,non is vsqueadeo leuis esset authoritas,quin tibi tuisque preponderaret. Quamobrem quum tot sint,& ex mactis spectatissimisq; quis non iis omnibus fidem adhibebit magis,quàm vni Luthero,& eidem in tot iãpridem, & tã crassissimis depre-

Episc.

henso mendaciis?

Luth. ¶ Sed propter fidem suam, non propter potentiam id dixerunt. Non enim idē est, sanctus Petrus, propter fidem verbi Christi, & potestas papæ sine fide & verbo, superabilis per portas inferi.

Episc. ¶ Quacunq; dixerint patres id ratione, compertissimum est eos id de Petro sensisse concorditer. Et certe propter fidei suæ confessionem, hoc ei Christus pollicebatur, & prius item quàm Christus potestatis illi creditæ fecerit mentionem. Prius enim dixit ad eum Christus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meā. ac deinde paulo post: Et tibi dabo claues regni cælorum. Cæterum hi qui Petro succedunt, tametsi parem non habeant cum Petro fidei firmitatem, successores tamen Petri sunt, per quam successionem hactenus ecclesia perpetuatur. Neque solum in Petri locum successerunt, verumetiam in potestatem cum Petro parem, saltem quātum ad ligandi, soluendiq́ue pertinet authoritatem. Quę potestas nimirum insuperabilis est, nec per vllas inferorum portas infringi valebit quantumuis hi peccato subiaceant, qui præditi sunt ea potestate.

Luth. ¶ Quod si etiam aliquot patres in sentētia vestra habeatis, frustra eos iactatis. Quia nos clarum euangelii sensum habemus merito omnibus præferēdum.

Episc. ¶ Nam aliquot ex patribus Luthere, sed omnes ad vnum pro nostra sententia faciunt, & suos huic adiunt calculos. Quod quum ipsi faciant tam vnanimi consensu, frustra tu prouocas ad euangelium, quasi patres illi non intellexerint euangelium. Sed & Tertullianus, libro de præscriptionib° hæreticorum, potenter ostendit hæreticos haudquaquam admittendos ad ineundam de scripturis prouocationem, quin etiam eisdem interdictam esse docet de scripturis disputationem cum in ipso congressu firmos fatigent, infirmos capiāt, medios cū scrupulo dimittant. Non est igitur interpretationi tuæ Luthere de euangelio contra tot ecclesiæ proceres credendum, quum ali-

Interdicta ē hæretica scripturarum iterpretatio

ter ipsi vno ore, cuncti dictum euangeliū edisserant. Cæterum finge neminem eorum sic interpretatum fuisse, ipsa tamen euangelii verba pro nobis militant apertissime, quæ tu per vim torquens, & in diuersum sensum rapis, vel inuitissime. Id quod monstrabo adhuc luculentius. Tu supra fidem solam vis ecclesiam ædificari. Nos super fidelem Petrum, qui primus Christum vere cōfessus erat fuisse filium Dei. Alii quidem antea, confessi sunt Christum esse Dei filium, tam Nathanael, quàm qui in nauigio sedatam viderant tempestatem. Sed ii Christum, quendam inter multos à Deo magis dilectum putabant, non autem ex ipsa patris natum substantia. Petrus vero filium Dei ex ipsa Dei substantia genitum confitebatur. Cuius confessionis merito dictum est illi, Beatus es Simon Bar Iona. Solus itaque Petrus hac nomenclatura notus erat, nempe, quòd erat Simon filius Ionæ. Quamobrem & in hunc solum, quicquid sequitur referri debet, nō ad cęteros. Nemo enim illorum fuit Simon Bar Iona, prēter Petrus. In prēconiū itaque Petri, simul & suę cōfessionis p̄miū Christus, quę sequūtur, omnia p̄tulit. Beatus es, inquit, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cęlis est. Non enim hęc docere te potuit pater tuus Ionas, q̄ caro & sanguis est, sed pater meus cęlestis, qui spiritus est, bęc tibi cęlitus reuelauit. Misertum te p̄genuit Ionas pater tuus. At è diuerso beatum hac reuelatione, meus pater effecit te. Cęterum, & ego quia me sic confessus es esse filium eius, plusculum adiiciā. Ego vicissim dico tibi, q̄ tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam. Magnum sane donum fuit quod Deus pater contulerat Petro, nempe reuelationē diuinitatis filii sui, quam adhuc nec Iudam, nec alios quosdā ex apostolis, accepisse reor. Sed iam Petro propter vsum huius doni, Christus prēmium longe cumulatius adiecit. Verum age, singula quęso verba diligētius expēdamus. Primum illud excutiamus cur dixerit: Ædificabo ec-

Nota.

Quale doniū Petri.

Quare Christus dixerit, ædificabo ecclesiam.

clesiam meam. An non erat Ecclesia iampridem ædificata? Erant certi iam olim qui Christum crediderunt. Nihilque inter illorum & nostram fidem interfuit, quàm quòd illi venturum Christum crediderint, nos autem venisse. Sed quia primus omnium Petrus, hanc fidem confessus erat, idcirco Christus non à prioribus illis, sed à Petro voluit exordium Ecclesiæ suæ sumere. Nam hi quos Christus colligere venit, peculiariter ad Ecclesiam Christi pertinebant. Propter quod & congregationem hanc, quæ cœpit à Petro, peculiariter suam Christus vocabat ecclesiam. Quoniam igitur hæc futura iam erat, idcirco dixit: Ædificabo Ecclesiam meam. Cæterum vt intelligamus super Petrum Ecclesiam hanc ædificari. Quid

Petrus quid aliud & saxũ

aliud est Petrus (si quis interpretetur) quàm saxum? Et quid aptius cogitari potest, quod ceu fundamentum, in ædificio quouis locetur, quàm solidũ saxum. Porro quid inter saxum & petram interest? Nihil omnino, nisi sola vocis diuersitas. Pensitemus itaque, quàm apposite sequitur. Tu es (inquit) Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Audis hic Petrum, seu petram, audis ędificationem, audis & Ecclesiã. Quid est aliud Ecclesia, q̃ viuorum lapidũ, nec confusa quidem, sed ordinatissima cõstructio? Lapidum inquam rationalium, qui fide non mortua viuunt. Propter quod & ipse Petrus ait ad ędificatos: Et ipsi tanquã lapides viui superędificamini domos spirituales. Hæc nimirum domus Ecclesia nõ potest nõ intelligi. Quando igitur apertum est, Ecclesiã ex eiusmodi lapidibus constructam esse, quid tam coacte fundamentum aliud huic ędificio quęris, q̃ p̃ his congeneum sit? Cum enim homines hanc structuram, ceu viui lapides, ingrediũtur, quod fundamentum aliud citra Christum, magis congeneum erit, quàm ipse Petrus? Quem & propterea saxum Christus nũcupauit. Cęterum quãtum ad fidem attinet, palam est nullum huius ædificii membrum, carere posse fide. Nam si fide cauerit quispiam, iam foris est, & nõ in ędificio.

1. Pet. 2.

Petrus post Christũ natiuum ecclesiæ fũdamẽtum.

Fidem non esse fundamentum ecclesiæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quòd si quodcunque membrum fidem habere necesse sit, quomodo non etiam vnumquodque debeat Ecclesiæ fundamentum dici? Nam cur huius aut illius fides, pro fundamento magis reputabitur, quàm alterius cuiuslibet? Neque enim (opinor) separatam aliquam fidem, & imaginariam (quæ non sit mentibus hominum) esse fingis, super quam ædificata sit ecclesia. Quòd si cuiuslibet Christiani fidem asserueris Ecclesiæ fundamentum esse, iam quæque pars huius ædificij, fundamentum erit & nihil præter fundamenta totum ædificium continebit. Quòd si dixeris, quis non videt, quàm monstruosam hanc structuram efficies. Fides hauddubie qualitas quædam est tam fundamento, quàm cæteris huius ædificij partibus, omnino necessaria. Sed fundamentum quid aliud est, quã primum & præcipuum ecclesiæ membrum? cuiusmodi nec cogitari quidem fides potest, quum ea nequaquam sit cæteris congenea membris. Adde, quòd neque fides iam primum cœpit, sed in ipsis etiam priscis fuerat. At ecclesiæ futuræ fundamentũ, Christus iam primum iecit & locauit. Ad hæc, nec Christus hoc modo fundamentum ecclesiæ dici poterit, quum fide careat, vtpote, qui vera semper fruitus sit visione. Nobis vero Christus etiam fundamentum est, nec duo tamen ob id erunt fundamenta, quum Petrus non nisi vicõ occupet Christi. Et propterea vides, petræ nomẽ quod Christo proprium erat, Petro fuisse communicatum, in signum cuius & didrachma pro se & Petro dentaxat, soluit. Pro Petro quinetiam orauit, vt ipse confirmare posset cæteros. Sed & solius Petri sedes, ad hũc vsque diem absque hæreseos aliqua nota manet inuiolata, solidiorque saxo quolibet ipsa perduraat. Iam si quis reliqua velit explicare, quomodo nec constructionem hanc diruere valeãt inferorum portæ, simul & quomodo claues cælorum soli Petro fuerant promissæ, perspiciet, omnia vel sole clarius pro nostra sententia pentius dimicare, sed & cunctos sentiu carere communi, simul & quauis talpa cæciores

Fundamentũ est primũ & præcipuũ ecclesiæ mẽbrũ.

Christus ecclesiæ fundamẽtũ primus iecit, nõ duo fundamenta.

Petrus sub Christo ecclesiæ fũdamentum.

Petræ nomen quod Christo proprium erat Petro fuisse communicatum.

esse, qui id non vident.

Luth. ¶ Atq; ne alienis virtutibus glorier, Ioannis Huss. iniquissimè à vobis combusti, hæc est victoria in hoc verbo Christi, imò ipsius Christi, ob quē ille exustus est, non enim ex meo capite, sed ex illius libro, de ecclesia scripto, & à vobis damnato, hæc habeo.

Episc. Impudētia Lutheri. ¶ Dignus hoc magistro discipulus es, cuius perversissimo dogmate gloriaris. At hoc es illo nequior, quòd postquam illum noris totius concilij sententia fuisse condemnatum, illius tamen hæresim te suscitare nō pudet. Nec potes illius condemnationem imputare summo pontifici, quippe quod hi qui sentētiam in illū tulerunt, & brachio tradiderunt seculari, multis pōtifici nominibus tum parum accepti fuerant, & mores pōtificios modis omnibus ad normā redigere curarunt. Non igitur hoc egerunt, aut in pōtificis gratiam, aut per pontificem inducti, sed sola veritate permoti, nimirum quod compertissimum habuerant hominem contra sanctorum interpretum communē assertionem, etiam contra scripturas sacras, suo sensui pertinaciter adhæsisse. Neque negare potes, quia de sacramento altaris non recte sensit, ob quem errorem, etiam te iudice, vel emendandus & condemnandus esset. At hoc etiam demiror, quomodo te non pudet hoc magistro gloriari, quem non ignoras errore tam pestilenti fuisse prolapsum, & in eodem ad mortem vsque perrexisse, vel summa pertinacia.

Luth. ¶ Alteram quoque afferunt authoritatem Ioannis vltimo, Dixit Iesus Petro: Simon amas me, pasce oues meas, &c.

Episc. Lutherus scripturis iniuriam facit. ¶ Si cuique liceat ad hunc modum scripturas ab inuicem separare, atque separatas seorsum villicare, quid esse firmum potest, & à calumniis tutum? Ingentem sanè scripturis iniuriam facit, qui sic eas aggreditur? Sed oportet accuratius pensitare, si quas alias habuerint, vna secum conspirantes. Nam quo maiorem habet scriptura quæuis cum aliis multis confœderationem, tanto fulcitur magis illa connexa,

quàm si seiungatur à cæteris. Vt enim scitè quidam ait, quæ non prosunt singula, multa iuuant, facillime quispiam equinę caudæ singulos vellicabit pilos, at simul cunctos euellere nemo facile potest Scyluros (vt est apud Plutarchum) quum relictis octoginta maribus filiis, obiturus esset iaculorum fasciculū vnicuique proponens, confringere iubebat. Verum singulis se id posse negantibus, ipse cum singula iacula excepisset, facile omnia perfregit. Sic illos docens, si vna esse perseuerarent, firmos validosque fore. Sin dissoluti dissidentesque forent, infirmos ac debiles futuros. Sin nimirum, vt confœderatio scripturarum plurimum habet roboris, & simul iunctæ multo validiores sunt, quàm si quis eas carpserit seorsum singulas. Quam rem & Lucas in actis docuit de Christo tradens, quòd apostolis præbuerat seipsum viuum post passionem suam multis argumentis. *Act. 1.* Porro si quis hæc argumenta seorsum singula carpserit, nullum eorum proteruienti satis fuerit efficax, tametsi cuncta simul, rem commonstrent vel apertissime. Vt igitur hæc scriptura, cui iam calumniaristudes genuino robore nequaquam destituatur, considerabimus quantam non modo cum cæteris noui testamenti scripturis, verumetiam veteris habet conspirationem. Neque enim semel astruit Paulus quædam esse diuini iuris, & euangelici quæ tamen et veteri testamento deprōpta sunt, quemadmodum & illud est (exempli gratia) quod Apostolis licuit ab illis victum exigere, quibus prædicabant. Hoc nimirum, idem quod ad Corinthios nono Paulus docet esse diuini iuris. Et quonam argumento? Scriptum est, inquit, in lege Mosi: Non alligabis os bobi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos vtique scripta sunt. Quoniam debet in spe qui arat arare. Hactenus ex Paulo. Vides itaque dialecticam Pauli, qua (sumpto veteris legis testimonio) probet aliquid euāgelici iuris esse. Neq; id sane ratione

Quædam euāgelici iuris ex veteri desumpta lege. *1. Cor. 9.* *Deut. 25.*

Pauli dialectica.

caret, quum nihil aliud erant omnia veteris legis, q̃ figuræ quædam legis nouæ, & quædam adumbrationes eorum, quæ in euangelio continentur. Propter quod & ipse Paulus ait: Vmbram habens lex futurorum bonorum. Et alibi: Omnia in figura contigebãt illis. Palam est igitur Synagogam Iudæorum, ecclesiæ (quæ iam Christianorum est) vmbram quandam fuisse & populum illum huius populi fuisse figuram. Sed & iter quod illi per solitudinem egerunt versus terram eis promissam, nostrum iter, quod per huius mũdi desertum agimus, versus patriã cælestem, quæ nobis est promissa, significat. Cæterum ductores populi, nempe Moses & Aaron, suis adumbrationibus carere non possunt. Cernimus plerunque lucente sole, quãdam arborem ramis dilatatam, foliis opertam, onustamque pomis super tellurem vmbram proiicere, vsqueadeo sibi similem, vt quicquid ramorum, foliorum, aut fructuũ in arbore fuerit, id in vmbra quiddam habeat sibi respondens. Et vicissim, quicquid in vmbra contineatur, id quiddam in arbore solidum respiciat. Vt & oculis vmbram cum arbore conferẽs, & vmbræ quamlibet portiunculam obseruans, dicere potest. Hæc vmbræ portio hanc arboris partẽ spectat, & ista notat ramum, illa folium refert, alia pomũ repræsentat, sic & quædam stipitem, quædam autem arboris summitatem. Quamobrem si cuncta (quæ Iudæis contigerunt) futurorum vmbræ fuerant, necesse fuerit eiusmodi duos inuenire quorum alter sub altero duxerit in hac ecclesiæ peregrinatione, quales constat Mosen & Aaron fuisse Iudæis. Nam quãdo cætera videmus tum vel adamussim respondere, nempe Pharaoni, diabolum, Ægypto, peccatum. Exitui ab Ægypto, exitum à peccati tenebris. Iudæis, Christianos, iter, itineri. Deserto, mundum, cælestem patriam, Iudææ, ita Mosen & Aaron velut vmbras itẽ quasdam suis veritatibus respondere necessum est. Et hi nimirum sunt Christus & Petrus. Quod & nos quatuor indiciis comprobabimus. Primum erit ratio-

Heb. 10.
1. Cor. 10.
Synagoga Iudæorum, Ecclesiæ Christianorum vmbra iter populi Israelitici per solitudinẽ quid præfigurauit.
Pulcherrimum de arbore exemplũ figuratiũ axplicatio.
Attende lector.
Christus & Petrus christianorũ duces quẽadmodum genti Iudaicæ Moses & Aaron.

ne sacerdotij. Erant itaque Moses & Aaron sacerdotes veteris legis. Christus autem & Petrus legis nouæ. Cæterum vt à solo Deo Moses consecratus, fratrem suum Aaron vnà cum cæteris huius filiis in sacerdotes consecrauit, ita tamen, vt Aaron esset cæterorum princeps. Sic & Christus à solo patre Deo sacerdos secundum ordinem Melchisedech effectus, Petrum ipsum vnà cum cæteris apostolis constituit eiusdem ordinis sacerdotes. Sed Petrum cæterorum principẽ effecit, cui vel soli suam nuncupationem communicauit, vt diceretur à petra Petrus, quum antea Simon vocaretur, hoc cognomine prorsus indicans Petrum supra cæteros vicarium suum esse constitutum. Sed hic operæpretium fuerit audire, quid Lutherus obiectet. In libello nãque cui titulus est, Resolutio de potestate papæ, versiculum hũc tractat, imò lacerat magis, Moses & Aaron in sacerdotibus eius. Anacletus enim qui post Petrũ quartus fuit, inter paucula quædam, quæ suo tempore decreta scripsit, hoc versiculo vtitur ad idem institutum, quod & nos meditamur. Extant nimirũ in variis huius regni monasteriis pulcherrima volumina quæ canones apostolorũ, & quasdam pontificum decretales epistolas simul & concilia patrum continent, quorum voluminum quædam Bedæ temporibus scripta fuisse creduntur. Et tamen audacia Luthert nihil veretur hanc decretalem Anacleti, aut Gregorij noni, aut Bonifacij octaui, aut Clementis quinti tribuere. Semper (hauddubium est) fuere canones apostolorum summa apud patres habiti reuerentia, sed & hanc Anacleti decretalem citant vetustissimi decretorum compilatores, vt de ea dubitare non posset, nisi quis velit Academicorum more, cuncta in dubium reuocare. Cæterum quem in modum Lutherus hanc decretalis huius partem discere studet, iam attendamus. Quid, inquit, audio? q̃ non frustra hos canones lego? quàm egregie disco scripturas intelligere? Sic Lutherus. Cæterum hic aduerte lector. Iam puluerem ob oculos offundere mo-

Obiecta Lutheri.
Anacleti decretales.
Mos Lutheri.
Lutheri documenta.

litur. Quoties iis strophis incipit ludere, iam securus sis illi solida deesse argumenta. Quod & rei exitus comprobabit. Primum, inquit, documentum. Qui vnum solum summum sacerdotem, in veteri lege, noui nunc didici duos fuisse primos. Hoc sibi Lutherus satis putat ad rem totam eludendam. Sed mihi respondeat. Compertum est Aaron sacerdotem summum à Mose fuisse consecratum vnà cum cæteris ipsius filiis. Constat & Mosen haudquaquam illi subditum fuisse, cum nec ab eo consecratus fuisset, nec ab aliquo filiorum eius, sed à solo Deo. Adde, & in omnibus negotiis, quæ ad Deum attinebant, Moses erat, quàm Aaron superior. Sed & scripturæ passim præferunt Mosen, quemadmodum in Psalmo legitur: Deduxisti populum tuum in manu Mosi & Aaron, & alibi locis compluribus. Quamobrem & Moses absolute summus fuit, Aaron vero non absolute, sed comparatione cæterorum. Sicut & in nouo lege, Christus absolute & simpliciter summus est, Petrus vero non nisi cæterorum comparatione. Et quid hoc modo prohibet duos esse summos? Sed iam secundum documentum quod irridet, audiamus. Secundo, inquit, etiam nouam grammaticam vide. In sacerdotibus eius, idem est quod primi inter eos fuerunt quum hucusque hoc versu Psalmi intellexerim, nihil aliud dici quàm Mosen & Aaron sacerdotes, vel de numero sacerdotum fuisse, sicut Samuel inter inuocantes nomen eius, nihil de primitate vel cogitans. Hactenus ille. Cui respondemus id nobis satis esse, quod negare non potest, vtrũque fuisse sacerdotem. Nam ex hoc facile colligetur vtrunque fuisse summum, alterum ex comparatione, quemadmodum prædiximus. Tertium documẽtum quod eludere nitiatur Lutherus, est, summum sacerdotem veteris legis fuisse figuram Rom. pontificis. Et istud eludere conatur hoc pacto. Apostolus, inquit, ad Hebr. me mirũ in modum decepit cum vniuersis ecclesiæ doctoribus docens, non Rom. pontificem, sed Christum solum

Primum.

Psal. 75.

Moses absolute summus fuit Aaron cõparatione cæterorum.

Secundum.

Tertium.

fuisse per summum & vnum pont. significatum. Hæc Luth. Nos vero negamus Paulum hoc docuisse, quòd solus Christus per Aaron fuisset significatus, sed nec vllus interpretum id vnquam asseruit. Tribus equidem personis quæ legi veteri nonnullam tribuebãt dignitatem, hoc est, Angelo, Mosi, & Aaron, Paulus Christum in ipsa epistola comparat, & singulis horũ ostendit Christum fuisse superiorem. Primum Angelo, deinde Mose, tertio pariter & Aarone. Et docet certe Paulus per vtrunque horum, Christum fuisse significatum. Per Aaronem quidẽ, quia summus iste pontifex dicebatur. Per Mosen vero, quòd vt is lecto omni mandato, sanguine cuncta aspersit. Ita & Christus proprio sanguine efficatius respersit omnia. Sed quid prohibet eandem rem diuersorum esse figuram? Quoties in sacris literis istud nobis occurrit? An non Leo Christum figurat? Figurat insuper & diabolum. Sed & fermentum alibi fidem, alibi peccatũ significat. Non consequitur itaque Aaron Christũ significat, ergo solũ Christũ. Sed potuit & figura Petri fuisse, vt & reuera fuit, quemadmodũ & Anacletus in sua decretali testatur. Moses igitur & Aaron Christum & Petrum figurabant, vt sicut Aaron sub Mose princeps erat sacerdotum, ita Petrus sub Christo, princeps apostolorum fuit. Propter quod (vt diximus) à semetipso Christus ei nomen indidit. Et super eum identidem, se pollicebatur suam ecclesiã ædificaturum, necnon & claues regni cælorum ei se daturum, vt quicquid Petrus ligasset in terris, in cælis ligaretur, & quicquid soluisset, id etiam in cælis esset persolutum. Hanc sane rem, paulò superius ostendimus tot ecclesiæ procerum sententiis ita fuisse roboratam, vt nemini Christiano deinceps liceat su per hac ambigere quicquam. Quid enim si Lutherus calumnietur is, qui pontifices ipsi fuerunt, & dicat eos quiddam humanum passos quemadmodum & de Leone primo, viro sane doctissimo, similiter & sanctissimo cauillatur. Quid tamen habet, quod Latinis cæ

Angelo Mosi & Aarõ Christum comparat Paulus.

Heb. 7. 9.

Exod. 24.

Eadem res diuersorum potest esse figura.

Quõ Aaron figura Petri fuit, variis modis ostenditur.

Primo.

teris obiiciat, qui sane quasi tot ecclesiæ sydera, tam eruditione, quàm vitæ sanctimonia fulserunt? nihil profecto nisi voluerit in suspicionem eos adducere, quòd Latinæ fuissent ecclesiæ, ac proinde Rom. pontifici plus quàm equum esset, detulissent. Veruntamẽ de Græcis, qui neque pauci sunt, nihil habet penitus, quod obiectet. Istud igitur indicium tot patrum calculis comprobatum, non parui momenti cunctis esse debet vere Christianis. Sed iam alterum etiam indicium huius rei proferamus. Alterũ est, quòd iam inter respondendum adduximus, nempe quod quémadmodum Aaron comparatione cæterorum, summus habebatur, & princeps & caput, quanquam ipse Moses adhuc superior erat. Sic & Petrus cæterorum comparatione summus, & princeps, atque caput dicitur, tametsi Christum habuerit superiorem. Quam rem vel ex Euangelio palàm ostendimus. Erant vtique Romanis Iudæi tributarij, pro quo & census annuus à singularum familiarũ capitibus exigebatur, ad valorem didrachmatis pro singulo quoque capite. Venerunt igitur exactores ad Petrum, eius rei gratia (quemadmodum euangelista Matthæus enarrat) Petrum percontati, num esset magister eius tributum soluturus? Christus itaque iussit Petro, quatenus ipse mox accederet ad mare, stateremque illic in ore piscis reperiendum, exactoribus daret. Erat autem stater duplex didrachma. Voluit itaque Christus, non pro se solo tributum hoc dari, quanquam ipse caput ipse esset totius familiæ, verumetiam pro Petro, cui suas vices committere meditabatur. Quando igitur hoc tributum pro nemine pendebatur, qui non esset alicuius familiæ gubernator & caput, & Christus vtriusque nomine dari iussit, tam suo quàm Petri, palàm est quòd Petrum ecclesiæ totius gubernatorem instituit, & totius familiæ suæ caput. Propter quod & August. libr. quæstionum noui & veteris testamenti quæst. 75. sic scribit, Didrachma capitum solutio intelligitur. Et paulò pòst, Saluator quum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in saluatore erant omnes caussa magisterii, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit caput eorum. Hactenus ille. Ecce Petrum hic Augustinus affirmat caput à Christo cæterorum fuisse constitutum, ac propterea quum pro se Christus esset tributum soluturus, pro vtroque, tam pro Petro, quàm pro se voluit ipsum pendi, quo cæteri liberi forent. Nam familia sub capite comprehenditur. Duplex igitur didrachma Christus dari iubet, quum tamen simplum exigebatur, nimirum vt hoc facto suam familiam duo significaret habere capita. Quis itaque non perspicit, & hoc indicio, Iudaicam vmbram Mosis ac Aaronis, euangelicæ veritati, hoc est, Christo & Petro, vel adamussim conquadraret? Accedit his & tertium. In vmbra illa Iudaica, Moses apud Deum Aaronis agebat negotiũ. Aaron vicissim apud populum vice Mosi, negotia Dei gerebat. Sic enim in Exodo Mosi constitutum fuit à Deo. Ipse (inquit nimirum Aaron) loquetur pro te ad populũ, & erit os tuum. Tu autem eris ei in iis quæ ad Deum pertinent. Sic, inquam, in vmbra fuit Iudaica. At quomodo respondet huic vmbræ Christianorum veritas, iam inuestigemus. Dixit enim vero Christus ad Petrum: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Quem queso rogauit Christus pro Petro, quum is esset in tanto discrimine constitutus, vtpote per satanam expetitus, vt tanquam triticum cribraretur? Quem, inquam, nisi Deum pacem. Fuit ergo Christus tanquam os Petro, in iis, quæ ad Deum attinebant, nempe quum patrem oraret, ne fides Petro deficeret. At Petrus vicissim, quomodo fuit os vice Christi, in iis quæ spectabant cæteros? Nimirum quia sequitur, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Num ipse qui cæteros in fide confirmabat, non erat os Christi? An non eius rei gratia vel maximè Christus hunc in modum

Secundo.

Petrus cæterorum comparatione summ' dicitur, tametsi Christũ habuerit superiorem.

Mat. 17.

Solutio stateris Petri authoritatis indicium fuit.

Duplex didrachma duo familiæ Christi capita indicabat.

Tertio.

Exod. 4.

Luc. 20.

venit? Qui enim potius quàm fidem Christus vbique quærebat? Quamobrem cum Petrus in fide cæteros confirmabat, velut os Christi, tum ipsius vice fungebatur. Quisquis hunc locum digne pensitauerit, inueniet certe Mosen & Aaron, mirifice Christo & Petro conquadrare, non aliter quàm vmbram corpori de quo pendet. Simul & perspiciet, istud ingentem Petri prærogatiuam esse, quod suum negotium sic apud patrem egit Christus, vt ille vicissim Christi negotium, apud cæteros ageret apostolos, nimirum vt illos confirmaret. Sed & hoc aduerte quod Augustinus eundem locum enarrans ait: Non orauit Christus pro Iacobo & Ioanne, atquè pro cæteris, sed pro Petro, in quo continebantur cæteri. Erat enim (vt suprà memorauimus ex eodem Augustino) Petrus constitutus caput cæterorum & totius familiæ Christi. Quamobrem sub ipso comprehendebantur cæteri, quemadmodum & sub capite familia cõtinetur. Quartum indicium hoc est, quod quemadmodũ Moses conscẽsurus mõtem, vt cum Deo colloquium haberet, post se reliquit Aarõ, cui & vices suas superiores curanda plebe commisit. Sic & post passionem suam Christus cælestem montem ad patrem conscendit, & Petro suarum ouium curam tradidit. Conscendit enim Moses in montem Synai, vt cum Deo negotia populi tractaret. Conscendit & Christus montem, vt (Paulo teste) appareat vultui Dei pro nobis, & licet Ioannes vult, vt esset pro nobis apud patrem aduocatus. Priusquam igitur cælum ascendisset, Petro suum gregem pascendum commendauit, id quod non obiter tanter fecit, sed serio quidem, & cum ingenti studio. Ter enim (cæteris illic præsentibus) Petrum percontatus est, num plus quàm illi se diligeret: Simon Ioannis, inquit, diligis me plus his? Soli Petro loquebatur & præsentes cæteros indicabat. Nec erat alius quidem inter eos, qui Simon Ioannis vocabatur. Ad Petrum itaque Petrum hæc interrogatio spectabat, quandoquidem & ipse præ cæteris magis dilexit Christum.

Christus pro solo Petro orauit, vtpote in quo continebantur cæteri.

Quarto.

Exod. 24.

Heb. 9.

1. Ioan. 2.

Christus cælestem collẽ ascensurus, Petro sui gregis curã commisit.

Ioan. vlt.

Diligis, inquit, me plus his? Apostolos nimirum indicans tum præsentes. Licuit hic eadem facilitate rogasse cunctos, num se diligerent, si nõ magis propter Petrum, quàm propter cæteros hęc dicebantur. At solum Petrum hauddubie sciscitabatur Christus, an se plus quàm cæteri dilexisset. Solus itaque Petrus respondit, dicens: Etiam domine, Tu scis quòd amẽ te. Subiungit ideo Christus, Pasce agnos meos. Potuit & hic substitisse Christus, si non rem vehementer seriã & quæ cordi sibi plurimum fuerat, iam tractasset. Iterum itaque percontatur Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et iterum Petrus respõdit: Etiam domine, Tu scis quòd amem te. Adiecit Christus: ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Quod si quis ad verbum interpretetur, Est rege oues meas, ποιμαίνω certe vtrunque significat, & pascere & regere. Sed quum Christus iam mutarit verbum, certe nobis insinuat & sensum voluisse mutare. Et non incongruè quidem. Nam quum agni nouellos & teneriores designant Christianos, eos mitius tractari iubet Christus, & pasci solum. Oues autem (quibus robustiores indicantur) durius (quum opus fuerit) coherceri mandauit. Cæterum ne pastus istis negetur, quærit tertio Christus: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? Quamobrem & respondit: Domine tu omnia nosti, tu scis quòd amem te. Subiecit itaque Christus: Pasce oues meas. Ecce iam tertio loco pascendas easdem oues Petro commendauit. Et hoc nimirum post suam resurrectionem fecit Christus, quum esset summum illum montem, cælum videlicet, ad patrem conscensurus. Confer itaque diligenter inuicem hæc omnia, & nisi te malitia prorsus excæcauerit, perspicies, nullam vmbram suo corpori congruere posse magis & adamussim exactius respondere, quàm vmbram illam Iudaicæ administrationis rerum Christianorum veritati. Sed cauillatur hic Lutherus, per oues istas Iudæos solos intelligi debere. Dicat ergo nobis, cur non apud Iudæos Petrus sedem locauerit suam?

Frequens interrogatio rei vehemẽter seriæ argumentum fuit.

ποιμαίνω & regere, & pascere significat.

Agni teneriores designabant Christianos oues vero adultos.

Cur Petrus apud Iu-

dæos suam sedem non locauerit.

Cur Iudæos relinquere non metuit, & ad Gentium curam se conferre? An non ad Samaritas concessit, qui Iudæis odiosissimi fuerant, vt & illis spiritum sanctum daret? An non acta apost. testantur, per Petrum, & in nationes effusam fuisse spiritus sancti gloriam? Cur ausus fuisset relictis Hierosolimis Antiochiam discedere, atque ita tandem Romam? Ista planè conuincunt non Iudæos modo, verumetiam vniuersos (quicunque pertinuerint ad ouile Christi) Petro fuisse creditos. Sed & orbis totiʼ curã ipsi fuisse cõmẽdatã, vel ex eo patet quod apud eã vrbẽ (quę totius orbis, tum caput fuerat) sedem postremam delegerit.

Act. 8.

Orbis totius cura Petro commissa.

Quis hoc humana factum industria credat, & non diuino potius instigante spiritu? Qualem enim sedem haberet hodie Petrus, vel Hierosolymis, vel Antiochię. Profecto si nullum aliud esset testimonium, euẽtus ipsius rei, palàm docet omnia firma esse quæ de Petro credimus. Sed quum huic vndique tot suffragẽtur testimonia, tam sacrorum interpretum quàm etiã veteris ac noui testamenti, quis tam insanus est, vt iis non adhibeat fidem? Liquet igitur quàm iniquè Luther us hanc scripturam seorsum vexet, & vellicet, relictis omnibus aliis, cum quibus tanta ipsa confœderationem habet. Sed iam quibus cauillis eam eludere studet, aduertamus.

Luth.

¶ Hic volunt omnes oues Petro & Papæ commissas, iterum solita impietate verbum Christi figmentis suis adulterantes.

Episc.

¶ Tu profecto pro solita loqueris impudẽtia tua, non autem patres vlla scripturas impietate adulterantur. Res nimirũ apertior est, quàm vt facile queat adulterari. Quid enim in ils verbis obscurum est: palàm est ad quem dirigit sua verba Christus, ad eũ qui Simonis Ioannis vocabatur, quæ nomenclatura, non alteri quàm Petro cõueniebat. Nec seorsum, & in aurem hæc dixit Petro, sed cæteris audientibus. Iussit agnos pascere, iussit item oues regere, simul & pascere. Et ne cuiquam dubium foret cuius agnos & oues

pasceret, adiecit vbique meas. Quotquot igitur ad Christum attinebant, siue agni, siue oues, illis verbis Petro commendabantur. Sed ne quis Iudæos solos existimaret oues Christi fuisse, Christus alibi se testatur, alias oues habere præter Iudæos. Alias oues, inquit, habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Quid hic co actum est, aut contortum, aut demum (vt tuis vtar verbis) quid hic fictum aut adulteratum est? quòd si Petro tum commissę fuissent oues Christi, conuenit vt Petri successor (quisquis ipse fuerit) eadem solicitudine teneatur. Nisi quis dixerit pro solis illis (qui tum nati fuerant) Christum obiisse mortem, sanguinemque suum effudisse, quod planè falsissimum est. Quamobrem si posteriorum curam habuisset Christus, vt & habuit, & iam habet hauddubie nihilo minorem, non solum hanc solicitudinem Petro commisit, sed & ei quisquis Petri locum & sedem esset occupaturus. Neq; enim pro solis præsentibus, dixit Christus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Nam illi prope diem morituri fuerunt. Quamobrem de successione fidelium id debet intelligi, cum quibus (licet non corporaliter) virtute tamen sua præsens est Christus, & erit semper ad finem vsque seculi. Ipsa successio & generatio (de qua suprà diximus) perdurabit in æuum. Quando igitur & nos (qui iam in ecclesia prę-sentes sumus) nihilominus Christo curę sumus, quàm illi tum præsentes fuerant, neque minoribus quàm illi versamur periculis, æquum est vt quispiam loco Petri deputetur, cui iam pro præsentibus ouibus solicitudo committatur, quemadmodum & tunc Petro factum fuit.

Toan. 10.

Non tantũ Iudæi, sed omnes homines Petro commissi.

Matth. 18.

¶ Christus enim amare & pascere exegit. Illi vero impudenter contra os Christi dicunt non esse necessarium amorem pastori, cum potestas sit ferenda etiã si in malo sit vsu, & non amet.

Luth.

¶ Quid agis Luthere? cur non probas, quòd Petro non fuerunt oues à Christo commendatæ? Cur ad ca-

Episc.

Calumniatur Luth.

lumnias te conuertis? Quid hoc ad rem nostram si pastor non pascat, aut nõ amet? Nos, an Petro suas oues pascendas Christus commiserit disquirimus, & non an Petrus rectè suum officium egisset. Tu iam aliud introducis, nimirum an amor pastori necessarius fuerit, & an ferenda sit potestas, quæ malo fuerit in vsu, & non amauerit gregem. Hæc certè quum extra causam nostram sint, nihil ad me.

Luth. ¶ Deinde verbum pascere veneno suæ glossæ exponunt pro eo, quod est præsidere & superiorem esse. Et sic verbum Christi extinguunt, & contrarium sensum sub eodem proponunt.

Episc. Aliud est pascere, aliud regere. ¶ Inficias ire non potes, quin duplici verbo Christus illic sit vsus. Bis nimirum dicit βόσκε, quod est pasce, & semel ποίμανε, quod est vel rege, vel pasce. Quod verbum etiam habetur secundo Psalmo: Rege eos in virga ferrea. Vbi Græcè scriptũ est, ποιμανεῖς. Similiter & in actis apostolorum, secundo capite: Attendite vobis, inquit Paulus, & vniuerso gregi in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiã Dei, vbi pro verbo regere, habetur ποιμαίνειν. Ad hęc 1. Pet. 5. sic traduxit Hierony. ad Euagrium. Presbyteros in vobis precor compresbyter & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ quæ reuelanda est particeps, regite Ecclesiam Christi. Vbi etiam Græcus codex habet ποιμάνετε. At regere certè præsidis & superioris est. Quamobrem nec venenum aliquod subest huic glossæ, neque per eam Christi verbum extinguitur, sed neque sub eodem (quod tu tamen asseris) sensus proponitur contrarius.

Luth. ¶ Dico ergo: Si potestas mala est ferenda, hoc non docetur à Christo in hoc verbo.

Episc. Ouis symbolum habeat oportet quisquis ad Christi ouile ¶ Satis apertum ex iis Christi verbis, oportere vnumquemque (qui cupit ad ouile Christi pertinere) ouis habere symbolum, hoc est simplicitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Non enim murmurat aduersus pastorem vel iniquum ouis, non conqueritur, non gregem scindere parat nec sodales abducere meditatur. Væ (inquit Iudas) illis, qui in contradictione Chore perierũt. Et paulò ante: Quum Michael, inquit, Archangelus, cum diabolo disputans altercaretur de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemię, sed dixit: Imperet tibi Deus. Quod si Michael Archãgelus sic cum diabolo se gessit, quis tu es, qui aduersus potestatem à Deo constitutã, hoc est aduersus ecclesiæ principem, tot & tam virulenta iacularis, imò fulminas conuitia. Ouem certe non dixerim, sed omni vipera sæuiorem.

pertineat. In Epist.

¶ Hic non nisi amans Christi Petrus requiritur, qui si amans Christi non fuerit nihil ad eum verbum istud. Quare sequetur, & papam non esse papam, si non amat Christum, & eum qui amat, etiam non papam esse papam, sic hoc verbo papatus instituitur. Amor inquam hinc instituitur, non potestas, quæ sine amore esse potest.

Luth.

¶ Petrus vtique, quia præ cæteris amplius amauit, hanc à Christo præ cæteris accepit prærogatiuam, vt cunctis illius ouibus seu pastor præficeretur. Neque ignorare potuit Christus, quis præ cæteris esset sui studiosius magis, Et sanè diceret eum, qui ad tantum fastigium sublimaretur, ampliori quàm cæteros amore Christum prosequi. Veruntamen quia diuersa res est primatus iste, quàm amor, potest alter ab altero separari. Et potest manere primatus, vbi non fuerit amor. Neque enim quum ista Christus Petro dixit, amorem tunc ei contulit, sed amanti dedit primatum. Prius igitur amor fuit in Petro quum non esset iis primatus, & potuit etiam ex amore postea Petrus decidere, primatu manente nihilominus. Nam quàm diu non fuerat à spiritu sancto confirmatus potuit hauddubie peccasse mortaliter, & tibi certè sic peccauit, etiam post acceptum spiritum sanctum, quemadmodum in commentariis tuis ad Gal. cribis. Periit igitur amor manente primatu. Quamobrẽ & falsa sunt hæc omnia, quæ colligere noliris. Neq; enim oportet, vt primatũ amittat par, quoties

Episc.

Primatus manere potest vbi non fuerit amor.

non fuerit amans Christi. Neque sequitur, Papam nõ esse Papam, si non amet Christum. Sed neque quisqs amauerit, hũc oportet esse Papam. Falsum & istud est, quod hoc verbo (Simon amas me) papatus instituitur, quum hoc verbo duntaxat scisciatur Christus, nihil autem instituit. Falsum est & postremum, quòd sine amore nequeat hæc potestas esse. Nam sicut manet absoluẽdi potestas, & baptizandi, atque etiam cõsecrandi eucharistiam, amore per peccatum sublato, ita manet & hæc potestas, quanquam ad tempus deperierit amor. Cæterum hic tu patrissas, priores patres tuos imitatus, hoc est hæreticos, qui negant potestatem eiusmodi spiritalem nisi super amore fundatam. Quod & à plerisque doctissimis copiose satis explosum est.

Falsum est papam esse quisquis amauerit.

Luth. ¶ Secundo verbum pascere significat, non præsidere, sed seruire, non enim potestatis, sed seruitutis verbum est, licet & hic suis torsionibus, illusionibus, & confusionibus verborũ potestatem illam seruitutem faciant. Verum quum pascere sit euangeliũ Christi prædicare & tractare, impossibile est, vt papatum significet, quum aliud sit esse papam, vt videmus, & aliud Euangelij ministrum, vt non possint ambo, eodẽ verbo significari, nisi quomodo petra significauit illis papatum & fidem Christi.

Episc. ¶ Dixi suprà, Christum hic duobus verbis vsum fuisse, quorum alterum significat pascere & regere, alterum pascere duntaxat. Vtrũque ad papam spectat, nimirum esurientes verbo pascere, & duros regere virga iustæ correctionis. Neque quicquam obstitit impugnatio tua. Quoniam & si pontifices, nunc aliis pressi negotiis regnent solum, non pascant, fuerunt tamen optimi pontifices, qui munus vtrunque, tam regendi, quàm prædicandi, per seipsos impleuerũt. Quanquam igitur alterum verbum obsequium indicet magis, quàm potestatem, & seruire potius, & præsidere tamen alterum è diuerso potestatem, & præsidentiã insinuat potius, quàm seruitutem. Neque

Iam regere & pascere ad pontificem attinet.

repugnant ista mutuò, quando & Christus mandauit, vt qui maior inter eos foret, esset item tanquam minor, & qui princeps, sicut ministrator. Porro de petra quid significet, satis superque supra diximus.

¶ Eadem ratione concluditur, toties ecclesiam sine papatu esse, quoties papa nec amat nec pascit, id quod & verum est. *Luth.*

¶ Quid quando dormit papa? Quid quum aduersa laborat valetudine? Quid quum negotiis vrgentissimis occupatur, vt otium prædicandi nullum ei sit? Num toties papa non erit? Sed & quis tam confirmatus est, vt nunquam peccet mortaliter? Quod si tunc papatũ amiserit, quomodo recuperabit ipsum, quæso? Num oportet vt denuò iã eligatur? Et certe si peccato pontificatum amittat, non potest non inuasor eiusdem esse, donec ab electoribus iterato ius ei restituatur. Quod & toties oportet fieri, quoties illũ peccare contigerit. Sed hæc quis non videt, quàm sint absurda, & quanta passim ex iis commoda sequãtur? *Episc.* *Propter peccata nõ amittitur papat.*

¶ Nam vbi non est verbum Dei, ibi non potest esse ecclesia, cum per verbum nascatur, alatur, viuat, & seruetur, cum autem papa multis seculis, nec amauerit, nec pauerit, vbi mansit papatus & ecclesia, præsertim cum ecclesiam sine papatu, id est, amore, & pastu esse non posse tam fortiter asserant. *Luth.*

¶ Ista parum sibi cohærent. Primum illud verum est, quod ecclesia durare non potest sine verbo Dei, quum per ipsum nascatur, alatur, viuat, & seruetur. Ad quid prohibet interea per alium, quàm per pontificem ipsum ecclesiæ verbum Dei ministrari, quum pontifex legitime fuerit impeditus? Atque ita pontifex & ecclesia seruabitur incolumis, alio quopiã verbum administrante. Non probo tamen quod pontifex (nisi quum vrgentibus negotiis occupetur) ecclesiam non pascat. Veruntamen si neglexerit hoc facere, non protinus ob id adimitur ei pontificatus. Nulla enim consequentia istud subinfertur. Non contiatur pontifex, ergo non est pontifex. Neq; est quis- *Episc.*

quam, qui vel papatum asserat absq; amore & pastu, vel ecclesiam sine pontificis amore, & pastu nequaq; præter vnum Luth. & qui lepra pari laborant.

Ecclesia esse potest absq; ponti. pastu. Luth.

¶ Verum ad has rationes oculos & aures claudũt, qui tamen, si vicesimam partem huius roboris pro se haberent, cælum & terram clamoribus repleret, cum nec sic vociferari desinant, cum nihil nisi mendacia infirmissima pro se habeant.

Episc.

¶ Miror impudẽtiam tuam, qua te non pudet has rationes vocare, cum nihil sint minus. Meri cauilli sunt, & ineptiæ meræ, nihil omnino rationis habentes. Male profecto sentire videris de prẹsentis ẹtatis ingeniis, si putes ea non posse reprehẽdere quàm sint inania, friuolaq;, quẹ adduxeris, & tamen de iis gloriaris perinde ac si essẽt robustissima. Quis ferre posset hanc tuam comparationem, qua negas pontificis fautores, vigesimam habere partem tui roboris, cum illi pro sua sententia tantam habeant confœderationem, & veteris & noui testamenti, cum tot celebratissimis authoribus, tot scripturas ex euangelio, & Actis tam apertissimas, tu vero quàm paucissimos ex authoribus affers, & eosdem vel nõ intellectos, vel aliis sibi contradicẽtes locis. At ex scripturis nullum omnino producis testimonium, quod non vel inefficax sit, vel non contra tuam potius opinionem faciat. Et tamen cẹlum & terram reples clamoribus, neque desinis vociferari, tanta est audacia & inuerecũdia tua, quum nihil tamen afferas quod perspicacibus alicuius momenti sit. Sed vt tua in te regeram, mera mendacia multiplicas, & eadem infirmissima. Magnam certe congeriem in tua resolutione super potestate papæ cumulasti, quorum quædam hoc loco, quæ præ cæteris digna visa sunt quibus respondeatur, recensebimus. Illud in primis quod ex Actis allegas: Petrum & Ioannem ab aliis apostolis missos fuisse Samariam, quàm nihil pro te faciat, superius ostendimus. Sed & Christi, qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. Si Hieronymi, simul & Erasmi traductionem sequamur, nihil inseruit tibi. Sic enim hi traduxerunt: Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui princeps, sicut qui ministrat. Hic certe Christus quanquam ad humilitatem inuitet, affirmat tamen inter eos quendam esse maiorem & principem, id quod aduersum te palam facit. Cæteri (quos producis ex euangeliis) loci eandem rem tractant: hoc est hortantur ad humilitatem, quam si Romani pontifices, pompa, fastuque sepositis, aliquando præstarent, nihil haberes, quod vel hisceres aduersum eos. Atque vtinam vel tandem aulæ suæ mores reformarent, ambitione, auaritia, luxu, fugatis. Alioqui nunquam istiusmodi maledicis, silentium imponent. Porro quẹ ex Actis ad ostendendam Petri cum cæteris apostolis æqualitatem citas, tantum abest, vt pro te faciant, vt & nostram partem adiuuent plurimum, quemadmodum supra docuimus. Præter has scripturas (quoad scio) nullam attulisti, cum quibus si quis nostras conferat, facile videbit, quantum te numero scripturarum superamus. Ex authoribus vero tres duntaxat illic memoras, Hieronymum, Cyprianum, & Gregorium. Et hi profecto si tibi quicquam faueant, parum constabunt sibi, ꝙ in tantis authoribus neuus est, & macula nequaquam admittenda. Hieronymum primo loco citas in epist. ad Euagrium, vbi presbyteros (vt ais) pares facit episcopis. Verum si diligentius expendas, quid hic Hieronymus moliatur, intelliges cur hoc loco tantopere presbyteros extulerit. Faciunt plerunque scriptores quemadmodum hi, qui cum virgam curuam dirigere studeant, tantomagis eam retrorsum flectunt, quantum in cõtrariam partẽ antẽ fuerat inclinatior, quod & Hieronymus hoc loco facit. Diaconum enim quendam, qui se presbyteris antetulit, reprimere conatur, ob quam rationem presbyteros tot verbis afferre studet. Sed lege Hiero. aliis locis, quos supra citauimus, & perspicies neminem Romanẹ sedis & pontificiẹ dignitatis assertorem sẹuerioré esse, quàm Hieronymũ.

Loca quædã ex resolutiõe Luth. de potesta. papæ conuulsa. Primus.

Si Ro. pontifices (luxu fastuq; consepultis) mitescere iam tandẽ discẽt abeat eis πόρρωθεν Luthcum suis.

Secundus.

Tertius.

Ob quas res Hiero. presbyteros tantum extulit.

Legas etiam eiusdem epistolæ calcem, quæ sic habet: Et vt sciam⁹ (inquit) traditiones apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron, & filii eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in ecclesia. Hoc Hieronymus in eiusdem ad Euagrium epistolæ calce. Aduerte primum hic discrimen positum inter episcopos, presbyteros, & diaconos, ex traditionibus apostolicis ad nos manasse, quæ non sunt minoris authoritatis, quàm ipsemet apostolicæ scripturæ. Deinde, quod discrimẽ deprompserint apostoli ex veteri testamento, vbi similes tres ordines fuerunt, hoc est Aaronis, filiorũm eius, & Leuitarum. Quis ignorat Aaron summum fuisse sacerdotem, & longe maiori præditum potestate, quàm cæteros inferiores? Nã vt Paulus ad Hebræos nono testatur. Solus pontifex quotannis, secundum tabernaculum (quod sanctum sanctorum dicebatur) ingressus est (id quod cęteris non licuit) sacrificandi gratia. Sed & huius imperio q̃ non obtemperabat, morte fuerat plectendus. Non ita cæterorũ imperio plebs tenebatur obedire. Ecce quãadmodum epistola quam citas, summi pontificis authoritatem non mediocriter commendat. Nec obstant ea testimonia, quæ ex Petro, Paulo, Ioanneq̃ue producit. Nam eadem inducit in epistola ad Rusticũ episcopum Narbonensem, vbi tamen presbyterum ab episcopo distinguit, & episcopũ asserit esse legem presbyteri, presbyterumq̃ue ætatis nomen esse, episcopum vero dignitatis. Presbyteros adhuc apostolis respondere facit, sed episcopum Christo. Ac demum, vt celsiorem omnibus episcopum ostendat, sic ait: In fossariis spiritus prophetarum prophetis subiectus est. In ostiariis, doctores. In lectoribus, prophetæ. In subdiaconis, angeli. In diaconib⁹, archangeli. In presbyteris, apostoli. In episcopis, De⁹. Hæc Hieronymus illic. Nec est vt quisquam cauilletur, hanc non esse Hierony. quandoquidem ipse stilus rem palam indicat. Nec obstat, quod etiam ad Damasum scripta legatur. Potuit enim eam Hieronymus scripsisse duobus, & potuit nunc integram, nunc truncatam ædidisse. Porro quantum ad commentarios in Tim. attinet, quis dubitat ipsum aliorum opiniones crebro referre? Quod & ipse testatur in sua defensione ad Augustinum scribens. Et hactenus pro Hieronymo.

Discrimen episc. sacerd. & diaconi.

Episcopus presbiteri lex est.

Episc. Christo, presbyteri apostolis cõparantur.

Cyprianus autem, nisi velis eum sibi repugnantem efficere, nobis apertissime suffragatur, nimirum in illis testimoniis, quæ supra protulimus. Sed & idem epistola. 2. lib. 3. scribit ad Cornelium pontificẽ summum, se non prius quosdam (qui negauerunt primatum summi põtificis) intra suam ecclesiam admisisse, quàm ipsi primatum illum denuo confiterentur, in hunc modum: Nos, inquiunt, Cornelium episcopum sanctissimæ catholicæ ecclesię erectum à Deo omnipotenti, & Christo domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur. Circumuenti sumus perfidiæ loquacitate factiosa amentes, videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico hominẽ habuisse. Syncera tamen mẽs nostra semper in ecclesia fuit, nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse dominum, quem confessi sumus, vnum spiritum sanctum, vnum episcopum in catholica ecclesia esse debere. Hæc Cyprianus. Ecce Cyprianus adegit eos, primatum summi pontificis palam confiteri, Corneliumq̃ue tum Romanum pontificem ab omnipotenti Deo, & Christo Iesu fuisse toti ecclesiæ erectum, debereq̃ue in ecclesia catholica vnum episcopum esse, quemadmodum in eadem est vnus Deus pater, & vnus dominus Iesus Christus, & vnus spiritus sanctus. Denique, quantum ad Gregorium spectat, eiusdem verbis quæ ex ipso producis, teipsum condemnas, & diluis cuncta, quæ ex eodem citaras. Gregorius, inquis, primus lib. 4. registri, epistola. 32. licet per authoritates illas, pasce oues meas, & tu es Petrus &c. Petro apostolorum principi, totius ecclesiæ curã à domino cõmissam dicat, tamen in hac cura nullum episcopum ei successorem patitur. Hactenus tua ver-

Quartus.

Quintus. Gregorij testimonio sese iugulat Lu.

ba ſunt. Vides quemadmodum pro nobis facit prior
huius ſententiæ pars, nempe qua fateris Gregorium
ex illis duabus ſcripturis aſſeruiſſe, Petrum apoſtolo
rum fuiſſe principem, eidemque totius eccleſiæ cu-
ram à domino fuiſſe commiſſam. Hæc pars copioſe p
nobis militat. Alteramvero partem, nempe quòd Gre
gorius in hac vniuerſali cura nullum epiſcopum Pe-
tro ſuccedere patitur, qua ratione ſtatuere conaris,
iam dicam. Nimirum ex eo in quod eadem epiſtola
ſequitur. Sic, inquis, ait Gregorius: Cura totius ec-
cleſiæ, & principatus Petro committitur, & tamen v-
niuerſalis apoſtolus non vocatur. Ex hoc probatum
putas, quòd Gregorius nullum in hac generali cura
patitur epiſcopum Petro ſuccedere. Sed quia iſta p-
batio eſt, Petrus non vocatur vniuerſalis apoſtolus,
ergo nõ erat vniuerſalis, nec ſucceſſorem habuit, cui
cõmiſſa fuerat vniuerſalis eccleſię cura. Quãq; enim
humilitatis gratia talem nuncupationem renuerit Pe-
trus, fuit nihilominus reuera talis id quod ipſa Gre-
gorii verba confitentur. Nam Greg. affirmat toti ec-
cleſię curã, & principatum fuiſſe Petro cõmiſſum. Et
quis non eſt eccleſię pontifex vniuerſalis habẽdus,
cui totius vniuerſalis eccleſię cura, principatusque
committitur? Non igitur hac ratione Luth. cõuincit,
ꝙ Gregorius non patitur aliquem epiſcopum in hac
cura Petri ſucceſſorem fuiſſe. Neque enim ſequitur.
Non patitur Gregorius quenquam dici & vocari vni-
uerſalem, ergo neminẽ patitur vniuerſalem eſſe, aut
ꝙ non patitur in illam Petri generalem & vniuerſa-
lem curam, alium vllũ ſuccedere. Certe quicquid de
Petri ſucceſſoribus in eccleſia Romana Gregorio ſta-
tuiſſet, omnino pati non debuit Antiochænum epi-
ſcopum vniuerſalem vocari. Et quanquam recuſaſſet
ipſe Gregorius nomen vniuerſalis, quum ei per Sy-
nodum Calcidonenſem fuiſſet oblatum, non id fecit
quia nõ reuera fuerat vniuerſalis, ſed ambitionis vi-
tandæ cauſſa, & vt cæteris exemplum præberet, fu-
giendi nomina tam glorioſa. Neque certe credẽdum

eſt tanta ſynodum (ſi non eo nomine Gregorius fuiſ
ſet dignus, aut nõ diuino iure ſic vocari licuiſſet) hoc
illi nomen vnquã in gratiam adulanter obtuliſſe. Et
hactenus pro Greg. Cernis igitur quàm nihil pro te
faciant authores iſti. Et præter hos tres, alium recen-
ſuiſti neminem. Cæterum & hos, & cæteros tam Gre-
cos q̃ Latinos, pro noſtra parte ſubſcribere, ſuperius
palam conſtituitur. Hiſtorias demum, & ratiunculas *Quintus.*
congeris. Sed quantum ad hiſtorias attinet, quum ſin *Rõ Luthe.*
gula (quæ ex iis producis) facti ſint, non iuris, nihil
ad nos. Ratiunculę vero quales fuerint, vel ex hac v-
na metiemur cæteras, hanc inuenies lector inter hi-
ſtorias & rationes loco nono poſitam. Sic enim illic
ratiocinatur. Quid ad hoc dicemus? Veráne illa ſen-
tentia, quam tota eccleſia, omnia etiam decreta, om-
nes doctores tenent, eſſe videlicet epiſcopos apoſto-
lorum ſucceſſores, vt diſt. 21. ca. In nono. Si eſt falſa,
quid iactatur tanta authoritate. Si vera, quomodo ſo
lus Ro. pontifex eſt ſucceſſor vnius apoſtoli Petri, &
cæteri omnes Ro. pontificis ſunt ſubditi? Cur non &
alii apoſtoli habent ſucceſſores, aut fuerunt cęteri a-
poſtoli ſucceſſores vnius Petri? Cur cæteris apoſto-
lis aufertur ſua gloria, & tribuitur ſoli Petro? Cur nõ
quilibet epiſcopi habent quod apoſtoli eorum ha-
buerunt? quum Romanus habeat quod Petrus, ſuus
ſucceſſor habuit. Muta ergo verbum & dic, quòd e-
piſcopi ſunt apoſtolorum ſucceſſores, ſed vnus epi-
ſcopus Ro. eſt vnius apoſtoli ſucceſſor. Summa ratio-
nis eſt, epiſcopi dicuntur apoſtolorum ſucceſſores,
ergo ſicut Petro ſuccedit Rom. epiſcopus, ita cæte-
ris apoſtolis, epiſcopi cæteri. Sed attẽde lector, quan-
ti Lutherus venditat hanc rationem. Iſta non fateor,
inquit, niſi ego ſum inſenſatior trunco, cogit & om-
nium obſtruit os, eſſe epiſcopos omnes æquales. Ha-
ctenus de ratione Lutheri. Nos autem principio re-
ſpondemus, Decretum iam citatum, plurimum aduer *Rõnis Lu.*
ſari Lutheri inſtituto. Nam plane teſtatur Petrum a- *confutatio.*
poſtolorum fuiſſe principem, quippe quem primum

Christo ligandi, soluendique potestatem asserit accepisse. Legat quisquis velit Decretum, sic prorsus inueniet. Deinde negamus illic inueniri, quod episcopi sunt apostolorum successores. Nusquam enim ea verba leguntur in toto Decreto. Verum sic habetur: Ipsis (hoc est apostolis) decedentibus, in loco eorum surrexerunt episcopi, hoc est apostolos episcopi referebant, nõ quod in locum cuiusuis apostoli quispiam successerit episcopus, sed & ipsa verba de cæteris vndecim, Decretum accepit, & nõ de Petro. Nam postquam Decretum asseruerit Christum voluisse Petrum apostolorum esse principem, ilico subiungit: Qui etiam, iubente domino, in toto orbe terrarum dispersi, euangelium prædicauerunt. De illis nimirũ apostolis hoc dicitur, quorum Petrus cõstitutus fuit à Christo princeps. Neque enim suipsius princeps est dicendus. Et tum proxime sequitur: Ipsis quoque decedentibus, in loco eorum successerunt episcopi. Nec dixit, in locis eorum, ita cuilibet apostolorum quispiam succederet episcopus, sed in loco eorum, hoc est, iuxta mentem Decreti, quòd apostoli sub Petro typum gesserunt episcoporum, quemadmodum & paulo post asserit. 72. discipulos typum presbyterorum gerere, vt iam in ecclesia Romanus pontifex, Petrum omnium principem referat, qui & vices gerat Christi, post ipsum episcopi cæteros repræsentent apostolos, tertio quoque loco presbyteri. 72. discipulos exprimant. Hoc plane Decretum sentit. Stat ergo Romanum pontificem, solum Petri successorem esse, quia vere successit in sedẽ Petri, nedum eum refert. Cæteri episcopi loco cæterorum apostolorum sunt, quia referunt eos, non quia successerint in eorũ sedes. Quis hodie, vel Ioannis, vel Andręæ, vel Iacobi, vel alicuius cæterorum occupat sedem? Stat & Romanum pontificem cæteris episcopis prælatũ esse, quemadmodum & Petrus apostolorum princeps fuerat. Et hæc demum successionis gloria, cæteris adempta est apostolis, soliq̃ Petro collata, vt aliquãdo tandem

Rom. pont. Petrum & succedit & refert.

Cæteri episcopi apostolos solum referunt.

intelligas Petro totius orbis terrarum curam fuisse commissam, & ab ipso ceu capite quodam & fundamento post CHRISTVM ecclesiam promanasse. Quam promanationem inferorum portæ nunquam interrumpere præualebunt. Sed nimia prolixitate fatigo lectorem. At non possunt aliter huius hominis ineptias detegere. Alteram & huic similem illic euestigio rationem subdit, quam quia inuictam vocat, identidem subiiciemus. Responde (inquit) si Romanus pontifex præcepto Dei est vicarius generalis in tota ecclesia, sequitur ineuitabiliter peccare eos, imò esse hæreticos, qui non sub eo fuerint. At tunc ecclesia tota primitiua, saltem vsque ad. cccc. annos, cum tot martyribus, & sanctis, hæretici erunt. Obsecro quid prodest tantam blasphemiam in ecclesia pro fumidæ potestatis pompa statuere? Denique etiam sanctus Petrus erit hæreticus, qui ante Romanam ecclesiam cum apostolis fuit Hierosolymis, vinci me hæc ratio inuicta. Respondemus. Roman. pontifex diuino iure, & prærogatiua, quæ per Christum Petro donabatur, vicarius est in tota ecclesia generalis. Nec tamen sequitur ineuitabiliter eos omnes peccare, & hęreticos esse qui primatum hunc non agnoscunt, si tamen id nõ fecerint, ingenio malo & animo pertinaci. Potest enim vel simplicitas eos excusare, q̃ non aduerterint, vel quòd non exegerit ab eis hanc obedientiam Romanus põtifex. Suprà diximus enim Corinthios diuino iure victum Paulo debuisse, quem tametsi nec ipse petiit, nec illi præstiterunt, non ob id, aut is, aut illi peccauerunt, nec erant habendi tanquam hæretici. Veruntamen si Paulus istud, ceu debitum quoddam exegisset, tum certe quisquis recusasset reddere, peccasset mortaliter. Et si pertinaciter docuisset non reddendum, plane fuisset hæreticus. Sic & si qui sint, qui subduntur Ro. pontifici, quum ipse nullam ab eis exigit obedientiam, nec illi nulla id proteruitate non præstent, non facile dixerim eos aut peccare, aut hæreticos esse. Cæterum si quis ani-

Altera Luthe. ratio.

Rationis conuulsio.

1. Cor. 9.

mo proteruo, vel non subditur Romano pontifici, vel dogmatizat non debere cũctos ei subdi, is & peccat, & hæresim tenet hauddubie, nec potest in hanc partem vlla, vel pro Bohæmis, vel pro Græcis, afferri excusatio. Super qua re & diua Brigitta, fœmina sanctissima, diuinisque visitationibus clarissima, talem accepit reuelationem. Nam libro septimo reuelationum eius, capite decimonono scriptum est, Christum hæc illi, inter cætera dixisse, Græci hi qui sciũt, ꝙ omnes Christianos tenere oportet vnam tãtã fidem Christianam catholicam, & vni tantummodo subesse ecclesiæ Romanæ, vnumque solum vicarium meum generalem, in mundo videlicet Romanum pontificem, supra se spiritualem habere potestatem, & tamen nolunt se eidem ecclesiæ Romanæ, & vicario meo spiritualiter subiicere, & humiliter subiugare, propter eorum pertinacem superbiam, aut propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, siue propter aliquod aliud, quod ad mundum pertinet, indigni sunt post mortem, veniam à me & misericordiam obtinere. Alii vero Græci, qui desideranter vellent, sed scire non possunt, tamen si scirent, & possent, deuote & libenter susciperent, & Romanæ ecclesiæ se humiliter subiugarent, & nihilominus secundum ipsorum conscientias, in statu & fide sua in qua sunt, abstinent à peccando, & piè viuunt, istis talibus post ipsorum mortem in suppliciis misericordia mea debetur. Hactenus ex reuelatione. Ex his profecto dilucidum est, rationem (quam sic iactasti) non solum non inuictam, verumetiam nullius omnino ponderis esse. Sed & Græcorum imperium huius sanctissimæ fœminæ minas persensisse creditur. Nã potuit & ad hunc perstitisse diem, modo permansissent ipsi in obedientia, quam dudum ecclesiæ Romanæ præstiterunt. Quoniam & in eadem reuelatione Christus Brigittæ dixisse legitur. Sciãt etiam Græci, quòd eorum imperium, & regna, siue dominia nunquam stabunt secura, neque in pace tranquilla,

Brigitta.

sed inimicis suis semper subiecti erunt, à quibus & grauissima damna sustinebunt, & miserias diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate, & charitate ecclesiæ & fidei Romanæ se deuote subiecerint. Hoc certe dictum fuit longe priusquam perfido Mahumeti Constantinopolis in prædam data fuit. Sed quia minas istas parum curarunt, imò cõtempserunt, idcirco iam & totum amiserunt imperium. Nec alia sanè ratione crediderim alias nationes, quę dudũ Christianę fuerunt, sua pariter amisisse regna, nempe quia pontifici Ro. colla subdere recusarunt. Quando igitur has rationes, de quibus tantopere fidit Lutherus, vt eas vocet inuictas, & potentes ora cunctorum obstruere, si tamen ipse non fuerit insensatior trunco, tam cõstat, nec pilo dignas esse, quid de reliquis opinandum sit, lectoris iudicio duxi relinquendum.

Rõ quare multorũ regna pierunt.

¶ Reliquum est ergo, vt sicut Augu. & ipsimet sentiunt, hunc locum Ioannis, nihil ad monarchiam, sed ad generalem omnibus pastoribus ecclesiarum doctrinam pertinere.

Lutb.

¶ Semper mihi suspectus videris Luthere, quoties Aug. citas, nõ indicãs eius rei locũ, ꝑ qua illũ ꝑducis. Nã & in superiorib⁹ deprehẽsus es & mẽdaciter eum recẽsuisse, cũ locũ nõ indicaris. Neq; enim dubito, si palã ꝑ te facerẽt ei⁹ verba, nõ prętermisisses ea recensere, simul & ostẽdere locũ. Nusquam equidem apud eũ legi, ꝙ is loc⁹ nihil ad monarchiã Petri faciat, nec opinor te posse docere, quonã loco sic dixerit. Vnũ scio, ꝙ Augustinus vbiq; Petrum facit & principem apostolorum, ac magistrũ & caput cæterorum, in quo & cęteros contineri dicit, sicut in capite cuiusuis familię reliqua cõprehẽditur multitudo. Quando igitur Christus hic eidem Petro suarum ouiũ tradit curam, quod & August. aperte cõfitetur, quomodo non illum etiam hoc loco præfecit, & præponit cunctis? Quisquis enim ouem Christi se confitetur, eum iis verbis oportet subiici Petro. Propter quod & Chrysostomus hunc locum enarrãs, Petrum etiam princi-

Episc.

Qui se ouem fatetur, Petro se subijacit.

pem Apostolorum vocat, & totius orbis terrarum cu
ram asserit hic ei fuisse commẽdatam. Nec certe quic
quam id minuit authoritatem Petri, quod ipse typus
sit cæteris ecclesiarum pastoribus, à quo & ipsi ge-
neralem pascendi doctrinam accipiant. Nullus e-
nim scripturæ locus ita cuidam est accommodatus
personæ, quin & inde cæteri complures exemplum
trahere queant.

Luth. ¶ Et eam ecclesiam quæ sub papa regitur, quia si-
ne amore & pastu verbi Dei regitur, nihil min? quàm
ecclesiam esse.

Episc. ¶ Profecto si tam diu steterit ecclesia Romana si-
ne amore & pastu verbi Dei, quis non inde solidius
cõfirmabitur, vt prædictis Christi verbis credat? quip
pe cum ipse pollicitus antè sit, portas inferi nequaq;
aduersus ecclesiam (quæ super Petrum cõstituta est)
præualituras. Nam video nunc illam perpetuari solo
Christi vaticinio, non aliquo merito pontificum. Sed
tibi fidem adhuc Luthere non habeo, quin in vrbe il
la plurimi sint, qui non solum amẽt, verumetiam cre-
berrime cæteros instruant in verbo Dei.

Luth. ¶ Et ipsum papam nihil minus quàm pastorem ec
clesiæ Dei esse, sed idolum aduersarium Christo & e-
uangelio eius.

Episc. ¶ Hoc est quod moliris. Huc spectant omnia quæ
garris. Solo Romanorum odio rem hanc pessimam
aggressus es. Doluit sane tibi tot molestias audire,
quas Romani Germanis tuis inferunt. Quas quum
aliter amoliri nequeas, nullũ nõ moues lapidem, quo
pontificis authoritas aut tollatur funditus, aut certe
minuatur. Quo fit, vt torqueas, & per vim trahas scri
pturam sacram in sensum omnino repugnantem, ni-
hilque non agis, quo Romanis inuidiam concites a-
pud cunctos. Sed esto patria tibi chara fuerit, certe
pro religione, quam es professus, multo chariores es-
se deberent Deus & scripturæ. Frustra niteris aduer
Act. 5. sus Deum. Gamalielis illud nõ ignoras: Si est ex Deo,
2. Thess. 2. stabit. Stabit vtiq; velis nolis ecclesia Romana. Schis-

matis quidem author esse poteris. Nam & discessio- *Schismatis*
nem futurã Paulus prædixit. Sed væ homini illi, per *author Lut.*
quem discessio fiet. Postquam omnia feceris Luthe-
re, manebit Petri successor, qui si mores aliquando
suæ curiæ reformare studuerit, non dubito quin te
valde pœnitebit horum.

¶ Vbi ergo nunc stabit fictitius iste primatus? post *Luth.*
quàm duo hi loci, quibus nititur principaliter, pror-
sus contra eum facere conuincuntur.

¶ An conuinceris, aliorum erit iudicium. At certe *Episc.*
calumniarum & conuiciorum aduersum hos locos,
abunde satis congessisti. Sed hoc non est conuince-
re. Hi nimirum loci cum tot scripturis, ac sanctorum
patrum assertionibus vsqueadeo colligantur, & in-
dissolubiliter adglutinantur, vt infirmari non pos-
sint, nisi cæteris omnibus infirmatis. Si quicquam va-
leat, aut Pauli, aut Lucæ dialectica, qua vel ille colli-
git ex vmbra veritatem, vel iste ex multis argumen-
tis Christum resurrexisse. Facilius Ioui (quod aiunt) *Stat & sta-*
suum fulmen eripueris, & ex Herculis manu detraxe- *bit primatus*
ris clauam, quàm huic primatui veritatem auferas. *Petri.*
Stat nimirum & stabit primatus iste, nõ fictitius (vt tu
cauillaris) sed verus. Quis enim vnquam hæsitare
de hoc primatu poterit, qui vel alterum prædicto-
rum locorum probe intellexerit, atque expenderit,
quàm expressis verbis CHRISTVS Petrum cę
teris prępposuerit apostolis. Quid si deinde reliquos
euangelii locos & Actorum contulerit, qui non pau-
ci sunt, sed & veterem adumbrationem aduerterit,
quam adamussim his respondeat. Ad hæc, si proba- *Sedes Petri*
tissimorum interpretum adiecerit testimonia, aut de- *prosperabit.*
mum (quod non leuissimi ponderis est) euentum rei
trutinauerit, quomodo non Hierosolymis, nec An-
tiochiæ, nec alibi locorum postremam sedem elege-
rit Petrus quàm in ea vrbe, quæ tum erat totius or-
bis caput, in qua iam ad hunc diem prosperatur, cum
cæterorum apostolorum sedes, vel papæ venerantur
vel prorsus euanuerint. Quisquis, inquã, hæc omnia

ſimul ceu linum lino(vt in prouerbio eſt)connexuerit, & tua quàm ſint inania friuolaque perpenderit, quanquam aduerſus ipſum pontificem odio furias pluſquam agreſti, non poterit opinor amplius ſuper hoc primatu dubitare.

Luth. ¶Non ergo tantillum curo, quod longitudinem temporis,& multitudinem conſpirantium mihi obiectant, quod talibus argumentis mundus contra apoſtolos quoque vſus fuerit,& tamen ab hoc veritatem euangelii recentem, à paucis & idiotis prædicatam, redarguere non potuerunt.

Epiſc. ¶Non fuit æquum certe,vt contra apoſtolos quicquam præualeret conſuetudo,quantumuis longeua. Quando illi,quæ docuerant apertiſsimis omnia miraculis confirmarunt.Et tu Luthere ſi tot,& tam euidentibus, tua dogmata miraculis aſtrues, totus fortaſsis orbis tibi crediturus eſt.Sed noſtra interim ſatis copioſe non miraculis modo, verumetiam ipſius Chriſti verbis, & priorum patrum concordibus ſententiis,qui iam pridem ſpiritu ſancto fuerant inſtructi,ſtabilita ſunt,vſqueadeo vt ſi nõ iſtis ſolidati fuerimus,erimus omni vento mobiliores,ſemper diſcentes,& nunquam ad ſcientiæ veritatem peruientes. Et hactenus ad huius articuli confutationem ſufficere putamus.

ARTICVLVS XXVI.

Luth. VErbum Chriſti ad Petrum,Quodcunque ſolueris ſuper terram &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipſo Petro.

Epiſc. ¶Nihil oportet, vt in hoc articulo prolixi ſimus, quando ſuperius de hoc non ſemel diſſeruimus. Errorem igitur huius, hoc loco paucis demõſtrabimus. Petrus neminem ligare potuit ad peccatum, potuit autem ſoluere quotquot ad eum acceſſerunt, tam à reatu peccati, quàm à pœna peccatis ipſis debita. Quamobrem hæc verba non ad ligata ſolum à Petro,verumetiam ad ea quæ nunquam ligauit Petrus,

extendũtur.Adde,ꝓ ſi neminemPetrus ligare potuiſſet, niſi per excommunicationis vinculum, tum ſi nullumvnquam excommunicaſſet,nullum potuit ſoluiſſe,ſed nec eos qui per alios fuiſſent excommunicati,ſoluere potuiſſetvllo pacto.Accedit iis,quod alibi Lutherus affirmat, neminem videlicet excommunicari poſſe, niſi qui ſeipſum ante per peccatum proprium excommunicauerit.Petrus ergo neminem inuitum,& qui non ſua ſponte peccaſſet ante mortaliter,ita ligare potuit, hoc eſt excommunicatione vincere.Quamobrem ſi nec alium quẽquam poſſet ſoluere,nullo pacto verã hocverbo Chriſtus Petro contulit poteſtatem, ſed mere fictitiam, cum neque vere liget aut ſoluat Petrus,verum iudicet ſolum,quę ſint ligata ſolutáve. Fruſtra ergo dixit Petro Chriſtus: Quodcunq; ſolueris ſuper terram,erit ſolutum & in cęlis.Sed iam æquum eſt,vt Lutherum audiamus. *Lutheri deliratio.*

Luth. ¶Primum nego, ad ſolum Petrum hoc Chriſti verbum eſſe dictum, neque ego hoc vnquam dixi. Interrogauit enim omnes diſcipulos dicens: Quem vos me eſſe dicitis?Et Petrus omniũ perſona reſpondit: Tu es Chriſtus, ita & in omnium perſona accepit claues.

Epiſc. ¶Probabile eſt,non omnibus fuiſſe reuelatum,ꝓ Chriſtus eſſet filiꝰ Dei,& vide qua ratione. Nã quod Paulus dicit de Iudęis, Si cognouiſſent, nunq̃ dominum glorię crucifixiſſent. Idem de Iuda dicẽdum opinor, ſi Iudas cognouiſſet Chriſtũ fuiſſe filiũ Dei,& dominum glorię,nunquam crucifigendumvendidiſſet.At plane Iudas illũ fuiſſe filiũ Dei cognouiſſet,ſi fuiſſet hoc ei reuelatum.Conſequens igitur eſt, hoc omnibꝰ haudquaquam fuiſſe reuelatum. Sed neque ſingulariter Chriſtus beatificaſſet Petrum, ſi res hæc tam archana cęteris ęque reuelata fuiſſet atq; fuerat Petro. Nunc autem ſoli Petro dixit Chriſtus: Beatus es Simon Bar Iona,quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi,ſed pater meus qui eſt in cælis. Potuit ad omnes pari compendio diXiſſe: Beati eſtis vos, quia caro & *Non omnibus apoſtolis reuelata omnia.*

Petr. non ob fidem, sed fidei cõfes. claui accepit promissionẽ

sanguis nõ reuelauit vobis, sed pater meus. Ceterum quia nomine proprio compellabat Petrum, & ei factam reuelationem asseruit, idcirco verisimilius est, solum Petrum beatificasse, & eidem pro confessione suæ fidei, claues donasse regni cælorum. Neq; enim quia credidit, clauium accepit promissionẽ, sed quia primus confitebatur. Multi enim olim crediderunt, quibus ea promissio facta nõ fuit. Ob id igitur, quia primus & solus confitebatur Petrus, idcirco vel soli, ceu confessionis suæ præmium claues cõferebãtur. At, inquies, tibi verisimilius contrarium videri, nempe quòd soli Petro claues hæ cõferebãtur. Sed istud quî probas? Cernis, quantum verba ipsa pro nostra parte faciant, & quãtum omnes interpretes sacri, nostræ sententiæ subscribant. Nec ignoras totius ecclesiæ consensum, & vis, vt (contemptis his omnibus) tui capitis vertiginem sequamur, hoc an æquum fuerit, lector quiuis iudicet.

Luth.

¶ Quare notandum, ꝓ sanctitas sanctissimi domini papæ, hoc loco mẽtitur, sicut est moris eiꝰ atq; stili.

Episc.

¶ Qua in re (te quæso) mẽtita est sanctitas sanctissimi domini nostri? Lege articulum. An non ita se habet verbum Christi ad Petrum? &c. An nõ ad Petrum loquutus est Christus? Quis hoc negare potest? Sed, inquies, Non ad solũ Petrum loquutus est. Istud non asserit articulus. Neque enim dicit: Verbum Christi ad solum Petrum. Sed verbum Christi ad Petrum. Quis hoc loco poterit excusare mendacium tuum? Et tamen hic (vbi palam ipse mendax es) non te pudet summo pontifici, & eidem inculpato, mendacium impingere. Constantinus Cæsar, cum episcopi se mutuo criminarentur, sic dixisse fertur: Si propriis oculis peccare sacerdotem viderim, mox operire vel mea chlamide peccãtem studerẽ. Ecce laicus inferiorum episcoporum vera crimina tegere studet, & tu Luthere (qui religionem professus es) summo sacerdoti fictum crimen imponere non erubescis? quin & insultas velut mendaci, quum sit tamen ipse veracissimus.

Impudentia Lut. i summũ sacerdotem.

Constantini Cæsaris i sacerdotes reuerentia.

¶ Quòd autem potestas soluendi latior sit, quàm potestas ligandi eque mentitur sanctissimus ille, non enim hoc poterit probare vllo modo.

Luth.

¶ Quid est quod non audeas Luthere? tanta est temeritas impudentiæ tuæ. Nimis quàm temere iactitas, hoc probari non posse, nempe latiorem esse soluendi potestatem quàm ligandi. Quod nos ita breuiter ostendere tentabimus. Summus pontifex solue re potest à peccato, quod nunquam ligauit, aut ligare potuit, Ergo latius extenditur soluendi potestas, q̃ ligandi. Hoc scio nunquam dilues, nisi velis negare summũ põtificem à peccato soluere posse. Quod si feceris, negabis etiam potestatem vllam his verbis contineri, ac proinde confiteberis, frustra Christum aliquam, de ligandi soluendíve potestate, fecisse mentionem. Quoniam si peccatum non soluat pontifex, quid est quod soluat? Nec est quod ad canones confugias, vt dicas pontifices ad pœnas canonum ligare posse quempiam, & ab eisdem soluere. Quoniam antequam de canonibus quicquam erat cogitatum, hæc potestas Petro collata fuit. Et si nunquam fuissent canones cõditi, nõ ob id frustrari potuit donatio Christi. Soluere igitur pontifex à peccato potest. At nemínem inuitum, hoc est, qui nolit peccare, ligare potest peccati vinculo. Quamobrem, quum idipsum non ligauit, quod tamẽ potest soluere, necessum est, vt soluendi potestas longius porrigatur quàm ligandi.

Episc.

Soluẽdi potestas latius protenditur quàm ligãdi

Luth.

¶ Quia sicut Christus dicit: Quodcunque solueris, ita dicit: Quodcunque ligaueris, vtrobique eodẽ signo vniuersali vtens, quare parem vtranque potestatem, apertissima verba probant Christi.

Episc.

¶ Quid si Christus vtatur eodẽ vtrobique signo? Num propterea necessum erit, tot per Petrum esse ligabilia, quot & per ipsum solubilia sunt? haudquaquam. Quæ res apertior fiet, si Christi pollicitationẽ ad multitudinem hominum contraxerimus, perinde ac si dixisset Christus: Quoscunque Petre ligaueris homines in terris, erunt & in cælis ligati, & quoscun-

que solueris homines, erunt identidem in cælis soluti. Quis dubitat, ex hominibus complures esse, qui mortali peccato careant. Et hi nisi sponte sua decidérint in peccatum, ligari per pontificē nequunt, quod & ipse Luthere mordicus asseris, & creberrime quidem. Sunt ediuerso plerique qui mortalibus grauantur admissis, quos (non est dubium) pontifex, modis suis parere monitis voluerint, absoluere potest. Perspicuū igitur est, plures esse quos Petrus soluere potest, quàm quos ligare, ac proinde constat solutionem latius patere, quàm ligationem.

Luth. ¶ Vt nihil moueant quæ sanctissimus in contrarium blasphemat, non enim ei credimus nuda dicenti, multo minus contra apertam veritatem insanienti & blasphemanti.

Episc. ¶ Quæ (te quæso) pontificis hic vlla blasphemia est? Nonne verissimū est ita Christum dixisse Petro? Quodcunque ligaueris, &c. Et nunquid non ostendimus, soluenda longe plura esse quàm liganda? Quòd si pauciora sint hæc quàm illa, quis non ilico videt, soluendi longius, quàm ligandi potestatem propagari? Quòd si verum sit, vbi quæso falsi quicquam dixit summus pontifex? An non ipse magis blasphemiam contra Christum & eius euangelium iacularis? Tu plane si datam iis verbis vllam Petro fateris potestatem, ea erit qua peccatum soluitur, quod nequaquam Petrus ante ligauit. Atque ita porrectior erit solutio, q̃ ligatio. Et tu qui hoc negas, insanis, & blasphemas in sanctum euangelium. Sin vero nullam Petro datam potestatem asseris, ita mendacem facis Christum, quæ summa quoque blasphemia. Atque hæc ad conuulsionem articuli sufficiunt.

ARTICVLVS XXVII.

Luth. CErtum est in manu ecclesiæ aut papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

¶ Non hic me fugit quosdam opinari, & inter hos in primis Ioannem Scotum, cuius acumen mihi summopere probatur, quòd ecclesia nō potest, quicquid ipsa velit, verum, aut non verum cōstituere. Sic enim ipse distinctione. 11. quæstione. 3. quarti, de commutatione substantiæ panis (quæ fit in corpus Christi) credenda, loquens dicit, quod quanquam Innocentius tertius in concilio Lateranēsi decreuit idipsum fore credendum, non fuit tamen in potestate ecclesiæ hoc verum facere, aut non verum, sed de instituēdis. Cæterum tametsi nequeat summus pontifex, vnà cum concilio, hoc est, ecclesia catholica, quicquam aut verum, aut falsum facere, ac proinde nouos articulos fidei constituere, tamen quicquid hi nobis credendum tradiderint seu fidei articulum, id cunctos vere Christianos, haud aliter quàm articulum fidei quendam, oportere credere. Quod & ipse Scotus eodem affirmat loco: Dicendum est, inquit, quòd ecclesia declarauit istum intellectū esse de veritate fidei in illo symbolo ædito sub Innocen. 3. in concilio Lateranensi firmiter credimus, &c. Vbi explicite ponitur veritas aliquorū credendorū, magis explicite, q̃ habetur in symbolo apostolorū, vel Athanasij, vel Niceno. Breuiter quicquid ibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei, & hoc post istā declarationem solennem factam ab ecclesia. Hęc Scotus. Cuius verba non iam ob id cito, q̃ te putem his velle credere, sed vt intelligas quantum ecclesiæ Scotus detulit, qui tamen alioqui suo iudicio, plurimum solet tribuere. Sed ecclesiam credidit eatenus spiritu sancto fuisse afflatam, vt errare in istiusmodi rebus haud potuit. Propter quod & subdit, Supponendum est, quòd ecclesia catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, spiritu, scilicet veritatis edocta. Et ideo hunc intellectū elegit, quia verus est. Non q̃ hunc verum ecclesia fecerit, sed à Deo traditum explicauerit, directa in hoc vt creditur à spiritu veritatis. Hæc Scot. Sic igitur argumentamur. Non inanem

Episc.

Ecclesia nō potest quicquid vult.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis pollicitationem Christus fecit, quando spiritu veritatis promisit in ecclesia mansurum, quæ nos de omni veritate certiores faceret. At inanis fuisset ista pollicitatio si concilium ligitime conuocatum, & eo præsertim intuitu, vt de fidei negotiis ecclesia certior fieret, errare permitteretur. Quamobrem certo credendum est, quicquid concilium sic à pontifice congregatum decreuerit esse de substantia fidei id tanquam articulum fidei recipiendum esse. Confirmabimus istud hoc modo. Nam vnde scimus, quis fuerit articulus fidei an secus, nisi per ecclesiam? Sed neque euangelia scimus euangelia esse, nisi per ecclesiæ diffinitionem. Negat enim Augustinus se fuisse crediturum euangelio nisi quia catholicæ prius credidisset ecclesiæ, quæ testimonium euangelio perhibuit. Et certe spiritus ipse veritatis (quo vere credimus ecclesiam regi) nunquã pateretur eam in iis negotiis hallucinari. Sed & de legibus morum, ac bonorum operum (quandoquidem superius ostendimus, non solam fidem nobis ad salutem sufficere, sed opera bona similiter exigi) quis ambiget quando pontifici simul & toti concilio visum fuerit, mores & opera quædam condemnare tanquam Christianorum salути contraria, quin ea fugere (velut animarum suarũ perniciem) singuli Christiani teneantur? Alioqui Paul. frustra dixisset: Obedite præpositis vestris. Et Christus item: Qui vos spernit, me spernit. Et alibi: Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. At quãdo potius ecclesiam audituri sumus, quàm quum pontifici concilium consentit, & pontifex concilio? Nã hi (procul omni controuersia) catholicam ecclesiam repræsentant. Sed iam cum Luthero congrediamur.

Argumentatio.

Heb. 11.
Luc. 10.
Mat. 18.

¶ Probo hũc sic. 1. Corin. 3. Fundamendum aliud nemo potest ponere, præter id quod positũ est, quod est Iesus Christus: hic habes fundamentum ab apostolis positũ, an omnis articulus fidei est pars huius fundamenti, quare poni alius articulus, quàm positus est

Luth.

nullus potest. Superædificari autem potest, vt idem dicit: Et ideo papa debet nobiscum poni & superædificari, non autem ponere, omnia enim credenda sunt in scripturis exposita plenè.

¶ Si cuncta credenda, plene sunt in scripturis exposita, nimirum est, aut vnde tibi cum patribus de scripturis tantum est disidium? aut quibus oculis ipse cernas quod illi contueri nequaquam potuerunt? Sed vt ista prætermittamus, dic mihi vbi in scripturis inueniam diem dominicam obseruari præceptum, quẽ tamen ecclesia colendum præcepit? Nec est hoc neotericum inuentum, sed à primordiis ecclesiæ traditum à Christianis hactenus accuratissime custoditum. Veruntamen quia non habetur in sacris literis, iam per te, non amplius obseruandum est, neque credendũ obseruari. Dic rursum vbi iussum fuerit in scripturis, diuorum imagines esse venerandas? Certè septima Synodus (quæ fuerat. 367. patrum) cõdemnauit execratores earum, & voluit omnes Christianos eas digna veneratione complecti. Dic tertio, quæ scriptura tradat patrem ingenitum dici? Nã Augustinus hoc ipsum in scripturis nusquam inuenire se potuisse testatur. Et tamen ad substantiã fidei pertinet. Sed nec quod filius omousios dict° alicubi fuerit (si credimus Augustino) posset illic inueniri, & tamen hoc ipsum est articulus fidei. Dic qua scriptura cogemur proteruientẽ, vt fateatur spiritum sanctum à patre simul & à filio procedere? & tamen idipsum est articulus fidei. Dic vbi reperiemus, q̃ Pascha nõ alio quàm dominico die celebrandum sit? profecto nusquam in sacris literis istud comperies. Et tamen hoc à priscis illis obseruari districtius imperatũ est. Dic vbi scriptum in sacris literis, quòd baptizatus ab hæretico non debeat rebaptizari? Et tamen hoc (etiã authoritate Cypriani retinente) post mortem eiusdẽ Cypriani, per concilium Carthaginense decretum fuit. An non Christus asseruit multa se habuisse, quæ dicturus apostolis fuisset, si tunc ferre ea potuissent?

Episc.
Multa tam credenda q̃ agẽda Christianis quæ in sacris literis non habentur.
I.
Diei dominici obseruatio.
II.
Imagines venerandæ.
III.
Pater ingenitus.
IIII.
Filius omousios.
V.
Spiritum sanctũ à patre & filio procedere.
VI.
Pascha dominico die celebrandũ.
VII.
Baptizat° ab hæretico nõ est rebap.

ptizandus. Et vbi quæso sunt illa scripta? Sed & Paulus post suū
VIII. reditum quædam Corinthiis pollicitus est se dispo-
Oīa quæ ad turum. Cætera, inquit, quum venero disponā. Et hæc
fidem attinēt in scrip. in sacris literis nusquam scripta inuenies. Falsum igi-
ex po. fal. tur est, quod omnia quæ vel ad fidem pertinent, vel
est. ad leges morum & operum plene sunt in scripturis
exposita. Id quod oportet confitearis, alioqui proba-
tio tua nulla est. Residuum autem argumentationis
tuæ, nullius momēti est. Quid enim si Christus (quod
& nos affirmamus) fundamentum statuatur? Nū pro-
pterea cuncta quę nobis credenda sunt, in scripturis
plenè sunt exposita? Quid hac cōsequutione poteā
stolidius cogitari? Sed & Petrum quid prohibet in
Christo fundari, & nihilominus ecclesiasticæ structu-
Fundamentū ecclesiæ. ræ fundamentum esse? Nobis enim fundamentū o-
mnino primum Christus est. Subinde post Christum
Petrus. Tibi vero nec Christus fundamentum esse po-
test, quando fides (quantum fundamentum collocas)
in Christo nequeat esse. Per fidem vtique Christiani
super Christum fundātur. At hæc fides haudquaquā
in ipso Christo est, sed in ipsis Christianorum pecto-
ribus. Quam quia Petrus primum confessus fuerat,
& ipse primus post Christum lapis viuus in huiusædi-
ficij structura repositus fuit.

Luth. ¶ Permitto tamē, quòd papa condat articulos suæ
fidei & suis fidelibus, quales sunt, Panem & vinum
transsubstantiari in sacramento essentiam Dei, nec
generare, nec generari. Animam esse formam substā-
tialem corporis humani. Se esse imperatorem mundi,
& regem cæli, & Deum terrenum. Animam esse im-
mortalem. Et omnia illa infinita portenta in Roma-
no sterquilinio decretorum, vt qualis est eius fides,
tale sit Euangelium, tales & fideles, talis & ecclesia, &
habeant similem labra lactucam, & dignum patella
sit operculum.

Episc. ¶ Permittis ipse pontifici? Bene, scilicet agetur
Currus bouem trahit. cum pontifice, si necessum ei sit ex tua permissione
pendere. Sed vbi (te quæso) pontifex regem cæli,

Deumque terrenum se vocauit? Quis te ferre potest
ita semper & vbique mendacem? Illud vero essentiā
Dei nec generare nec generari, quid tibi videtur, ve
rū ne, an falsum hoc existimas? Si falsum putes, quod
essentia generat, aut generatur, cur debeat tolerari?
An opinaris, vel minimum de Deo mendacium, leue
quiddam esse? Quando igitur tui similes nihil veriti
sunt, hoc de Deo mendacium confingere, qualem tu
pontificem illum dixisses, qui passus hoc fuisset impu
gne doceri? Recte igitur pontifex (qui tum fuit) Chri
stianos admonuit, quid super hac re credere debuis-
sent. Sed nec cæteri (quos obiicis) articuli, suis carēt
rationibus. Id quod palàm ostenderem, nisi quod ex
versutia quadam eos introduxisse te iam video. Hoc
in te sæpius obseruaui, quoties efficaces tibi desunt
probationes, ad conuitia te vertis, & alia moues,
quæ nihil ad rem attinent. Firmandus abs te potius
articulus esset, quo certum asseueras esse, quod non
sit in manu ecclesiæ, aut papæ, statuere articulos fi-
dei, nec leges rectè operandi. Sed quū istum nequeas
probare, ne nihil interim egisse videaris, tuo more la
tras in pontificem.

¶ Nos vero, qui non papani, sed Christiani sumus, *Luth.*
scimus, ꝓ nihil est fidei & bonorum morum, quod nō
abunde in literis sacris sit expositum, vt neque ius,
neque locus sit, alia statuendi vllis hominibus.

¶ Tu te his verbis hoc scire iactitas, quibus palàm *Episc.*
cunctis ostentas inscitiam tuam. Nos enim plurima *Notatur Lutheriin-*
supertus memorauimus iam credenda quam facien- *scitia.*
da Christianis, quæ nusquam in sacris literis haben-
tur. Nec satis est quòd dixeris te hoc scire, nisi præ-
ter hoc, iustas item dixeris probationes. Mihi pro-
fecto neutiquam satisfacis, quum te scire dixeris,
nisi me quoque feceris idipsum scire. Rectius aliqua
recensuisses, de quibus ambigitur an in sacris literis
contineantur, & indicasses vbi reperiri queāt, quàm
tot aliena citasses decreta, nempe de panis & vini
transsubstantiatione, de essentia Dei nec gignēte, nec

genita de forma substantiali corporis humani, atque alia nonnulla quæ nihil ad rem pertinent. Nos (vt vides) recensuimus plurima, quæ nemo vere Christianus negare poterit, ad fidem & bonos mores pertinere, nec tamen vbi sint abunde tradita vel exposita in sacris literis vllus indicare potest. Et tu nihilominus tanta est inuerecundia tua, audes asserere. Nihil esse fidei & bonorum morum, quod non abunde sit in sacris literis expositum.

Luth. Inanis Lutheri philosophia.

¶ Porro cæremonias potuit ecclesia ordinare, sed eæ in arbitrio sunt omnium fidelium, sicut dicit. 1. Corinth. 7. Empti estis pretio, nolite fieri serui hominum. Et Coloss. 3. Videte ne quis vos decipiat per inanem philosophiam & fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum.

Episc. Sine cæremonijs friget Dei cultus.

¶ In cæremoniis profecto quisquis reposuerit spē salutis, longè fallitur. Attamen haudquaquam inutiles habendæ sunt cæremoniæ. Tolle cæremonias ab ecclesia, & apud maximam Christianorum partē Dei cultum statim extingues. Fac ne quisquam leuet manus, néve genua flectat, aut ne tundat, aut oret nō velato capite, aut non in pedes erectus stet, dum legitur euangelium, aut id genus reliqua prætermittat, videbitis intra paucos dies, eam (quam vocamus deuotionem) euanescere penitus. Nam ea quæ adhuc viget in paucorum Christianorum pectoribus, quanquam sit pertenuis illius cultus scintilla, cæremoniis tamen enutritur. Et nisi ad has cogerentur Christiani, propediem q̄ frigidissimus cultus Dei futurus est. Neque scripturæ, quas adducis, cæremonias damnant. Quū enim Paulus ait: Empti estis pretio, nolite fieri serui hominum. Hoc propter eos dixit, quorum aliqui se Paulo, quidam Apollo se addicebant, velut in hominibus spem salutis statuentes, atque per hūc modum in miseram se tradentes seruitutem. Sed & alia scriptura Pauli nihil aduersus eas cæremonias, quibus ecclesia iam vtitur, militat, sed veteres Iudęorum ob-

1. Cor. 7.

seruantias duntaxat vitare iubet.

¶ Concedo ergo papam habere potestatem condē di leges, sicut Assur Nimrod habuit, vt esset robustus venator in terra coram domino, vt extinguat libertatem Christianam. *Luth.*

¶ Tu videri vis Christianæ libertatis assertor esse, quum nihil sis minus. Nam tua libertas mera seruitus est. Sola fides tibi liberum facit quemque, quantumuis inquines vitiis vel sordidissimis. Tuæ libertatis est ecclesiæ sacramenta contemnere, quæ semper apud patres fuere sacrosancta. Tantam tu Christianis libertatem, imò verius licentiam permittis, vt nullis aliis ecclesiæ legibus obtemperent, quàm quę in euāgelis aut Apostolicis literis palam sunt traditæ. Tua libertas omnem cæremoniarum ordinem euertit, cōfusionemque proinde maximam pariet tandem in ecclesia Dei. Aptè profecto libertatem hanc tuam depinxit diuus Petrus, quū vetuit Christianis, ne quasi velamen haberent malitiæ libertatem. *Episc. Speciosa Lutheri libertas, Ægyptiaca seruitute deterior.* *1. Pet. 2.*

¶ Probatur hæc potestas per illud Christi Matth. 24. Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & seducent multos. *Luth.*

¶ Quis non videt hanc scripturam teipsum exprimere? quippe qui tot sub Christi prætextu seduxerit, & quotidie seducis. Quis non hic strophas tuas exploratissimè cernit, quum Christi vaticinū (quod tibi nemo non obiiceret) tua vafrities adaptat ponticiū? Quis alius, quæso, plebem seducit potius, quàm qui eam auertit à patrum commentariis, in quibus ab apostolorum temporibus, ad hanc ætatem vsque Christiana plebs scripturam sacram didicerit. Ab his pascuis nunc tandem Lutherus abducit plebem atq; id quidē sub prætextu nominis Christi. Quis itaque non aduertit hunc ex eorum esse numero, de quibus Christus dixit: Multi venient ad vos in nomine meo, & seducent multos. *Episc. Lutherus se suis coloribus depingit. Christi oues Lut. ab antiquis pascuis ad desertum seducit.*

¶ Et iterum: Quū videritis abominationem stan- *Luth.*

tem in loco sancto(quę dicta est à Daniele prophetâ, qui legit intelligat)Surgent enim pseudoprophetæ, & pseudochristi,& seducent multos. Tũc si dixerint: Ecce hic aut illic est Christus,nolite credere, dabunt enim signa & prodigia vt in errorem ducant, si fieri potest etiam electos.Ecce prædixi vobis.

Episc. Abominatio est ipse Luth.

¶Et hæc ad te quoque spectant& tui similes.Quis quis enim prætexens euangelium hæresim docet,recte dicitur abominatio stans in loco sancto. Et eiusmodi Christus ipse pseudoprophetas & pseudochristos vocat,à quorum erroribus admonet cauendum. Propter hanc quoque caussam,& spiritum ipse veritatis misit, quo sic ophantias eorum ecclesia discerneret.Nec erit quisquam ab eis tutus,nisi qui doctrinæ per ecclesiam traditæ firmiter adhæserit. Ob quã rationem, & Paulus eam vocat columnam, & firmamentum veritatis.

Luth. 1.Timot.4.

¶Et.1.Tim.4.Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendẽtes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium,& cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis,quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem.

Episc.

¶Profecto & prior huius pars te delineat adunguẽ.Nam vbi credis alibi manere fidem, quàm in ecclesia Christi?Ego(inquit Christus ad Petrum) rogaui pro te,vt non deficiat fides tua.Petri fides,ne dubita,semper in successione Petri manebit,quę est ecclesia.In hac fide iampridem educatus ipse fuisti, quam nunc deseris,& ab ea discedis, attendens spiritibus erroris,non veritatis. Nam si veritatis attenderis spiritui,ecclesiam vtique non contemneres, in qua spiritus veritatis & residet,& loquitur.Palam igitur est te non veritatis audire spiritum,sed attendere spiritibus erroris,& doctrinis dæmoniorum.

Luth.

¶Ecce non solum hic probatur potestas papali-

carum doctrinarum & legũ,sed etiam admonitio nostri,ab iis pseudomagistris caueamus qui cæremoniis hic & illic Christum ostentantibus, nos à fide syncera alienant.Nam & Daniel.8.prædixit Antichristum fore regem impudentem facie,hoc est,sicut Hebræus habet, potentem speciebus, pompis & cæremoniis, externorum operum extincto interim spiritu fidei, sicut videmus impletum,tot religionibus,ordinibus, collegiis,ritibus,vestibus, gestibus, ædificiis, statutis, regulis,obseruantiis, vt numerum nominum eorum vix recites,quorum nullus euangelium curat, donec irrita facta sint omnia mandata Dei,præsertim princeps iustitiæ fides Christi,propter traditiones has hominum impiorum. Et hæc quidem milites fecerunt. Et hæc regno Antichristi conueniebant.

Episc. Ingenium Lutheri Anaxagoricum.

¶Hic te video,puluerem ob oculos effundere molitum,nimirum ex Hebraica literatura.Sic istud ingenium tuum prorsus Anaxagoricum, quicquid vult, vbilibet se posse reperire confidit,&vnamquamlibet scripturam personæ cuilibet adaptare. Quò fit,vt antiquitus iam ex Hebræo captatam, moliris in pontificem torquere, quæ nihil ad eum spectant. Vt donemus igitur hunc locum sic traduci posse, non quadrat tamen in pontificem id quod sequitur.Et intelliget ænigmata,seu potius(vt quendam reddidisse legi)diuinationes. Porro quòd in arte diuinandi pōtifex peritus fuerit,nondum à quoquam audiui.

¶Sed planè Hieron.ac cæteri interpretes,de Antiocho filio Seleuci literam hanc interpretantur,quã to per vim torquere conaris ad pontificẽ,vt eum Antichristum facias.Si nobis ad hunc modum scripturis vim inferre liceret, multo quadrantius hæc in te cõpetere doceremus.Nam siquis tuas versutias expendat,mẽdacia numeret,impudentiam exploret,hypocrisim excutiat, conuitiandi libidinẽ exprimat,charitatis prætextũ aperiat,malitiæ venenũ detegat,cæterosq; dolos & artes innumeras (quibus ipse cõflat ex)depingere velit,nõne plures te formas ac species

habere mõstrabit, q̃ Protheus habuisse refertur? Profecto verius hæ tuæ dici possunt species, quàm quas attribuis pontifici. Quid enim tanta religionũ varietas & cætera (quæ congeris) ad pontificem spectant? aut quomodo poterunt hæc omnia species & formæ dici pontificis? Ecclesiæ nimirũ ista varietas, rectius existimabitur. De qua & scriptum est: Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circũdata varietate. Et sanè perquam mirificè facit hæc varietas ad ecclesiæ decorem, si quis nõ colubrinis, sed columbinis eã oculis inspexerit. Neque certe pontificem incessere deberes, ob hanc tam multiformem varietatem, sed sanctissimos illos patres potiꝰ Basilium, Hieronymũ, Augustinum, Benedictum, Dominicum, & Franciscũ, quorum vel minimo nequaquã conferendus es. Hoc semper male habuit progenitores tuos, hoc est, priorum hæresum seminatores, quòd tanta fuisset in ecclesia religionum varietas. Tu potius (quod iam incumbit tibi) articulum astrue, quemadmodum promiseras, & desine vim scripturis inferre, quo põtificem, Antichristum esse monstres. Certũ enim est ex sacris literis, haud dum Antichristum venisse, nisi forsan tu nobis Antichristus sis futurus. Istis nugis, quod tibi in morem est, nos in obliuionem prioris instituti moliris inducere. Redi potius ad institutum, & proba nobis articulum, quemadmodum es pollicitus, nempe, quòd nec ecclesia, nec pontifex posset quicquam de nouo credendũ, aut operãdũ statuere, prẹter ea quẹ in sacris literis explicantur, id quod scio nunquam comprobabis. At propterea nugas istas introduxisti, quemadmodum soles, quoties tibi solida defuerint argumenta. Sed ista pro articulo sufficiant.

Psal. 44.

Religionũ diuersitas priores hæreticos semper male habuit.

ARTICVLVS XXVIII.

Luth.

SI papa cũ magna parte ecclesiẹ sic vel sic sẽtiret, nec etiam erraret, adhuc nõ est peccatũ aut hęresis contrarium sentire, præsertim in re nõ necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium vniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum.

¶ Nihil magis tibi fidem abrogat & tuum dogma commonstrat esse veritatis expers, quàm quòd in eo tam parum tecum constes, & tibi tam malè cohæreas. Nam (vt quidam ait) omnia vera veritati consonant, falsum autem tam à seipso, quàm à veritate discrepat semper. Tuum igitur dogma, quãdo nec sibi conuenit, nec veritati, merito cũctis exhibilandum est. Sed age, istud doceamus ita se habere. Proximo quidem articulo, non displicuit in ecclesia, tanta cæremoniarum varietas. Nunc autem in hoc articulo, non displicet animorum disidium. Et vtrum horum quæso magis indecorum Christianis esse censes, animis ne? an cæremoniis disidere? Animis profecto, quisquis non insanit dicturus est. Nam si debeant se Christiani, ritibus & cæremoniis inuicem conformare, multo magis animorum sensus inter eos vnus esse deberet. Et tamen tu permittis Christianos animis dissentire, cæremoniis vero dissentire non pateris. Quàm pulchrè, scilicet tibi congruis. Cæterum cum tria sint, quæ Christiano cuique conueniant, animus, corpus, & opera, quicquid de corporibus & operibus hominum fuerit, quæ nequeunt non multiformia esse, tamen inter Christianos animorum vnitas deberet esse coniunctissima. Quam sanè rem & Paulus, Corinthios per Dei nomen districtius adiurat obseruare: Obsecro, inquit, vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodẽ sensu, & in eadem sententia. Ecce quomodo non tibi solum, verumetiam apostolicæ veritati repugnas plurimum. Iubet enim ipse Christianos, vt idipsum omnes dicant. Et tu doces Christianis diuersa licere. Damnat ille schismata, tu schismata probas. Illis vnam mentem, vnamque sententiam cunctis esse vult, tu singulis diuersam & dissidentem esse permittis, atque nõ solum fratribus inter sese, verumetiam à

Episc. Secum frequẽter dissidet Lut. & ideo veritatis hostis.

Cæremoniarũ varietas Lut. nõ placet, at cõtra animorũ dissidium non displicet.

Animorũ vnitas Christianis debet esse coniunctissima.

1. Cor. 1.

Paulus animorũ vnitatem Corinthiis iungit. Lut. Christianis pectora pugnãtia facit.

Universidad de Deusto Biblioteca

pōtifice,& ab ecclesia disidium admittis, defendisq; non esse peccatum, sic ab eis Christianos dissentire. Hic iam vrgebo te paucis. Si peccatum hoc non fuerit,id quod tu nimirum asseris,vtique nec improbandum erit,profecto tibi probandum sit oportet. Nam apud te,medium nullum est,neque opus aliquod tibi neutrum,aut indiferēs vllo pacto creditum. Quoniã igitur istud,vt audis,Paulus reprobat, palàm est tuæ sententiæ repugnare Paulum. Quamobrem aut ipse falsa docuit,quod scio,nemo dicturus est, aut tuum dogma,velut totius veritatis expers, merito cunctis erit explodendum. Porro,quòd ais,concilium expectari debere,certè Paulus de cōcilio nihil est loquutus,sed suæ voluit Corinthios authoritati confidere. Quod & quemque facere Christianum decet, postquam pontifex vnà cum ecclesia,sit sentiendum fore semel docuerit.Cæterum quem in modum hunc articulum firmes,iam audiamus.

Paulus sententiæ Lutheri repugnat.

¶Hæc indulgentiis dixi,minus tunc rerum peritus. Stultè enim dixi, quarearticulũ damno ipsemet, quum enim in eo quæstio de rebus non necessariis ad salutem versetur,non debui papæ aut concilio tribuere,tantum potestatis,vt è non necessaria re,necessariã facere possent.Sed sic debui dicere,sicut & nũc dico.Si papa & concilium sic desiperent, vt in rebus non necessariis ad salutem determinandis,tempus & studia perderent,habendi & cōtemnendi essent pro fatuis & insanis,cum omnibus suis determinationibus larualibus,cum tam multa sunt necessaria ad salutem,quæ sola tractari oporteat.

Luth.

¶Si de rebus ad salutem nihil conferentibus (dimissis vtilioribus)pontifex cum concilio tractet, nõ istud probarim.Sed plerũque, res quædam vni videtur necessaria,quæ forsitan alteri superuacanea iudicatur.Quamobrem oportet inter Christianos,quendam loco iudicis constitui,cuius decreto par est cæteros omnes obtemperare.Nam alioqui maxima inter Christianos erit dissentio, quibusdam asserentibus

Episc. Iudex quidam inter Christianos constituendus.

rem quampiam saluti conducibilem esse,quibusdam contra negantibus.Et quis,te quęso,iudex potior habendus est de re quauis,an ipsa fuerit ad salutem necessaria,quàm is qui fuerat in hoc muneris à Deo destinatus?maxima quum ei bona pars ecclesiæ consenserit. Neque enim credibile est Christum(quum ipse corporaliter esset in cęlum ascensurus)ita suam ecclesiam, absque omni duce & rectore destitutam reliquisse,vt nemo prorsus esset ad quem in rebus dubiis diffiniendis, in litibus & controuersiis dirimendis, in reprimendis opinionum nouitatibus,in rebellionibus & contumaciis coercendis,ac demum in sedandis cæteris ecclesiæ perturbationibus accederēt Christiani,sed oporteret pro leuissimis quibusuisnegotiis congregare concilium. Quis tam impudens est,vt non perspiciat, quantam hæc res in ecclesia confusionem fuisset paritura,si nemini talis authoritas commissa fuisset. Quãdo igitur is,qui primus est, & totius ecclesiæ princeps,cui totiꝰ orbis cura,Christi decreto commissa fuit,hunc vel illum sensum vnà cum cæteris ecclesiæ proceribus approbauerit, istis nimirum alios(qui reliqui sunt)nisi rationem efficacissimam in contrarium attulerint,se conformare debebit. Quod nisi fecerint, Pauli decretis planè contraueniunt,qui iubet vt idipsum dicturi sint omnes, ne sint inter eos schismata, sed quòd sint omnes in eodem sensu,& in eadem mente perfecti. Quisquis huic præcepto repugnat,non video quis eum à peccato poterit excusare.

Pontifici ecclesiæq; proceribus aliquid approbantibus cæteros christianos subscribere oportet.

¶Talis autem fatuitas est,quòd de indulgētiis,de primatu papæ,de transsubstantiatione panis, & infinitis aliis nugis,ad rem nihil pertinentibus,sępius in conciliis determinarunt,de quibus Paulus.1.Tim.4. Stultas autem & aniles fabulas deuita.

Luth.

¶Hoc est quod dixi. Quoniam hæc tuo palato fatua videntur,quæ tamen aliis censent nõ esse fatua, cur in his tibi vis credatur potius quàm pōtifici, vel ecclesię toti?Iã omnino iudex quispiã audiendus est,

Episc. Scriptura nõ est iudex

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuius iudicio stare cunctos decet Christianos. Tu scrpturam vis esse iudicem, sed hanc rationibus plurimis, ostendimus iudicem fieri non posse, & maximè cum acriores nunquam inter Chrianos, quàm de scrpturis habitæ sint contentiones, vt super his necesse fuisset alios habere iudices, Nã hæretici vsqueadeo pertinaciter illi sensui quem semel de scripturis imbiberint, adhærent, vt dirumpi citius scripturas paterentur, quàm à suis opinionibus diuelli. Si nõ hoc animo fuissent Arrius, Macedoni⁹, Eutices, Donatus, Pelagius, ac Hæresiarchæ cæteri, nemo mihi credat. Quod si compertissimum sit eos tales fuisse, cur tuo iudicio de scripturis contra pontificis & ecclesiæ decretum stabimus? Æquũ hoc tibi videtur, vt tu iudex cunctorum habearis? Verbis euangelij te compello, quis te iudicem cõstituit super nos? At hoc certe moliris, quum neque pontificem, neque bonam ecclesiæ partem, neque concilium ipsum generale, sed scripturam sacram solam admittis iudicem.

Quare Luther, vult scripturã se iudicẽ ecclesia in iis quæ fidei sunt errare nõ potest. Pontifex cũ concilio vniuersalẽ ecclesiam refert.

¶ Et hanc hauddubiè non alia ratione, nisi quòd speras eam ad instar nasi cærei te vertere posse in quamlibet partẽ. Cæterum quãtum ad hos articulos attinet (quos tibi nugas placet appellare) quoniã de duob⁹ prioribus nõnihil ante diximus, de tertio iam identidem breuiter disseremus. Et certe persuasissimum habeo ecclesiam errare non posse, in iis quæ ad substantiam fidei pertinent, simul & credo, scripturas id omnino velle, maximè quum probatissimo põtifici concilium generale consentit. Nam pontifex vna cum concilio, non est dubium, ecclesiam vniuersalem repręsentare. Quum igitur in eucharistia panis substantiam, in substantiam corporis Christi conuersam esse, conciliũ Lateranense sub Innocentio.3. credendum censuit. Et iis põtifex (vt Platina, vir alioqui parum sacerdotibus fauens, testatur) fuit in quoquis vitæ genere probatissimus, & planè dignus, qui inter sanctos põtifices numeretur. Quis ergo dubitare potest, quin id (quod iste põtifex cum toto cõcilio diffi-

nuit) verè sit credendum? Porro quòd tua sententia nec pontifex, nec ecclesia potest articulum fidei nouum condere, idipsum ego facilè cõcedo, tametsi nõ omnino iuxta sensum tuum. Neq; enim opinor pontificem vnà cum concilio posse quicquid libebit indiscriminatim decernere, de substãtia fidei esse, quod non antè fuerat de substãtia fidei. Nam in eorum arbitrio non est situm (vt Scotus ait) vt quicquam tale, vel non tale faciant, sed spiritu potius veritatis edocti, id quod reuera pridem de substantia fidei fuerat, iam declarant esse de substãtia fidei. Quando igitur palam est pontificem illum, Innocẽtium inquam tertium, tam doctrina, quàm sanctitate præstantem, cum toto concilio declarasse, transsubstantiationem panis credendam esse, quis ambigere potest, quin idipsum prius fuerat de substantia fidei? Neque enim (vt scitè Scotus ait) ob id vera fuit hæc diffinitio, quoniam illi potius hanc partem, quàm cõtrariam diffinierunt, sed retrorsum magis, hoc est, ob id illi partem hanc diffinierunt, quia vera fuit, & quia spiritus veritatis nequaquam eos aberrare permisit.

¶ Laudo ergo egregiam Bullam istam, quæ papæ & concilio tribuit negotium, rerum non necessariarum ad salutem, neque enim digni sunt alio negotio, quàm vt statuant, definiant, seruent aliena, impertinenria & non necessaria ad salutem. Quid enim illis & saluti? Sed & Bulla ipsa, & proles imitatur parentes suos, ferè non laborat, nisi in articulis ad rem prorsus nihil pertinentibus. Quum ergo è non necessariis necessaria faciant, & hæc, neglectis interim fidei documentis pro articulis, obtrudãt populo Dei, non intelligimus adhuc eos, operante Satana, operationibus erroris ecclesiam vastare? Qui enim potest esse nisi error, quòd quum necessarium non sit, necessarium arbitrio hominum efficitur, vt hominum spem ædificent super arenam, vt credãt necessarium, quod necessarium non est. O vos impiissimi animarum seductores, quàm scelerate illuditis populo Dei.

Luth.

Universidad de Deusto Biblioteca

Episc. Recipit se ĩ sua castra Lutherus.

¶Iam id(quod & lectorem sæpius admonui) quis non aduertit? Ecce Luth. ad conuitia se vertit, quotiies efficacia defuerint argumenta. Nihil hactenus attulit pro huius articuli roboratione. Nusquam enim probat, ꝙ liceat à pontifice & à bona parte ecclesiæ dissentire, aut ꝙ non sit pontificum concilio sentiendum credendum penitus. Nos vero docuimus id necessarium esse creditu, quod pontifex cum ecclesia decreuerit esse credendum, non ꝙ ecclesia quicquam verum, aut non verum faciat, sed ꝙ id, quod antè verum fuerat, quanquam à plerisque dubitatum, iã explicatius & apertius verum esse diffinierit.

Luth.

¶Igitur siue papa, siue pars, siue concilium sic aut sic sentiat, nemini debet esse præiudicium, sed abundet quisque in suo sensu, in eis rebus quæ necessariæ non sunt ad salutem.

Episc. Christiani diuersum non sequantur.

¶Non possunt non esse necessarię res ad salutem ipsæ, quas pontifex cum concilio tales esse declarauit, non quòd illas pontifex efficiat salutares, sed quia pridem tales fuerant, idcirco pontifex à spiritu instructus iam eas esse salutares diffiniuit. Præiudicatum igitur est cuique Christiano, ne diuersum sequatur sensum, hoc est ne dissẽtiat ab iis, quæ summus pontifex vnà cum concilio credenda decreuit, sed iis oportet, & fidem & consensum pariter adhibere. Quis enim alio pacto scire potest, quæ pro veris euangeliis Christi tenenda fuerint, & quæ respuenda, nisi per ecclesiæ decretum? Sed non ita, quod ecclesia potest quicquam euangeliũ efficere, quod non ante fuerat euangelium, aut id repudiare, quod verum sit euangelium, sed spiritu veritatis infallibiliter edocta, quatuor nobis euangelia tradidit, quibus nos firmam adhibere fidem oportet, atque ad hunc modum de cæteris, quę pontifex cum ecclesia decernit, credendum est.

Luth.

¶In libertatem enim vocati sumus, vt non sit necesse credere verum, quod alio homo sentit vel dicit, contenti eis credere, quæ in scripturis docti sumus.

Episc. De libertate in quã vocati sumus.

¶In libertatem sane vocati sumus, sed hac abutimur libertate, quando licentius, aut sentimus, aut loquimur, quàm ecclesiæ decreta permittunt. Tunc enim libertas nostra, malitiæ velamen est potius, q̃ libertas. Nec verum est (quemadmodum tu prætexis) ꝙ vrgetur quiuis credere, quicquid alio quilibet credit, sed quicquid pontifex cum concilio credendum decernit, id omnino credere tenetur quiuis, quanquam in scripturis idipsum non habeatur. Nam plurima sunt (vti supra diximus) quæ tenemur credere, simul & facere, de quibus nihil in scripturis agitur.

Defectus Lutheri.

Cæterum ingentem his verbis licentiam sacerdotibus concedis, cum iam tua sententia non tenebuntur ad tam prolixas preces, quas horarias vocant, nec ad alia multa, ad quæ per ecclesiã obligati sunt, quoniam in sacris literis nusquam ista præcipiuntur.

Luth.

¶Si vero papa poterit vllo iota probare se habere ius cõdendi, etiam minimam legis literam, nedum articulos fidei statuendi, libenter hæc reuocabo.

Episc.

¶Sæpe diximus, quòd papa, quanquam nouum articulum fidei condere nequeat, tamen si cum concilio generali, quiddam, ceu fidei articulum credendum decreuit, id quisque Christianus recipere & credere tenetur, certus quòd ecclesia spiritu veritatis regitur, in iis quæ sunt fidei. Cæterum quis hic tuas artes non deprehendit, qui pontificem oneras huius rei probatione, quum tibi potius incumbit probare tua. Pontifici non desunt, quæ pro sua parte copiose producat. Sed tu, qui tuis hæresibus totam vexas ecclesiam, quid hactenus ad hunc articulum comprobatum attulisti?

Luth.

¶Vsum & præsumptionem, quibus hactenus prę-ualuit, non curo, scripturas sanctas quæro, quandoquidem omnia quæ in ecclesia fiunt, è scripturis sanctis authoritatem & exemplum habere debent.

Episc. Multa nobis tradita p apostolos tũ tum.

¶Certe quæ præcipiuntur ab ecclesia, non absque scripturarũ authoritate præcipiuntur, quãquam ipsa quæ sic præcipiuntur nõ semper in sacris literis

prodita sint. Dies enim dominicus, aliaque id genus multa (quæ supra recensuimus) ab ecclesia præcipiuntur obseruari, & non sine scripturarum ratione, nec tamen ipsa reperiuntur in sacris scripturis vsquà expressa. Sed & apostoli multa post ascẽsionem Christi ad patrem, nobis tradiderunt, nec sine authoritate Christi, quanquàm antea de eisdem nihil ab ipso palam accepissent.

Luth. ¶ Sicut dicit Deutero. 4. Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo. Et Zacha. 2. Legem Dei requirent ex ore sacerdotis, quia angelus domini exercituum est.

Episc. ¶ Quid tibi velis cũ iis scripturis Luthere? Si tuũ institutum ex iis probari confidis, falleris quàm longissime. Nam citra quàm priorem enunciasset Moses multa sunt adiecta, multa quinetiam adempta sunt. An tu putas hæc non obligare Christianos, quę Christus eatenus adiecit, vt Christianorum iustitia fieret, quàm Iudæorum cumulatior? Sed inquies, De Christo Moses prædixit, quod illi non minor quàm sibi fides adhiberetur. Hoc tamen respõde. Cur ipsius Christi verbis, & iis præsertim, quæ proximè discessurus dixerat, nempe de baptismatis forma, detrahere quàm ausi sint apostoli? Cur de non edendo suffocato & sanguine legem à Christo nunquam traditam, ipsi gentibus imposuerunt? At cur posteaquam apostoli semel hãc legem imposuissent, ausus fuerat Paulus eandem immutare? Scribit enim ad Timotheum: Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Vnde factum est, vt nullo non ciborum genere vescerentur Christiani. Quamobrem aut illos omnino condemnabis, aut quum eodem spiritu iam regatur ecclesia, cuius instinctu docti sunt apostoli prædicta facere, confiteberis ecclesiæ pręceptis iam esse Christianis omnibus æqualiter obtemperandum. Sed & assentieris ecclesiæ iam licere, pro ratione temporum, & personarum, alia quędam adiicere prioribus pręceptis & in-

Apostoli aliqd à Christi verbis detraxerunt. Actu. 15. 1. Tim. 4.

stitutis, nihilo minus quàm apostolorum licuit temporibus. Cæterum porro altera (quam affers) scriptura perparum ad rem facit. Quid enim si lex Dei requirẽda sit ab ore sacerdotis? Num propterea sequitur, & nemo sacerdotibus, nisi in iis duntaxat (quę in sacris literis prodita sunt) obtemperabit? Quis non videt hanc consequutionem, quàm nihil omnino roboris habeat? Hæc igitur ad huius articuli cõfutationem sufficiunt.

Fatua Lut. conclusio.

ARTICVLVS XXIX.

Luth. Via nobis facta est eneruandi authoritatẽ conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & indicandi eorum decreta, & confidenter confitenti quicquid verum videtur, siue probatum siue reprobatum fuerit à quocunque concilio.

Episc. ¶ Non potest quisquam articulus hoc vno pestilentior excogitari. Tollit enim vniuersum totius ecclesiæ robur, sed & animos Christianorum prorsus incertos reddit, cui potissimum credere debeant. Nã si generali concilio secure credi non posset, cuius erit authoritati credẽdum? Neque enim quisquam audire potuit vnquam vniuersalem ecclesiã (postquam semel ipsa per orbem dispersa fuerat) hoc vel illud affirmãtem. Sed nec possibile fuit, vt in vno loco tanta multitudo congregaretur, vnde posset audiri. Quamobrem si concilio plenario quod pontificis & singularum prouinciarum assensu coadunatur, certo credi non posset, haud scio, cui fidem indubiam adhibebimus. Neque erit internoscendi facultas, hæreticum ab orthodoxo, quum ille non minori constantia contendat, apud se veritatem scripturarum esse, q̃ orthodoxus apud se, si nullum præter scripturas, eius litis iudicem admitti patiamur. Si pontificem recusamus, si concilia cõtemnimus, non particularia solum, sed etiam ipsa plenaria, quid iam reliquum est, nisi vt is præualeat, qui loquacior fuerit, & contentiosior,

atque temerarius magis, quemque non pudet mendacia pro verisimis audacter asserere, modo posset vtcunque mendacium fucare suum, vel cõtortis scripturis, vel argutiis verisimilib⁹, vel (si cętera desint) cõuitiis & probris in cõtranitẽtes acerbissime iaculatis. Enerua conciliorum authoritatem, sit licentia cuique contradicendi gestis eorum. Sinatur quisque pro suo cerebro conciliorum esse iudex, & si libet, condemnator. Nihil curet quiuis, quicquid à conciliis siue probatum, seu reprobatum sit, sed impunè quisque pronunciet quicquid suæ temeritati verum videbitur, & tum, nunquid eiusmodi, qualem supra depinximus, non maxima fides à bono Christianorũ parte firmiter adhibebitur? profecto. Sed tunc quale habituri sumus ecclesiam? quàm inconstantem, quàm ve ancipitem? omni cameleonte mutabiliorem atque versatiliorem omni cothurno? Si Luthero, si Arrio, Macedonio, Nestorio, Eutichi, Eluidio, Donato, Iouiniano, Pelagio, Vviclepho, magis quàm concilio generali credendum sit, quomodo posset deinceps ecclesia columna dici, firmamentumque veritatis? Quis vsquã adeo captus est oculis, vt nõ perspiciat, q̃ fœdera sint omnia confusa, ꝓmiscua, turbata, incõdita? Aut quomodo nõ vacillabit omnium Christianorũ fides, si propter quaslibet phantasticas hęreticorũ opiniones (quę nunq̃ non insurgere consueuerunt in ecclesia) nouis quotidie dogmatibus imbuemur, & vniuscuiusq; somniis credendũ sit magis, q̃ põtifici cũ vniuerso concio? Sed iam audiendi Luth. tempus est.

Tolle conciliorũ authoritatẽ, & oĩ Protheo mutabiliorẽ effiĉies ecclsiam.

Luth. ¶ Quàm maligniter & insidiose sanctissimus ille Christi vicarius captat mea verba.

Episc. Captat sibi gladium. ¶ Iam aduertit in quas angustias perduxerit eum sua temeritas, & negare studet, quæ palam scripserat, atque ita subterfugere, sed non effugiet. Quomodo põtifex tua verba Luthere captat nescio, sed tu profecto maligniter & insidiose contra pontificem, atq; adeo totam ecclesiam ista scripsisti, volens per hunc modum tuis hæresibus authoritatem conciliare. Cu-

ius rei non minimam spem concepisse videris. Nam cum ipse scholasticos omnes pro nihilo reputes, cunctosque sacros interpretes (qui tibi non subscribũt) omnino reiicias, pontificum decreta respuas penitus conciliorumque acta prorsus contemnas, confidasq; te posse, pro maligno ingenio tuo, scripturas inuertere, quomodo non iam Luthe. vel solum se regnaturum sperat, & pontificem vnà cum orthodoxis & ecclesia conculcandum opinatur?

Luther⁹ oĩs præ se cõtẽnẽs solum se regnaturum sperat.

¶ Sic enim ponit hunc articulum, ac si ego voluerim conciliis resisti pro cuiusuis libidine.

Luth.

¶ Tua certe verba magis aperta sunt, q̃ vt reuocare iam posses. Si bulla pontificis, aliter tua verba (q̃ ipse scripsisses) recensuisses, tũ rectius incusasses pontificem. Sed cum palam asseras, viã vobis factam, nempe tibi tuisque confœderatis, eneruãdi conciliorum authoritatem, & libere contradicendi eorum gestis, & indicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, siue probatum, siue reprobatum fuerit à quocũque concilio, cum hęc tam plane scripseris, non est subterfugiendi locus. Nam qui dicit à quocunque concilio, nullum omnino concilium excipit. Sed & iis verbis licentiam cuique facis sequẽdi quicquid sibi verum videbitur, nihil obstantibus cuiuscunque concilii decretis.

Episc. Palinodiam occulte parat.

A quocũq; cõcilio dissẽtire docet Luth. quod iam reuocare studet.

¶ Ego enim docui conciliis dissentire, & resistere, si quando contraria vel scripturæ, vel sibiipsis statuissent.

Luth.

¶ Quicquid alibi docueris nihil refert, quandoquidem, hæc abs te fuisse scripta, negare non poteris, hic hauddubie loqueris non solum de conciliis aliis, quæ vel sibi, vel scripturis, contraria statuerunt, sed generatim de vnoquoque concilio, prorsus nullum excipiens.

Episc.

¶ Scripturam, inquam, volo iudicem esse conciliorum.

Luth.

¶ Et ego quoque scripturam nõ recuso iudicem, modo non hæreticus eam, sed orthodoxus interpre-

Episc.

tetur.Si scriptura per seipsam loqui norit,aut si spiritus veritatis in scripturis loquens audiri posset,esset ipsa nimirum optima sui interpres.Sed hæretici crebrius eam ita trahunt, & torquent ad sensum suum, vt scriptura per eos deprauata, conciliis repugnare videatur,cum ipsis alioqui maxime quadret.

Luth. ¶Quod dixi, propter concilia illa nouissima, in quibus nihil definitum est iuxta scripturas, sed omnia secundum mera hominũ statuta & somnia, si qua optima statuta sunt, vt potius hominum conciliabula, quàm ecclesiæ concilia dicere possis. Nam quid Constantiæ statutum sit videbimus infra.

Episc. ¶Si de nouissimis conciliis illud voluisses intelligi,non tam generatim, de quocunque concilio fuisses loquutus.Neque dixisses viam vobis factam enerauandi conciliorum authoritatem, cum is sermo protinus de cunctis accipitur.Neque ego penitus cuiuscunque concilii decreta probanda censeo, sed eius quodcunque fuerit in spiritu sancto pōtificis authoritate,cunctisque præmonitis,quorum interest adesse,conuocatum. Tale concilium in iis, quæ ad fidem pertinent,errare nō posse firmiter opinor. Cęterum quædam erant cōcilia, quæ nec in spiritu sancto,neque pontificis authoritate congregabantur,cuiusmodi nōnulla fuere Donatistarum, in quibus ipsi iactitabant se multos episcoporum centenarios habuisse. Fuit & Arimini quoddam olim celebratum numerosa episcoporum multitudine, sed nec spiritu sancto, nec pontificis authoritate congregatum, de quo Hieronymus affirmat,quod in eo sub nomine vnitatis & fidei,scripta fuit infidelitas. Et huius concilii res gestas Damasus papa nouo conuocato concilio rescidit penitus.Fuit etiam Constantinopoli concilium contra sanctorum imagines, pari modo sine spiritu sancto,sineq; pōtificis authoritate coactum, in quo.330. fuerunt episcopi. Sed hoc concilium postea reuocatum fuit,non modo per Stephanum papam in Romano concilio, verumetiam per synodum septimam omnino condemnatum, sed & contra cunctos defensores eius anathema seuerissime fulminatum erat.

Vltra vallũ ꝓgressus iã reprimit sese

De varijs concilijs, & cui sit stãdũ

Præter hæc & quædam fuerunt concilia,per pontificis authoritatem congregata, sed absque spiritu sancto,quale fuit concilium Stephani sexti (quemadmodum Platina scribit) aduersus prædecessorem suum Formosum,cuius acta magis odio parcitus,quàm vllo charitatis affectu reprobauit. Similiaque nonnulla subsequuta sunt,quum(vt Platina tradit)longo tempore post hæc fieri consueuit,vt acta priorum pontificum successores aut infringerēt, aut omnino tollerent. Dilucidum igitur ex iis esse potest multa concilia frequēter errasse, sed nos de plenariis loquimur, per pontifices conuocata fuerunt,quibus iidem plenum in spiritu sancto præbuerunt assensum.Nā semper mihi suspecta videntur,vbi vel à concilio pontifex disideat, vel concilium à pontifice, nisi manifestissima pontificis culpa factum id fuerit.Verum vbi mutuo consenserint, & in charitate cōuenerint,non est dubium,quin quicquid ad fidem pertinens decreverint,id firmum solidumque cunctis habendum sit.

Platina.

Luth. ¶Quod si etiam nunc dicerem cuilibet pro libidine licere conciliis resistere,recte dicerem,quia articulo præcedente confitetur sanctissimus vicarius Dei,se conciliis determinare ea quæ non necessaria sunt ad salutem,eaq; posse vertere in necessaria,ideo non solum resisti licebit, sed etiam sicut delirum aut morionem rideri à morionibus oportet,vt qui in rebus sacris tanta vel leuitate vel amentia etiam iocari & nugari tum audeat ipse,tum cogat alios.

Episc. ¶Profecto nisi frontis esses perfrictissimæ,te puderet toties de pontifice mentiri. Nihil huiusmodi pontifex in articulo superiori dixit. Errorem certe tuum reprobauit,quo tibi placet,quatenus cuique licet absque peccato sentire contrarium eius, quod pōtifex cum magna sentit ecclesię parte. Ego tamen nihil ambigo,quin pontifex vnà cum concilio posset ea quę pridem absque periculo salutis explicite non

Ex non necessarijs posse facere necessaria.

fuerunt credita, facere necessaria creditu. Quòd si posse constiterit, quis iam negabit illum, ex non necessariis ad salutem, posse facere necessaria? Palam enim est articulum de processione spiritus sancti à patre, simul & à filio, sine discrimine salutis aliquandiu non fuisse creditum. At postquam per concilium & pōtificem approbatus erat de substantia fidei fuisse, iam cuncti de necessitate salutis illum credere tenentur. Neque ita tamen, ꝓ pōtifex hunc ceu nouum articulum condiderit, sed ꝓ eum (qui prius de substantia fidei fuerat) iam de nouo talem esse declarauerit.

Luth. ¶ Adduxi autem pro mea sententia Panorm. de elect. C. Significasti, dicentem, plus esse credendum vno priuato fideli, quàm toti concilio, aut papæ, si meliorem authoritatem vel rationem habeat. Cur hunc non damnauit sanctissimus Christi vicarius? Quid in meis verbis odiose criminatur, quæ aliunde pendēt? si vni priuato plus credendum est, quàm concilio, in aliquo casu, nonne authoritas conciliorum quoque subiecta est eidem priuato fideli?

Episc. ¶ Multa à nobis hic dicenda. Et primum, ꝓ non
Primo. recte nobis obiicias Panor. Nam quid hunc producis, quem in iure solum, nō item in theologia doctum fuisse probè nosti? Et certe quando ipse tam odiose iurasti incessis, inepte suades, vt nos eis contra theo-
Secundo. logos fidem adhibeamus. Deinde quum sint magni nominis theologi, & iidē haud exiguo numero, qui contra sentiunt, cur huic vni fidem adhibendam cen-
Tertio. ses, tanta reiecta multitudine? Tertio, si tu quæ paulo superius asseruit Panormitanus admittere velis, nos ea lege pollicemur, eadem haudquam reiecturos. Sin tu legem istam spreueris, ea nolis, prioribus Panor. verbis teneri, non æquum postulas, vt ista, quæ subsequenter dixerit verba nos obligare debeant. Sic vtique paulo superius scripsit idem Panor. Licet potestas data fuerit papę, & toti ecclesiæ, papę tamen fuit attributa tāquam capiti, vnde debet moueri corpus, ad dispositionem capitis. Audis hæc verba Luthere?

Admittas ex iis oportet, pontificem esse caput ecclesiæ, & ad eius moderamen reliquum corpus moueri debere. Istud si cōcesseris, & nos (quod reliquum est) non aspernabimur. Quarto, videamus an ipse Panor *Quarto.*
mitanus ea solide probet quæ dixit, an secus: Conciliū (inquit) errare potest sicut aliàs errauit super matrimonium contrahēdum inter raptorem & raptam, & dictum Hieronymi melius sentientis, postea fuit prælatum toti concilio, vt probatur. 26. quæst. 2. in cap. Tria, iuncto cap. Placuit. Hæc Panormitanus. Huic nos respondemus, quòd non iis capitulis efficaciter ostenditur, quòd solus Hieronymus se contra concilium opposuit. Nam Meldense concilium prius idipsum diffiniuit, nempe ꝓ raptori liceret peracta pœnitentia, raptam in coniugem ducere, quemadmodum paulo superius eadem quæstione, cap. Si autem constat. Non recte igitur ex hoc pacto Panormitanus colligit, plus credendum esse vno priuato fideli, q̄ toti concilio. Quinto, finge neminem præter Hierony *Quinto.*
num, huic opposuisse sese concilio, tamen quia concilium hoc plenarium non fuit, nec pontificis authoritate conuocatum, vti Iuristę tradunt, nihil facit aduersum nos.

¶ Sed finge Panormitanum hoc non dixisse, quid *Luth.*
ad Paulum dicemus, qui Galat. 1. dicit, Si angelus de cælo aliud euāgelizauerit, anathema sit? Vide hic sanctissime papa, Paulus anathema iubet esse, etiam si angelus de cælo aliud docuerit. Et quanto magis anathema debet esse, si papa de terris, vel concilium de inferno aliud docuerit.

¶ Certe si angelus de cęlo quicquam aliud docu- *Episc.*
erit, hoc est, diuersum & repugnans euangelio, non iniuria foret anathematizandus. Sed quid prohibet alia, præter ea quæ in euangelio continentur, quęq; vel ad illustrandam fidem, vel ad bonos mores conferri possent, adiicere? Nihil profecto. Nam id priores patres (vt supra non semel ostēdimus) sępenumero fecerunt, vt nihil hic sit, cur incuses pontificem,

quem tu toties cum ironia sanctissimum nominas.

Luth. ¶Idem.1.Cor.14. Quòd si sedenti reuelatũ fuerit, prior taceat. Nonne & hic apostolus, docenti & maiori obstruit os, vbi sedenti & inferior aliquid fuerit reuelatum, & plane maiorem subiicit minori? quid ergo sibi arrogat papa & concilium, contra hæc scripturæ sanctæ exempla & documenta?

Episc. ¶Nihil omnino locus iste, aut certe quàm minimum pro te facit. Nam Paulus hic molitur, quòd in Corinthiorum ecclesia nullus fieret vocum tumultus, sed vt ordine quodam imperturbato, scripturæ cunctis exponerentur. Propter quod & præmisit inquiens: Prophetæ vero duo aut tres loquantur, cæteri vero diiudicẽt. Ecce duos aut tres in hoc officium deputari voluit, ita quòd non simul omnes loquantur, sed vicissim vnus post alium, ne confusio vocum fieret. Ob quod & iussit ei, qui prius verba fecit, protinus vt paratum alterum ad loquendum viderit, conticescere. Neque alia ratione subiecit Paulus, quod tu iam citaras. Quòd si sedenti reuelatũ fuerit, prior taceat. Et profecto nisi consorti dicturo mox ille cessserit, vterque simul verba faciet, atque ita confusionem non exiguam parient auditorio. Porro qui presentes fuerint, facile diiudicabunt, si propius ad rem loquatur, alioqui velut impudens, confestim exhibilabitur. Cæterum, neque voluit Paulus ipsum qui sermonem inchoasset interrũpi, nisi fuisset alteri quidam quod plebem potius ædificaret, reuelatum. Et sane, cui reuelatum quidpiam eiusmodi fuerit, is merito dignus est, qui præ cæteris audiatur. Sed priusquam ipsi fides vlla fuerit adhibita, diiudicare quid dixerit auditores debent. Cæteri (inquit Paulus) diiudicent. Quod & in conciliis identidem fieri notissimum est. Audiuntur singuli, si quis de re proposita quicquam dicere velit, & tandem quod omnium caculis maxime comprobatur (siue pontifex, seu quiuis inferiorum id dixerit) id in modum decreti redigitur. Ad vniuersum itaque cœtum diiudicare spe-

1.Cor.14.

dat, quid quiuis dixerit. Et nemo propriæ sententiæ suæ iudex admittitur. Neque credibile est, si plenarium concilium, ea charitate, quæ Christianos decet, congregetur, quin id quod de necessitate præsens negotium spectat eorũ alicui, qui præsentes fuerint, potius reuelabitur, quàm externo cuilibet. Ex iis itaque (quæ diximus) nemo non intelligit, hanc scripturam, quam ex Paulo produxisti, nihil aduersus conciliorum authoritatem facere.

¶Paulus etiam reprehendit Petrum Galat.2. *Luth.*

¶Quid si reprehenderit? Num propterea nulla conciliis remanebit authoritas? hoc enim est quod te probare iam oportet. Neque enim iam de pontificis authoritate, sed cõciliorum disserimus magis. At qui neque licet cuiuis, quod licuit Paulo. Profer quempiam, qui Pauli dotes æquare posset, qui sic vocatus à Christo, sic missus ad homines, tãta fide illustretur, tanta charitate ferueat, sapientia tanta præstet cæteris, tot reuelationibus afflatus sit, miraculis denique cuncta (quæ dixerit) comprobet tam apertissimis. Talem, inquam, profer, & (nihil hæsito) concilium hunc audiet quàm libentissime. Verum non ita, si quispiam Arrius, aut Nestorius, aut Macedonio, aut alius horum similis emerserit, qui pro suo cerebro, scripturæ contra patrum omnium sentẽtias inuolueret, nemo Christianus aut pontificem, aut concilium, ab eiusmodi belua reprehendi sustineret. *Episc.* *Non cuiuis licet quod Paulo licuit*

¶Et Iacobus Actuum decimoquinto, mutauit Petri sententiam. *Luth.*

¶Certe, si Iacobus Petri sententiam mutauit, falsum est quod Hieronymus ad Augustinum scribit. Nam postquam paucis Petri sermonem perstrinxisset, ilico subdidit: Tacuit autem omnis multitudo, & sententiam eius Iacobus apostolus, & omnes simul presbyteri transierunt. Ecce palam hic affirmat Hieronymus, Iacobum vnà cum cæteris in Pauli sententiam transisse. Et subiungit protinus: Hæc non debent (inquit) molesta esse lectori, sed & mihi & illi *Episc.*

vtilia, vt probemus ante apostolum Paulum non ignorasse Petrum principem esse huius decreti, legem post euangelium non esse seruandam. Hoc Hieronymus. Ex quo satis apparet, Iacobum haudquaquam sententiam Petri mutasse. Sed finge rem ita se habuisse, nempe quòd Iacobus Petri sententiam mutasset, quid istud conciliorum authoritati præiudicat? Nemo prohibitus in eo concilio fuit, suam sententiam dicere. Sed licuit cuique, quod senserit libere pronunciare. Petrus primum, ceu princeps & caput loquutus est, deinde Paulus & Barnabas, postremo Iacobus. Cęterum decretis concilii nemo repugnabat, sed concordibus animis omnes consenserunt. Nihil igitur concilio derogabat, quanquam à Petro Iacobus dissenserit. Quo & perspicuum efficitur, nõ posse tuum institutum ex eo ꝓbari, vel si donauerimus hoc ipsum tibi, nempe ꝓ Iacobus mutarit Petri sententiam, quod tamen ex Hieronymo falsum fuisse cõstat. Sed & hodie, dum per pontificem concilia celebrantur, licebit cuiuis, qui se putat meliorem habere sententiam, etiam si à pontifice dissideat, in medium eam proferre, sic tamen, vt eam non pertinaciter defendat, sed aliorum submittat iudicio.

Luth. ¶Nec ipsi in suo concilio quicquam statuerunt de sola præsumptione spiritus, sed per scripturas sua probauerunt.

Episc. ¶Cuius, te precor, spiritus præsumptionem intelligis? Humani ne? An diuini magis? Si diuini, falsum est. Nam alioqui, cur iidem apostoli dixerunt: Visum est spiritu sancto & nobis? Et Paulus ait: Spiritus manifeste dicit. Neque hæc certe, de quibus ita loquuntur, prius erant in scripturis tradita. Sed & septem diaconis, qui per concilium deputati fuerũt, nullam apostoli scripturam attulerunt, neque pro aliis id genus multis, quæ docente spiritu, recenter adiecta fuerant. Quòd si nihil præter scripturarum authoritatem, aut fecerint, aut docuerint apostoli, quomodo quæso, contra Christi mandatum expressum, baptismatis formam ausi sint immutare?

Act. 15. Apostoli docente spiritu sãcto multa gesserunt, quæ nulla scriptura coroborari potuerunt.

¶At nos incomparabiliter minores, statim vt nobis quicquam rectum visum fuerit, concilii titulo in articulum fidei vertimus. *Luth.*

¶Vtcunque fuerint ii, qui iam sunt in ecclesia, minores apostolis, eadem nihilominus ecclesia iam esse creditur, quę tunc fuerat, nimirum apostolorum temporibus, paremque vtrobique sortita potestatem. *Episc.* Neque enim pro solis illis Christus suum fudisse sanguinem, neque pro solis illis sanctum è cęlo demisisse spiritum putandus est. Quamobrem, vt illi concilio spiritus nonnulla mutarunt, ita nunc quid prohibet ecclesiam cum pontifice similia facere? Prę sertim quum quotidie nouis succrescentibus morbis, noua necesse sit remedia prouidere. Non habuit (fateor) ecclesia primitiua, tot explicatos articulos fidei, quot habentur hodie. Nimirum quia nõdum hæretici tot emerserant. Si nunquam aliquis Arrius emersisset, non hodie forsitan inter articulos haberetur filii cõsubstantialitas, quam Augustinus affirmat nusquam in scripturis esse repertã. Sic propter Macedonium, Nestorium, Eutiché, Theodorum, Macharium, & aliis ingenti numero, explicatior euasit articulorum numerus. Nam quia compertissimum habuerunt patres plerosque Christianos plus satis hæreticis fuisse credulos, apprime necessarium fore duxerunt, eorum errores condemnare, & quæ pro singulis erroribus è regione credenda forent, per concilia decernere. Quamobrem, quòd hodie tot articuli nobis traditi sint, hæretici fuerunt in caussa, qui tot pestilentes hęreses nobis suscitarunt. Nam hi scripturas lõge quidem irreuerentius tractarunt, quãm ipsi milites (de quibus supra loquutus es) tunicam Christi inconsutilem. Hi certe reuerebãtur hanc tunicam scindere, sed hæreticos sacras literas dilacerare nihil pudet, im est. Hæc itaque pro articuli huius explosione sufficere putamus.

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS XXX.

Luth. ALiqui articuli Ioannis Huſs condemnati in concilio Conſtantienſi, ſunt Chriſtianiſſimi, veriſsimi, & euangelici, quos nec vniuerſalis eccleſia poſſet damnare.

Epiſc. ¶Plus ſatis bonarum horarum, ob hos articulos tuos confutandos abſumpſimus, ne nunc iterato nouis articulis nos oneres. Sic enim (renitente prouerbio) Thylaco maior erit acceſſoria ſarcinula. Sed nobis eſt ſatis, quod per ipſum Conſtantienſe concilium (inquo viri totius Chriſtianitatis tam eruditione quàm morum probitate ſpectatiſsimi fuerunt) articuli dicti condemnati ſint. Neq; enim credibile eſt, tot & tã egregios patres (niſi prius accuratiſsime dictos articulos excuſsiſſent) eos, aut iugulare voluiſſe, aut carbone penitus notare.

Luth. ¶Erraui, & hunc articulum reuocaui, & adhuc reuoco, in hoc quod dixi, aliquos articulos Ioãnis Huſs eſſe euangelicos. Quare nunc ſic dico: Non aliquos, ſed omnes articulos Ioannis Huſs Conſtantiæ eſſe damnatos, ab Antichriſto & ſuis apoſtolis in ſynagoga illa ſatanæ, ex ſceleratiſsimis ſophiſtis cõgregata.

Epiſc. ¶Iam experior, quòd olim puer audiui, vel ob id cauendos hæreticos, quòd ex eorum cineribus alii facile renaſcantur. Nunc enim in te reuixiſſe video Ioannem Huſs. Cæterum, hoc vnum conſultiſsime prouidit Deus, vt nemo veſtrum plene cum cæteris conſentiat, ſed in quamplurimis ab inuicem diſideatis, & vnus alteri frequentius aduerſetur. Nec ipſe Ioannes Huſs præceptori ſuo Vviclepho ſubſcripſit in omnibus. Nec tu Ioanni tuo, quemadmodum infra mox videbimus.

Inteſtina hæreticorum bella.

Luth. ¶Et in faciem tuam ſanctiſsime vicarie Dei, tibi litere dico, omnia damnata Ioannis Huſs eſſe euangelica & Chriſtiana, tua autem omnia prorſus impia, & diabolica. Ecce reuocationem quam tua bulla exegit, quid vis amplius?

¶Quid iſta nũc exprobras huic põtifici, qui nec- *Epiſc.*
dum natus fuit, quum hęc agerentur? Inſanis profecto. Nam fingas iniquiſsime damnatum fuiſſe Ioannẽ Huſs, non potes tamen hoc facinus in iſtum impingere, niſi cunctas priorum pontificum res male geſtas in hui' caput accumulare velis. Quòd ſi moliris, cur non pariter & cuncta bona, quorum priores optimi pontifices authores fuerunt, huic etiam referas acceptà? Neque enim recte cuncta prædeceſſorũ ſuorum mala congeſseris in eum, niſi pariter & eorundem bona feceris ei communia. Quòd ſi conceſseris, quomodo non ſumma temeritas in verbis tuis erit? quum aſſeris omnia, quæ pontificis huius ſunt, impia & diabolica eſſe.

¶Secundo non recte faciunt, qui me Huſſitam vocant. Non enim mecum ille ſentit. *Luth.*

¶Hoc eſt quod paulò antè dixi. Neminem vnum cum aliis conſentire, id quod apertiſsimum eſt, erroris & falſitatis, quæ in vobis eſt iudicium. Nam vero cuncta conſonant. Falſum autem tam à ſeipſo, quàm à vero diſsidet ſemper. Tu tanquam de ſacramentis cæteris peſsime ſentis, non negas tamen quin in euchariſtia, verum Chriſti corpus contineatur, id quod Ioannes VViclefus auus tuus prorſus negauit. At benedicatur Deus, qui vos in eodem ſchiſmate laborare facit, quod in eccleſiam ipſi totis viribus introducere molimini. *Epiſc.*

Erroris in hæreticis iudicium euidens mutuũ inter ipſos diſsidium.

¶Sed ſi ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus ſum, quum ille longè minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire. *Luth.*

¶Si verum eſt (quod dixit Chriſtus) ex verbis ſuis quiſque condemnabitur. Profecto verba tua te condemnabunt. Ex more nimirum tuo iudicandus es. Ego quidem nihil dubito, quin Ioannes Huſs, qui potius ignem pati voluit, quàm tot eximios audire patres, propriæ ſententiæ cõtra eccleſiam nimis quàm pertinaciter adhæſit. Ac proinde manifeſtarium cũctis hæreticũ ſe fuiſſe, prodidit. Quod ſi tua confeſ- *Epiſc.* *Luc. 19.*

ſione plus illo decies hæreticus ipſe ſis, nemini ſucceſere potes, qui te vocat hæreticum. Sed ais illum inchoaſſe aperire lucem veritatis. Profecto ſi lux veritatis (quam olim eccleſia per Chriſtum recepit) ita prorſus euanuit, vt per hanc rimam neceſſe fuit reparari, fruſtra Deus in mundum poſt tot prophetas filium ſuum miſit. Sed & filius poſt apoſtolos fruſtra ſpiritum ſanctum in eccleſia reliquit. Si lux iſta veritatis ſic extincta fuit, vt per Ioannem Huſs reſtituenda foret, nimirum eſt, quod nec in huius hominis vita, nec poſt eius mortem, Chriſtus vlla pro lucis illius confirmatione miracula monſtraſſet. Nam ita facere cõſueuit, quoties nouam aliquam doctrinæ lucem aperire voluit mundo.

Luth. ¶Hoc ideo dico, vt intelligat lector, quàm ſcelerati & impij fuerint homicidæ illi Conſtantienſis cõcilii pontifices & Phariſæi, qui illum exuſſerunt, quũ ego me fatear Chriſtianum, nolimque eorum damnationem agnoſcere.

Episc. *Vide lector & ride firmiſsimas Lut. rationes duas.* ¶Cupis vt intelligat lector, quàm ſcelerati & impij fuerint homicidæ, nempe pontifices & Phariſæi (ſic enim vocas eos) qui tempore Conſtantienſis concilij Ioannem Huſs exuſſerunt. Cuius rei duas probationes adducis. Alteram quod tu te fateris Chriſtianum eſſe. Alteram quòd ipſe nolis eorum damnationem agnoſcere. Non opinor lectorem quẽquam, niſi tui ſimilem, iis rationibus adduci poſſe, vt tibi credat. Nam quid ſi nolit vnus fraterculus damnationem hanc (quæ à tot ſanctiſsimis eccleſiæ proceribus emanauit) agnoſcere. Num ob id tam reuerendo conuẽtui minor adhibenda ſit fides? Quod autem te Chriſtianum eſſe fateris, quomodo non & in hoc te mendacem lector ſuſpicabitur? quum tot de eccleſia, de ſcripturis, de Chriſti vicario mendacia finxiſſe maniſeſtiſsime conuincaris.

Luth. ¶Niſi forte permiſſus eſt exuri, quia non parum detulit Rom. idolo & ſuis ſatanicis ſtatutis operationibuſque erroris. Conatus enim fuit vir ille & pius

& doctus, id quod & ego in principio conabar, vt decretis papalibus veritatis opinio ſalua maneret. At iis ſaluis ipſum perire neceſſe erat vnà cum Chriſto & fide & veritate.

Episc. ¶Validiſsimum argumentum eſt, prophetas & apoſtolos ab eodem authore veritatis, nẽpe Deo fuiſſe miſſos, quod inter ſe maxime cõueniebant, nec in ſuis diſcrepationibus. Et è diuerſo ſignum euidentiſſimum eſſe cuique poteſt, quod à patre mendacij, nimirum diabolo, ſuſcitati ſunt hæretici, quod nemo repertus eſt ex eis, qui non ab altero diſsideat. Ecce cõfiteris iam ſecũdo tibi non probata fuiſſe cuncta Ioãnis Huſs, & maxime, quod ille tantum detulit Rom. pontifici. Quo factum putas vt ſit permiſſus exuri, alioqui nihil eum læſiſſet ignis. De te fortaſsis, qui nihil omnino deferes pontifici, ſed quibus poſſis probris & conuitiis illum inſectaris, viſuri ſumus hoc miraculum quòd ignis non auſit te contingere.

Luth. ¶Igitur Ioannes Huſs non repugnare videtur, quo minus ſit monarchia papæ, hoc tantum agit, impium pontificem non eſſe membrum eccleſiæ, multo minus papam, ferendum tamen, ſicut quemuis alium tyrannum.

Episc. ¶Recte profecto monarchiam credidit Ioannes Huſs, nec dubito, quin à ſacris literis adactus fuerit idipſum confiteri. Et certe (quemadmodum ſæpe diximus) niſi reliquiſſet in eccleſia Chriſtus vicarium aliquẽ & ducem, poſtquã in cælũ ipſe conſcendiſſet, maxima totius eccleſiæ fuiſſet inde ſuborta cõfuſio, vix enim aliqua multitudo, aut ſibi, aut cũ aliis, in iis quæ ſunt fidei conueniret, ſed vbique factiones & ſchiſmata forent. Vbique ſectarũ & opinionũ varietates, tam quoad fidem quàm quoad bonos mores attinet. Nulla cuiuis Chriſtiano certitudo foret, cuiꝰ potiſsimum ſententia ſequeretur. Et denique quantum vnus hodie ædificaret, alius cras demoliretur. Quãobrem in hoc probãdus fuit ille Ioannes tuus, quòd monarchiã vere crediderit. Et contra tu qui diſsides

Universidad de Deusto Biblioteca

ab eo, vehementer improbandus.

Luth. ¶Ego vero etiam si sanctus Petrus hodie præsideret Romę, negabo Romanum episcopum esse papam. Papa enim res ficta est in mundo, neque fuit, neque est, neque erit, sed fingitur esse.

Episc. ¶Non satis est ista dicere, nisi validissimis item argumentis, quæ reuinci nequeant, eadem comprobaueris. Tibi forte videris robustissima produxisse argumenta, sed aliorum iudicium erit, an ea per nos abunde sunt conuulsa. Nos papatum ostendimus non esse rem fictam, vt tu putas. Atque id multis quidem & scripturarum, & sacrorum interpretũ testimoniis, quæ nunc denuo nõ erit opus recensere. Sed qui desiderat ea, legat, si placet articuli. 25. confutationem.

Luth. ¶Quare ipsam sedem bestiæ nego, nihil moratus sit ne bonus, an malus qui in ea sedet. Sedes, inquam, quæ sit super omnes sedes, nulla est in ecclesia super terram, iure diuino, sed omnes sunt æquales. Quia vna fides, vnum baptisma, vnus Christus, vnus pater, qui operatur omnia in omnibus, qui est super omnia per omnia, & in omnibus, ad Ephesios. 4.

Episc. ¶Nos non solum ex Latinorum interpretum sententiis, verumetiam ex Græcorum suffragiis, Romanã sedem ostendimus principatum supra cæteras obtinere. Quam rem & iterum ex Cypriano conformare non grauabimur. Is enim epistola octaua libri primi sic scribit: Deus vnus est, & Christus vnus est, vna ecclesia, & cathedra vna, super petrã domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur. Ecce hic Cyprianus palàm fatetur cathedram vnã, in vna ecclesia, voce domini & diuina dispositione fundatã, quam alibi, quàm in Romana sede præfigere non potest. Rursum in epistola tertia eiusdem libri sic ait: Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæ-

Cathedra vna in vna ecclesia.

reticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non potest accessum. Hæc ille. Ex quibus liquet ecclesiã Ro. principalẽ ecclesiã esse & in ea cathedrã vnam diuina fundatam dispositione. Nec tua scriptura quam ex Paulo citas, quicquam illis patribus aduersatur. Quid enim si fides vna fuerit, & vnũ baptisma, & Christus vnus, atque pater vnus. Num ob id nulla ecclesia potest alia superior esse? Nihil oportet. Nam eadem ratione colligere omnes Christianos æquales esse debere, quod tamen Paulus apertè negat, quum in eadem epistola, & eodem capite, varios gradus in ecclesia Christum statuisse testatur. *Ephe. 4.* *Varios in ecclesia gradus Christus statuit*

¶Deinde decretales papæ, non dico apocryphas, sicut VViclefus & Hus dicere iactantur, sed impias & Christo aduersarias solo spiritu satanæ afflatas, quas causã & eas exussi cum fiducia. *Luth.*

¶Quid aliud iis verbis iactas quàm temeritatem & impietatem tuam, paulò superius, te plus decies, q̃ illi fuerunt, confessus es hæreticum fuisse. Nunc certe multo magis præ illis te & temerarium & impium ostentas impudentissime. Quis dubitare potest, & illam impiissimam temeritatem, & hanc impudentissimam iactantiam ab ipso spiritu satanæ fuisse concitatam? Ex illorum te prodis esse numero, de quibus scriptum est: Lætantur quum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. *Episc.* *Prouerb. 2.*

¶Fortassis & in hoc peccauit Ioannes Hus, quòd duodecim cõcilia euangelica fecit, quum non sit nisi vnicũ virginitatis siue cœlibatus. In qua tamẽ re, deceptus est per impiam Thomistarum theologiam. *Luth.*

¶Non solum Thomas & Thomistæ, verumetiam ex probatissimis authoribus complures docuerunt alia, quàm solius virginitatis, aut cœlibatus pleraque per Christum tradita fuisse concilia. Augustinus in *Episc.* *Pluraquàm solius virginitatis concilia euangelica.*

multis locis, super sermone domini in monte subnotauit, nullos nisi perfectos ad singula teneri, quæ Christus illic tradidit. Et idem inter peccata facit discrimẽ, vt non omnia gehennæ supplicio digna arbitretur, nisi quæ præceptis Christi cõtraueniunt. Sed & Basilius palàm affirmat conciliũ fuisse non præceptum, quum dixit Christus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Falsum est igitur quod asseris, vnicum esse virginitatis siue cœlibatus concilium. Cæterũ quia super hac re prolixius, in commentariis sermonis eius (quem in monte Christus habuit) disseruimus, ista sufficiant.

Commentaria super sermone dominica in monte.

Luth. ¶ Ita boni isti viri, ea quæ in Ioanne Huſs, optima sunt, damnauerunt: quæ vero non bona, probauerunt.

Episc. ¶ Quale sit in his rebus iudicium tuũ, abundè satis suprà cuique constitit. Tu damnãda probas & reprobas quæ probatissima sunt, tu bona, mala facis, & mala vicissim bona. Quamobrem & prophetæ interminationi te relinquimus, qui talib⁹ minatur inquiens: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Luth. ¶ Articulos Ioannis Huſs omnes damnatos suscipio, paratus defendere eos, per Christi gratiam, inuito illo rerum portento & abominatione, quę sedet in loco sancto.

Episc. ¶ Nunquam istud per Christi gratiã facies, quanquam per satanicæ fraudis instinctũ, idipsum moliri possis. Hoc certe mihi visus es imprudentissimè facere, quòd ei tantum inniteris, quem & in quibusdam erraſſe palam confiteris. Nam si diuino fuisset concitatus spiritu, spiritus ipse non tam pertinaciter eum in errore suo perseuerare fuisset passus. Docuisset enim illum vnctio spiritus, si tamen idipsum diligenter imploraſſet, ne tot erroribus inuolueretur. Sed vnum istud mihi quæso dicas: Num tu præ illo maiorem adeptus es certitudinem, ne possis errare? Si iam

tibi compertum sit illum erraſſe, qui vel ad ignẽ vsq; permansit in errore suo, quę tibi reuelatio facta nũc est, quòd non ipse similiter errare poteris & à diabolo seduci, quemadmodum & ipse seductus fuit? Hoc si velis exactius tecum expendere, non inuenies credo, quod respondeas.

Luth. ¶ Verum omnia Ioannis Huſs, & si ab illis probata, non admitto, vt dixi.

Episc. ¶ Optimè pro nobis facis, quòd toties prædicas, ab illo te dissẽtire. Nam quum sint alia plurima quæ meam fidem aduersus ecclesię communes hostes roborant, hæc tamen eorum inter se discrepãtia palàm ostendit eorum dogma non aliũde fuisse profecta, quàm ab erroris, & mendacij patre, nimirum satana, qui pestes istas in hoc ipsum excitauit, vt ecclesiæ fidẽ quibuscunq; possent machinis oppugnarent. Porro quæ meam fidem aduersum hos hæreticos roborant, hæc sunt.

Hæreses à dæmone excitantur. Christianæ fidei propugnacula aduersus hæreticos.

Primum. Primum quòd Christus & apostoli, non solum apertissimè tales futuros prædixerunt, verumetiam, vt ab iisdem caueremus præmonuerunt studiosissimè.

Secundum. Deinde, quòd nullus eorum hactenus vllo miraculo clarus fuerit, quum tamen ad sui dogmatis confirmationem ignis incendium nonnulli passi sunt.

Tertium. Tertio, quòd nulla prorsus eorum cineribus vsquã habita sit veneratio, quum tamen ea reliquiis martyrum passim à Christianis deferatur.

Quartum. Quarto, quòd eorum libri & dogmata per scriptores orthodoxos, confutata sunt. Et venenũ quod intus latuit plenè renudatum.

Quintum. Cæterum ediuerso non pauci ex patribus, quorum eruditionem & doctrinam approbauit ecclesia, tam in vita, quàm in morte clarissimis effulserunt miraculis. Eorũ quoque cineres & ossa summa veneratione per sacras ædes habẽtur. Libri deniq; legũtur, & approbãtur ab omnibus. Hæc, inquã, meam fidem roborant, vt orthodoxis potius, quàm hæreticis credam. Cæterum præter hæc, & illud (quod primo loco

Universidad de Deusto Biblioteca

positum est) nimirum quòd tanta sit inter illos dogmatum repugnantia plenissime conuincit, non ex spiritu veritatis, sed erroris potius impulsos eos fuisse, vt tanto molimine rectam ecclesiæ fidem euertere studerent. Nam si diuini spiritus instinctu fuissent ista moliti, profecto concordiam ipse præstitisset veritatis, simulque suppeditasset cætera, quibus eorum conatus potiorem essent effectum sortiti. Sed pro hoc articulo iam satis.

ARTICVLVS XXXI.

Luth. Episc.

Aliud est iustum nemi nem carere peccato, aliud iustum in omni ope re suo peccare.

Eccl. 7.

Matth. 6.

1. Ioan. 1.

IN omni opore bono, iustus peccat.

¶ Referre plurimum opinor, an asseramus iustum neminem carere peccato, an iustum in omni opere suo peccare. Nam vt illud omnibus pro confesso est, ita istud vehemẽter offendit plurimos. Illud enim vbique sacris literis & sacris interpretibus opti me quadrat. Nam in Ecclesiastæ scribitur: Non est homo iustus in terra qui faciet bonum, & nõ peccet. Et Psal. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in oratione quam Christus voluit etiam iustos precari, dicitur: Dimitte nobis debita nostra. Et in epistola Ioannis: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Cæterum, quòd in omni opere bono iustus peccet, id quum auditur, non absque graui offendiculo, corda multorum percutit. Nec me fugit, quin eum tando nomen peccati, facile posset articulus non excusari solum, verumetiam defendi. Sed quid opus est, quum de re constiterit, pro voce pluribus digladiari?

Peccatum quid sit.

Peccatũ vtiq; nihil vere dici potest, nisi ꝙ rationem habeat volũtarij. Quicquid enim volũtarium non est, id nec peccatum quouis pacto cẽseri debet. Hoc August. ipse crebro testatur, quum alibi, tum contra Fortunatum disputatione secunda: Ego, inquit, dico peccatum non esse, nisi propria voluntate peccetur. Et hinc esse præmium, quia propria voluntate, recta fa-

cimus & paulo superius: Qui non voluntate peccãt, non peccant. Hoc omnibus præterquam Lutheranis apertum arbitror atque perspicuum esse. Cuius rei paulò post, idem August. exemplum hoc profert: Si quis verbi caussa, ligaretur, ab aliquo cæteris mẽbris, & de manu eius falsum scriberetur sine eius propria voluntate, quæro, si hoc iudici patefieret, posset hũc hominem falsitatis crimine condemnare? Hæc Augu. Et Ambrosius item affirmat libro. 1. de Iacob & vita beata cap. 3. Nemo, inquit, tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Cæterum ab August. Lutherus in hoc negotio suppetias sperat maximas. Nã & ille neminem in hac vita, plenissimam assequi posse charitatem asseuerat. Quo fit vt nemo sit, qui non in quouis opere bono, deficiat à summa charitatis plenitudine. Propter quod & Lutherus irreuincibiliter se collegisse putat iustum in quouis opere bono peccare. Sed vt non omnino negarim neminem summam charitatis plenitudinem in hac vita consequutum fuisse, non ita facile concesserim quamlibet huius plenitudinis deficiẽtiam esse peccatum. Nam quũ non sit in potestate iusti, quouis opere proposito, nõ deficere ab illa summa plenitudine, si iam omnem eiusmodi deficientiam peccatum esse dixerimus, cõstiebimur & aliquid nõ voluntarium esse peccatum. Id quod sententiæ Augustini, simul & Ambrosij, cæterorumque patrum penitus aduersatur. Non est igitur quæuis à summa charitatis plenitudine deficientia, peccatum, sed ea sola, quam vitare potuimus, quæ & proinde non potest non voluntaria dici. Tritissimum enim est illud Augustini. Nemo peccat in eo quod vitare nõ potest. Nec est vt quisquam obiiciat, nec hac ratione venialia delicta peccata dici posse, quum & nemo vitare posset cuncta venialia. Cæterum tametsi nemo cuncta queat cauere venialia, cauere tamen potest (modo sit adiutus gratia) singulũ quodque veniale, quod proposueris. Sed longe aliter se habet hæc, de qua loquimur, deficientia. Nã quod-

Nõ quæuis à summa charitatis plenitudine deficiẽtia peccatum est.

August. Nemo peccat in eo quod vitare non potest.

cunque proposueris opus iusto, & ille quantamuis adhibuerit diligentiam, non potuerit tamen illud agens, ab ipsa summa charitatis plenitudine non deficere. Quamobrem & manifestum est, aliquam deficientiam non esse spontaneam, ac proinde nec peccatum esse. Quæ res vt adhuc dilucidior euadat, tria distinguemus hominum genera. Primum est eorũ qui nonnihil operis faciunt quod charitati repugnat, quemadmodum hi, qui furtum, adulterium, homicidium committunt, qui longissimè deficiunt à charitate. Alterum est eorum qui charitatis opus aliquod agunt, sed per negligentiam, quæ subrepit, vel ex incogitantia, vel ex humana fragilitate, non omnem, quem (si intenderent animum) adhibere possent, conatum exhibent. Et hi quoque deficiunt ab aliquo charitatis gradu, quẽ consequi potuissent, modo fuissent in rem attentiores, quanquam nõ penitus à tota charitatis exorbitant latitudine, quemadmodũ priores defecisse constat. Tertium genus est eorum, qui gratiæ adiutorio totam animi contentionem (quantum per carnis fomitem menti repugnantem licet) adhibent operi charitatis. Et hi nihilominus ab ipsa summa charitatis plenitudine perficiunt, quanquam is defectus omnino sit inuoluntarius, & penitus contra voluntatem operantis. Inter hos itaque tres defectus hoc discriminis est, quòd primus est mortalis culpæ. Secundus est venialis. Tertius vero, nec mortalis, nec venialis, quia nihil habet voluntarij. Primo defectu multos in suis operibus hodie carere nõ dubito. Quia plerique sunt in ecclesia (quantũ opinor) qui mortalibus careant delictis. Secundo vero tãetsi nemo viuentium in cunctis suis operibus careat, iuxta illud. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatũ nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est, nõ desunt tamẽ, qui in aliquo opere suo nõ peccẽt, quod vel ex scripturis enitar ostendere, si prius Hieronymi sententiæ monstrauero scripsisse. Sic enim Hieronymus. 3. lib. aduersus Pelagianos scribit: Nos dicimus,

Tria hominũ genera. Primum. Secundum.

Tertium. Tres deficientiæ gradus.

Plerique mortali peccato carent.

In aliquo opere quidã non peccãt. Quão homo potest non peccare.

posse hominem nõ peccare, si velit pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intẽtus est animus, quandiu chorda, nullo vitio laxatur in citharа. Quod si paululum se remiserit, quomodo, qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis, quo nõ vult, ducitur. Sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse, cognoscit. Hæc Hieronymus. Ecce quandiu fuerit animus hominis attentus, nec se remiserit, sed pro viribus iam possibilibus, gratia cooperante, seipsum ad Deũ erigit, non peccat, hoc est in illo opere peccato caret. Cæterum quia per lassitudinem animi, nequit seipsum quisquam semper in hoc statu tenere, sed cerebro per subrepẽtem fragilitatem remittitur animus, hoc quàm primum fit, ilico delabitur ad veniale peccatum. Quemadmodum & de Paulo mox exemplum producit: Putásne, inquit, apostolum Paulum eo tempore quo scribebat, Lacernam siue penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, ac libros, & maximè membranas, de cælestibus cogitasse mysterius? Remisit ergo iam animum suum Paulus, neque penitus ad cælestia fuit attentus, & tamen eundem alias crebrius vsqueadeo fuisse attentum nõ dubito, vt totis viribus ei pro statu viæ possibilibus, ferebatur in Deum. Fuit ergo quando Paulus defecit à charitate mortaliter, nimirum ante conuersionem suam. Fuit (si Hieronymo credimus) & quando defecit à charitatis gradu, sed venialiter. Vtpotè quũ post conuersionem, per quandam lassitudinem, & subrepẽtem in eum humanam fragilitatem, remisit animũ. Fuit & tertio, quando nec venialiter, nec mortaliter defecit, & tamen defecit, quia nemo vnquam in hoc corpore positus, summam charitatis plenitudinem valuit assequi. Sed age, Paulum ipsum audiamus, hæc de seipso prædicantem. Ad Philipp. enim ita scribit: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sum. Ecce negat hic se plenissimam & perfectissimam

Hieronymi de Paulo exemplum. 2. Tim. 4.

Triplex Pauli defectio.

Philip. 3. Paulus seipsum perfectum esse negauit.

charitatem accepisse. Et tamen paulò post subiungit: Quicunque perfecti sumus, idem sentiamus. Suprà negauit Paulus se perfectum fuisse, quòd pro statu viæ nemo summam illam perfectionem assequutus sit. Et iam se numerat tamen inter perfectos, quoniam pro statu viæ perfecti censentur, qui pro viribus sibi permissis, omnino sectantur, vt apprehẽdant, quemadmodum apprehensi sunt à Christo Iesu, & qui eorum quæ à tergo sunt, obliti, ad ea, quæ à fronte sunt enitentes, iuxta præfixum signum insequuntur ad palmam supernæ vocationis Dei. Huic nimirum operi, tametsi nemo semper totis viribus animum intendere potest, quoties tamen id fecerit (quanquam non omni prorsus peccato careat ex operibus reliquis) tamen quantum ad hoc opus attinet, peccato carere non dubito. Paulus igitur in quibusdam operibus suis peccato caruit. Alioqui quum raptus in tertium cælum, operam dedit audiendis arcanis illis verbis, quæ non licet homini loqui, peccasse credendus est. Adde, quòd Paulus affirmat eum qui matrimonio iungit virginem suam benefacere, atque ita benefacere vt non peccet. Nam supra dixerat: Si acceperis vxorẽ, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit. Quod si quis in actu nubendi, potest benefacere vt non peccet, multo magis in illis præcellentibus operibus suis Paulus omni vacasse peccato, iustissimè creditur. Sed & idem Paulus. 1. Corint. 15. iustos monet, quatenus ita vigilent, vt non peccent: Euigilate, inquit, iusti & ne peccetis. Id quod neutiquam fecisse credendus est, si nullo prorsus opere possent nõ peccare. Ad hæc, Christus eum, cuius oculus verè simplex fuerit, hoc est intẽtio recta, nullam in opere suo tenebrarũ habere partem asserit. Quod si nullam habet tenebrarum partem, certè nec peccati quicquam in eo præsertim opere posidet, quũ Paulo Christoque peccata tenebras dici notissimũ sit. Adde, quòd Petrus in epist. 2. cap. 1. postquam egregias aliquot virtutes enumerasset, subiungit: Hæc enim facientes

Paulus in quibusdam suis operibus peccato caruit.

Paulus iustos monet ne peccent. Mat. 6.

non peccabitis aliquando. Ecce Petro non peccat, quisquis illas virtutes operatur. His accedit, q̃ Ioannes in epistola. 1. tradit de perfecta charitate, quã & eum asserit assequutum esse quisquis verbum Dei custodit: Qui, inquit, seruat verbũ eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est. Cæterum hæc perfectio nõ est plenissima charitas, qualis futura in patria, sed qualẽ adiutus quis per Dei gratiam assequitur. Nimirum quoties animus (vt Hieron. ait) ad instar chordæ cuiusdam in cithara protensæ, quantum carnis fomes sinit, in Dei proximiq; amorẽ intenditur. In hoc opere proculdubio nec mortale, nec veniale peccatũ reperitur. Adminiculatur & Iacob⁹, qui dicit: In multis offendimus omnes, hoc est, nemo tanta circunspectione viuit, quin offendat in pluribus. De venialib⁹ ipse loquitur. Quod si nullum opus peccato carere posset veniali, eadem facilitate dixisset: In singulis offendimus omnes, quemadmodum dixit, in multis offendimus omnes. Sensit ergo Iacobus quædã esse iustorum opera, quę peccato careãt veniali. Ex quibus opinor satis liquere. Non in omni opere bono peccare iustum. Sed Lutherus quia male cœpit, nullum non mouet lapidem, vt etiam inchoatum malum, malẽ consumet. Vt enim qui semel à tramite recto diuerterit, quò longius pergit, eò longius aberrat ab itineris fine. Sic nimirum & Lutherus facit. Nam cum Dei præcepta nobis impossibilia fecerit, quid aliud ex eo sequitur, nisi vt ea non facientes, ipsi semper & in omni opere quantumuis bono peccemus. Illum igitur errorem semel ingressus Lutherus, nunquam errare desinit, sed ab errore in errorem facile precipitatur. Cæterum Dei præcepta nobis esse possibilia tam scripturæ sacræ, quàm orthodoxi patres vbique clamãt. Nam in euangelio Christus ait: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Et Ioannes affirmat, mandata Dei grauia non esse, nedum impossibilia. Et Hierony mus ad Damasum, inquit: Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini

1. Ioan. 2.

Iacob. 3.

Dei præcepta cuique possibilia.

Mat. 11.

1. Ioan. 5.

Deus impossibilia nõ præcipit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptum esse,& mandata non à singulis posse seruari. Et aduersus Pelagianos ait: Deus posibilia mandauit, hoc nulli dubium est. Et Augustinus plerunque testatur, nec Deum aliquid imposibile hominì præcepisse. Similiter & Chrysostomus ait, posibile est Dei iussa perficere, si modo velimus omnem naturæ trepidationem alacriter virtute superare. Nihilque imposibile est eorũ quæ à Christo hominibus imperantur. Hoc Chrysostomus. Sed & ratio suadet hoc ipsum. Quoniam si Deus exigat ab homine, quod homo vtcunque adiutus præstare potest, quum id non fecerit, merito culpam incurrit. Cæterum si quod exigit Deus eiusmodi fuerit, vt istud homini præstare sit imposibile, quomodo non magis Deus id iubendo, quàm homo non faciendo, videri poterit iniustus? Quamobrem cum omni careat iniustitia, quicquid homini mandat, posibile sit oportet. Et idcirco dicit Augustinus: Nec imposibile aliquid potuit imperare, quia iustus est. Nec damnaturus est hominem, pro eo quòd non potuit vitare, quia pius est. Tota igitur (vt aiũt) via Lutherus aberrare cœpit cum duobus vltimis præceptis, vetitam nobis esse voluit carnis concupiscentiã, quam haud dubie nemo vitare potest. Et tamen eandem ille peccatum vocat. Quo fit vt dum illam positionem tueri conatur, vndique corradat, quicquid iis vtcunque posit suffragari. Propter quòd, & eò tandem amentiæ peruenit, vt iam dicat etiam in omni opere bono peccatum esse. Sed nunc tempus est vt rationes eius audiamus.

Deus imposibile præcipere nequit, quia iustus est.

Luth. ¶ Finitis tandẽ articulis illis nugalibus, in quibus nec pietas, nec eruditio doceri vel audiri potuit, sed de superbia & abusu Romanæ abominationis coacti sumus perdere verba, operas & tempus, reuertimur nunc ad res serias & salutares, nempe ad gratiam, liberum arbitrium, peccatum, de gloria hominum ad gloriam Dei transeuntes, de quibus rebus & primis articulis nonnihil tractauimus.

¶ Vtinam & tu nugarum item aliquando finem faceres, vt & articulorũ illorum fecisti. Et vtinam cùm iis melioribus articulis, meliores ipse mores induere velis, & à conuitiis ac maledictis istiusmodi cessare, quæ profecto caussam tuam deteriorem efficiunt. Ac religioni tuæ parum cõueniunt, sed & doctrinæ Christi plurimum aduersantur. *Episc.*

¶ Hunc autem articulum ego in Galatis meis, deinde in resolutionibus, atque aduersus doctrinales damnatores, & incendiarios Louaniensium tam copiose, præterea eundem duo eruditissimi viri theologi D. Andreas Carlestadius, & Ioannes Dolitius æditis libris sic declarauerũt, vt in aduersariis incredulis nihil aliud videam quàm aures aspidis surdæ, & obturantis auditum suum, seu vt Apostolus ait ad fabulas eos conuersos, à veritate auditu auerso. Quid illi admittent, qui nubes has testimoniorum sanctorum nõ admittunt? Attamen instandum est mandante eodẽ Paulo, opportunè, importunè, ob hoc ipsum, quod sanam doctrinam volunt obtinere. *Luth.*

¶ Adhuc te video pergere in prioribus nugis tuis & eos conuitiis incessere, quid tibi reluctantur, quũ satius esset validis aut scripturis aut argumentis eosdem reuincere. Quid enim damnatores tuos, doctrinales, & incendiarios atque incredulos probro vocas? cum isti cuncta hæc rectius in te retorquebunt. Et te verius aures aspidis surdæ & obturantis auditum suum habere contendent, qui nec sacris authoribus fidem habeas. Sed hæc aliquando missa facias, & argumentis validioribus insiste. *Episc.*

¶ Quid ergo meũ articulum damnant? damnent illud Esa. 64. Et facti sumus immundi omnes nos. Ecce quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. *Luth.*

¶ Testimonium illud nhil pro te facere, nõ solum ostẽdimus modo. Et primo iuxta Hieronymi interpretationem. Nam eo tempore dixerat hæc Esaias (vti Hieronymus hũc locum interpretatus, affirmat) quando necdum saluator aduenerat, nec de vtero *Episc. Testimonium Esaiæ nihil pro Luthero facere. Primo.*

Iustitia legis ad veritatem euãgelicam cõparata.

virginali naturæ nostræ, atque substantiæ assumpserat hominem, hoc est sub tempore legis, quando populus imaginem terreni portauit, non autem adhuc imaginem supercælestis. Vbi etiam paulò post & illud considerandum idem Hieronymus admonet, quòd iustitia quæ in lege est, ad comparationem euãgelicæ puritatis, immunditia nominetur. Quamobrem & multis scripturæ testimoniis confirmat, quæ quiuis illic legere potest. Sed & tandem ita cõcludit. Si quis igitur post Euangelium Christi, & aduentum filij Dei pędagogæ legis obseruat cæremonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa iustitia panno sordidissimo comparetur. Ex quibus verbis (si Hieronymo credimus) duo colligere licet. Alterum quòd Esaias hic de Christianorum iustitia nequaquam sit loquutus. Alterum, quòd ea, quæ tum dixerat, in persona populi fuere dicta magis. Eligat ergo lector, an Hieronymo velit, an Luthero potius habere fidem. Deinde si Hieronymus hæc non dixisset, ipsius tamen Esaiæ verba, quæ proximè sequuntur, idipsum docent, nempe, quòd in persona grauiter peccantium, hæc dicta sunt: Et cecidimus quasi folium, vniuersi & iniquitates nostræ, quasi ventus, abstulerunt nos. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Nec est putandum, quòd vir iste sanctissimus Esaias non inuocaret nomen Dei, aut quòd iniquitates eius, perinde atque ventus quidam, separassent eum à Deo, sed de populo potius hæc dixisse manifestum est. Neque enim de illorum numero credendus est Esaias fuisse, qui non inuocarent nomen Dei, sed flatu diabolico per suas iniquitates deciderũt. Nam hi non iniuria sordidi, velut mulieris mẽstruatæ pannus, habendi sunt. At inquiet Lutherus, seipsum Esaias annumerat illis. At hoc non cogit vt ipse cum illis habeatur sceleratus. Nam & Hieremias idem facit, atque prophetæ cęteri. Sic enim Hieremias, qui tamen dum esset in matris vtero, sanctificatus erat, se peccatoribus annumerat dicens:

Duo in verbis Esaiæ notanda.

Secundo.

Esa. 64.

Dormiemus in cõfusione nostra, & operiet nos ignominia nostra, quoniam domino Deo nostro peccauimus nos & patres nostri ab adolescẽtia nostra vsque ad diem hanc, & non audiuimus vocem domini Dei nostri. Hæc Hieremias tertio capite.

Hiere. 3.

Tertio dicimus, quòd ex verbis ipsis dilucidũ est, hanc Esaiæ querelam, deplorationem alicuius calamitatis esse, quæ non erat continua. Quando dicit eos tum factos vt immundos, & omnes iustitias suas, quasi pannos menstruatæ, quodque cecidissent, quasi folium, vniuersi. Et quod iniquitates suæ quasi ventus abstulissent eos, nec esset inter eos, qui inuocaret nomen Dei. Quod si non perpetua fuisset hæc querela, sed temporaria, quomodo poterit ex his verbis Lutherus colligere, quod in omni opere, quocunque tempore perpetrato, peccatum fuerit. Nam licet in eorum operibus pro illo tempore peccata non defuissent, nihil oportet, vt aliis itidem temporibus singulum quoduis eorum opus, peccato fuisset inquinatum. Erat enim quando nomen inuocabant Dei. Et quando non, quasi ventus, iniquitates eorum abstulissent omnes, & tunc non erãt omnes immundi, neque sicut pannus mẽstruatæ cunctæ iustitiæ suæ. Sed neque tunc in vnoquoque opere peccabant. Porro quod temporaria solum fuisset hæc conquestio, verba quæ prope finem capitis eiusdẽ scripta sunt perspicue dilucidant. Ciuitas sancti tui facta est deserta. Sion deserta facta est, & Hierusalem desolata domus sanctificationis nostrę & glorię nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinam. An non istud manifestat cuncta priora pro illo populo simul & pro captiuitatis tempore fuisse dicta? quamobrem & hęc scriptura nihil contra nos facit.

Tertio.

Querela Esaiæ temporaria fuit.

¶ Et illud Eccle. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.

Luth.

¶ Omittis hic Luthere causalitatis notam, qua palam docetur hanc scripturam ad alterius probatio-

Episc.

Nõ integre reddit scripturas Lu.

nem fuisse introductam. Nimirum ad istam: Sapientia confortabit sapientem super decem principes ciuitatis. Cuius ratio redditur consequenter: Non est enim (inquit) homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Sensus igitur est, quod sapientia (quæ Christus est) seu gratia Christi confortabit sapientem, plusquam vllus principatus. Quoniam absque sapientiæ seu gratiæ illius adiutorio, nemo quantumuis iustus suis viribus cauere peccatum potest.

Ecclе. 7.

Absque sapientiæ adminiculo iustus nẽo peccatũ deuitet

Et quid proderit habenti principatum, si per peccatum ipse diaboli mancipium efficiatur? Dilucidum est igitur hanc scripturam non asserere, quod in omni opere, quod iustus facit, idem peccat. Nam ad hũc modum nulla prioris sentẽtiæ ratio reddi potest, sed oportet subintelligi, nisi diuina quis fuerit adiutus sapientia. Hæc si defuerit ei sapientia (quæ Christus est) quæque plus confortat & roborat sapientiam, quàm decem principes ciuitatis, non euitabit peccatum. Cæterum & in Hebræo non est præsentis temporis, peccat, sed futuri, peccabit, perinde ac si dixerit: Non est iustus, qui nunquam peccabit. Nam de præsenti certum est, aliquod opus esse, quod sic Dei gratia protectum est, vt careat peccato. Maxime cum dicat Ioannes: Sanguis filii eius mundat nos ab omni peccato. Quod tum fieri Hieronymus asserit, quando vel baptisma, vel sacramentum absolutionis accipimus. Sic enim loquitur aduersus Critobolum. Quod autem scriptum est: Et sanguis Iesu filii eius mundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum est. Opus igitur illud (quo vel baptisma suscepimus, vel absolutionis sacramẽtum) caret omni peccato. Cæterum hoc non est in nostra potestate, peccato carere, sed Dei gratia, propter quod & Hieronymus subiicit: Aliud est mundari à Deo, aliud per se esse sine vitio. Suis itaque viribus nemo in vllo opere, quod facit carere peccato, sed per gratiam & auxiliũ Dei potest, per sapientiam (quæ Christus est) potest.

Opera quæ manifesto pctõ carent.

Suis viribus nemo peccata fugiet.

Et propterea dixit Salomon: Sapientia confortabit sapientem super decem principes ciuitatis, quia non est iustus in terra, qui facit bonum & non peccet, nisi per sapientiam (quæ Christus est) fuerit adiutus.

¶ Obsecro, qui vniuersas iustitias nostras immundas dicit, nonne opus bonum, peccato pollutum asserit?

Luth.

¶ Diffisus igitur de hac scriptura Lutherus, mox reuertitur ad priorem, quæ sane nihilo melius ipsum iuuat. Neque enim de nostris, vt dixi, loquutus est operibus, sed Iudæorum, & eo nimirum tempore, quo sub captiuitate positi, nec templum accedere, nec secundum instituta legis Mosaicæ sacrificia potuerunt offerre. Quo factum erat, vt quum pristinis vti purificationibus minime licuerit, se penitus immundissimos existimarent. Propter quod & in eorum persona dixit Esaias: Et facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Nec voluit Esaias hanc querelam pro quouis tempore cunctis Iudæis accommodatam esse, ac multo minus Christianis. Nam dum floret ecclesia, quomodo potuissent in eam, cætera quæ sequuntur quadrare? Omnia desiderabilia nostra versa sunt i ruinas. Quis istud quauis extorsione posset ad ecclesiam florentem contrahere? Cæterum finge scripturam illam ad Christianos, ad quemque iustum attinere, non aliter tamen accipi potest, q̃ pro singula cuiusque viri iustitia. Nam opera, vt tu mox dicturus es, nõ faciũt quenquam iustum, ac proinde non sunt dicenda iustitiæ. Satis igitur est ad hui° scripturę veritatem, quod nullius iusti vita sic splendeat, quin multis venialiũ peccatorum miraculis respergatur. Vt non iniuria (si districtius à Deo iudicetur) multo fœdior ei° apparebit cõspectui, q̃ turpis aliquis mẽstruatę pãnus. At ex isto nequaq̃ consequitur, ꝓ vnumquodque opus cuiusq; iusti sic sit fœdatum. Potest enim iustitia cuiusuis iusti, quæ ex totius vitæ suæ conflatur actionibus, propter admixta venialia sic polluta videri, quum ta-

Episc.

Verba Esai. i floretẽ ecclesiã accommodari non possunt.

Optã cuiusque vitam venialibus respergitur.

Universidad de Deusto Biblioteca

men aliqua sint eiusdem opera quę non polluantur. Quamobrem non consequitur factisumus immundi omnes nos,& quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ,igitur & pollutũ erit opus vnumquodque quod ã nobis proficiscitur, vt vere debeat dici peccatum.

Luth. ¶Damnent & illud Psal.142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Episc. In oĩb⁹ peccare ĩ aliquo nõ peccare, multum differunt. ¶Facile donamus neminem viuere,qui sic iustificatur,vt omni prorsus peccato careat. At nõ propter ea necessum est,quatenꝰ i omni opere quod facit,idẽ peccet.Nã inter hæc,vt ab initio diximus,plurimum interest.Neque istud ex illo consequitur. Non enim recte subinfertur:Nemo tam iustus est,vt omni prorsus peccato careat,quocirca iustus in omni opere bono peccat.Nam aliud est & longe diuersum in omnibus peccare,& in aliquo non peccare.

Luth. ¶Deus enim iustus iudex, bonum opus damnare non potest.Cum autem hic dicat,non iustificari nullumviuentem,etiam seruum Dei,planum est,nullum opus bonum posse iustum iudicium Dei sustinere, quare nec plene bonum est.

Episc. ¶Ista mihi videntur haud satis cohærere.Deus iudex bonum opus damnare non potest. Et nullum opus bonum potest iustum iudicium Dei sustinere. Nam si bonum opus fuerit,id per priorem à Deo damnari non potest. Et idem per posteriorem damnatur, quia non potest sustinere iustum iudicium Dei. Quo fit,vt damnabitur,& non damnabitur,quę non cohærent in eodem. Sed hic elabi conaberis,ꝓ de opere plene bono vis dictum tuum intelligi. Ergo & istud fuit adiiciendum in priori, & sic dixisses, Deus iustus iudex opus plene bonum damnare nõ potest. Sed iam oportet doceas nullum opus esse plene bonum,id quod hactenus non fecisti.Nam hęc scriptura nõ de singulo quoque opere, sed de singulo quoque viuente debet intelligi. Et fieri potest, vt quis,

Male cohærentia.

tametsi multa, quæ plenè bona sunt, opera fecisset, propter vnicum tamen quod inter cætera malum esset,iustificatiõe sua frustraretur. Quamobrem & collectio qua iam vteris, prorsus inefficax est, neque enim oportet,quòd si dixerit propheta, non iustificari vllum viuentem etiam seruum Dei,ꝓ nullum propterea bonum opus posset iustum iudicium Dei sustinere.Si enim tu moliris inferre verbis istis, quum, inquis, hic dicat propheta nõ iustificari vllum viuentem,etiam seruum Dei,planum est, nullum opus bonum posse iustum iudicium Dei sustinere. Sed hæc tua consueta dialectica est.

Luth. ¶Et ad ea quæ primis articulis diximus redeundo,probauimus hominem sanctum, spiritu concupiscere aduersus carnem, & carne aduersus spiritum. Eseque per hæc duo cum apostolo Paulo,seruũ pecati,secundum carnem,& seruum Dei secundũ mentem.Ac ꝓ hoc persona ipsa iusti, partim est iusta,partim peccatrix.

Episc. ¶Et nos etiam lectorem oratum facimus,ne sit ei molestum legere nostras,ad eosdem articulos responsiones. Sic enim opinor intelliget,illum (qui mente seruit Deo)non item peccato,secundum veram peccati rationem,seruire posse. Nam vt in illis responsionibus nostris nonnihil adiiciam. Paulus ad Romanos sexto,prohibet omnino, ne seruiamus peccato. Vetus(inquit)homo noster crucifixus est,vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Et infra:Gratias autem Deo,quod fuistis serui peccati,liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Absit igitur,vt dicamꝰ bonos viros,carne seruire peccato, secundum veram rationem peccati. Sed ꝓpter fomitem duntaxat quem prorsus abiicere nullo modo possunt.Circũferentes enim hunc fomitem in carne sua, quum ipse fomes à Paulo peccatum vocetur, propter hunc fomitem dicuntur carne seruire legi peccati. At hoc non est secundum veram peccati rationem peccato seruire. Nam ita Paulus sibiipsi non

Iustꝰ ꝓpter fomitẽ dicit carne seruire legi peccati.

cohæret, quod est absurdum dicere. Neque si iustus in carne sic seruiat legi peccati, propter hoc oportet vt persona iusti partim peccatrix dicatur, nisi quatenus occasione fomitis huius in veniale peccatum labatur. Veruntamen si fomes vere peccatum esset, recte colligeres. At nos omnino reclamamus, & prorsus negamus fomitem, aut motum fomitis (cui non assentitur voluntas) vere peccatum esse.

Fomes vere peccatum nō est.

Luth.

¶ Si ergo omnis persona simul peccatrix est, dum iusta est, quid euidentius sequi potest, quàm vt opus quoque partim sit bonum, partim malum.

Episc.

¶ Sicut fomitem negamus esse peccatum, sic nec admittimus quamcunque personam hoc fomite præditam esse peccatricem. Id quod de paruulis baptizatis supra constitit. Quos apertissimum est, nec originale peccatum habere, nec actuale, sed esse per sanguinem Iesu Christi prorsus ab omni peccato mundatos. Similiter & adulti, momento ipso, quo baptizantur, omni peccato vacant, & tamen fomite non carent. Cæterum vtrosque (simul atque manente gratia collapsi fuerint in aliquod veniale) concedimus partim esse peccatores, partim iustos. Nec tamen inde recte colligis, ꝓ opus quodlibet ab eis patratum, partim bonum sit, & partim malum, nisi docueris, ex veniali peccato, simul & ex gratia bonum opus vnūquodque proficiscī, nimirum vt ita posset gratia suam in illo opere partem vendicare, & peccatum item suam. Sed illud nos omnino negamus.

Articul. 2. In baptizatis paruulis nullū ꝓrsus peccatum regnat.

Luth.

¶ Cum Christus dicat, & naturam monstret talem esse fructum qualis est arbor, vitium arboris certe in fructu sentitur.

Episc.

¶ Certe Christus ex arbore bona, bonum prodire fructum affirmat. Omnis, inquit, arbor bona, bonos fructus facit. Vbi & per arborem bonam, hominem gratia iustificatum intelligit. Cæterum gratia, si Paulo credimus, multo potentior est, q̄ fomes. Sed nō sicut delictum inquit Paulus, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia

Matth. 7.

Gratia potētior q̄ fomes.

Rom. 5.

Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Gratia igitur quum sit fomite potentior, quid prohibet, quo minus opera quædam, hoc est quosdam producat, vitio carentes & peccato. Nam sicut fomes in multis hominibus vsqueadeo dominatur, vt nullum fructum non faciat malum, ita par est, vt vicissim gratia in bonis dominetur, vt aliquem fructum pariat, qui sit inculpate bonus. Cæterum quod de naturæ documento producis, nihil ad nos pertinet, nisi monstrare queas, omne opus ex fomite proficiscī, quos nos omnino damnamus. Nam radicem boni operis Paulus charitatem facit, ad Ephe. 3. Radicati, inquit, in charitate & fundati. Sed & voluntas per gratiam multa profert opera, tanto nisu, tantaque contentione, vt fomes nec tantillum in eis habeat, quod culpæ posit imputari.

Efficax rō, ꝓ nō ī omni opere bono iustus peccet Ephes. 2.

Radix boni opis charitas

Luth.

¶ Non enim opera bona faciunt iustum (vt sæpe diximus) sed iustus facit bona opera. At talia faciat, necesse est, qualis est ipse, imperfectus, imperfecta: iustus, iusta: malus, mala. Si hæc ratio & authoritas non mouet, nescio quid mouere posit.

Episc.

¶ Hæc certe ratio non conuincit, quin iustus posset opus quoddam facere, in quo nullum sit peccatum. Neque enim prorsus verum est, quod assumis, nempe quod bona opera non faciunt iustum. Nam articulo primo superius ostendimus, duplicem esse iustificationem. Alteram quæ per gratiam acquiritur ante omnia opera, quemadmodum in paruulis fieri constat, quando baptizantur. Alteram in adultis per bonorum operum accumulationem, nempe resistendo fomiti, & eum quotidie minuendo. Primam iustificationem tametsi non præstent opera, præstant tamen secundam cooperante gratia, quæ vires tam operibus, quàm etiam aduersus fomitem præbet. Cum autem subinfers: At talia faciat necesse est qualis est ipse, quid ex hoc tibi velis, haud intelligo. Num opinaris fomitem & gratiam simul ad boni operis cōcurrere productionem? Si sic opinaris, erras hauddubie.

Duplex iustificatio.

Quā iustificationē opa præstant.

Opa quædã soli fomiti, quædam soli gratiæ tribuit Paulus

Nam Paul' quædam omnino tribuit fomiti, quędam soli gratiæ. De fomite sic ait ad Romanos septimo: Si (quod non volo ego) hoc facio, non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Ecce negat se perpetrare, quæ sibi prorsus inuito prorumpunt in carne, sed peccatum affirmat hæc operari. Non ergo sibi, sed fomiti (qui tyrannidem exercet carnis) hæc tribuit Paulus. De gratia vero sic loquitur. 1. ad Corint. 15. Copiosius quàm illi omnes laboraui, non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est. Ecce Paulus ea (quib' antecessit cæteros apostolos) opera, gratiæ diuinę tribuit non fomiti. Nisi igitur gratiam, aut imperfectam, aut malam esse, quomodo poteris in eius operibus asserere quicquam delituisse peccati. Erant nimirum hæc opera Pauli iusta, perfectaque, quãtum ad humanam iustitiam spectat. Nam alia creditur hominum esse iustitia, quàm angelorum, & istorum adhuc alia quàm Dei. Si iustitiã angelorum cum Dei conferas iustitia, num nõ imperfectam eam censebis, & ab ipsa summa rectitudine longissime deficientem? Profecto. Veruntamen ipsa peccato caret, & longe perfectior est, quàm humana quæuis iustitia. Simili modo si iustitiã humanam cum angelica componas, quanquam imperfecta simul & iniustitia vtideatur, habet nihilominus ipsa limites suos, quos si prætergressa non fuerit, nihil absurdum est, vt opera quædam pariat absque peccato.

Luth.

¶ Forte dicent & admittent, iustum in opere bono deficere quidem, sed non peccare. Verum superius abunde probaui, hunc defectum esse vere peccatum.

Episc. Triplex defectus.

¶ Paulo superius ostendi, quempiam posse triphariam deficere, vel à tota latitudine charitatis, vt cum peccat mortaliter, vel ab aliquo gradu, quem (si fuisset attentus) potuisset consequi. Et is defectus est venialis. Aut tertio, à summa charitatis plenitudine, cuius nemo vnquam in hac vita compos esse potest. Et is defectus, nec est mortalis, nec venialis, sed absque

omni peccato. Si igitur de hoc tertio defecto loqueris, quum dicis, te superius abũde probasse defectum hũc esse peccatum. Ego vicissim assero, te neutiquam hoc probasse, nec vnquam posse probare. In qua re, non recuso quẽquam iudicem, modo rationes eas legat, quas tam aduersus hunc, quàm aduersus secundum articulum antè produximus.

Luth.

¶ Est enim omissio illius præcepti, Diliges dominum Deum ex toto corde tuo, ex omnibus virib' tuis, ex tota anima. Cum autem caro resistat spiritui, clarum est, ꝙ vires carnis non diligant Deum, ac per hoc peccant in hoc præceptum.

Episc. Non plus exigit Deus ꝗ gratia adiuti præstare valebimus.

¶ Tametsi quum cumulatius quispiam, sublato fomite, diliget in patria, tamen hic etiam, qui quantum potest per fomitis impedimentum, conatu diligit, is nihil omittere dicendus est, quod ad hoc pręceptum attinet. Nam si possibilia sint præcepta Dei (quemadmodum esse supra docuimus) non plus à nobis exigit Deus, quàm quod per gratiam eius adiuti, præstare valebimus. Quum enim vires omnes pro nostra fragilitate possibiles, diligendo Deo sumus impartiti, si quid pręterea defuerit culpę, nequaquam is defectus nobis imputabitur. Id quod ex August. manifeste confirmabimus. Is enim in libro De spiritu & litera cap. vlti. sic loquitur: Dici potest quædam iustitia minor huic vitæ competens, quàm iustus ex fide viuit, quanuis peregrinus à domino, & ideo per fidem ambulans, nondum per speciem nõ absurde dicitur, etiam ad istam pertinere ne peccet. Neq; enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenę perfectęq; debetur, iam culpę deputandum est. Ecce Augustinus, cui & Hiero. astipulatur, vt mox dicem', duplicem opinatur hominis iustitiã. Alteram pro futura vita maiorem, vbi plenè diligemus absq; vllo fomitis renisu. Alterã maiorem, quę in hac vita competit, qua diligimus nõ ita plenè. Affirmat tamen Aug. haud absurde dici, quod ad hãc iustitiam quoque pertinet, ne in quibusdã operib' peccemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et quod culpę non est deputandum, quanquam non sit nobis tanta dilectio Dei, quanta futuræ cognitioni, quæ plena & perfecta erit, debetur. Plurimos eiusmodi iustos scriptura memorat, qui tametsi plerunq; propter animi lassitudinem, etiam ab hac minori iustitia defecerint, nihilominus in multis operibus suis eadem grauiter adiutorio gratiæ præstiterũt. Talem Enoch fuisse non ambigo, de quo liber Geneseos affirmat, quod ambulauit cum Deo. Talẽ & Noe, quem eadem scriptura virum iustum & perfectum vocat. Talem & Abraham, cui dixit Deus, ambula coram me & esto perfectus. Talem & Iob, quem scriptura virum simplicem & rectum vocat. Talem & Dauid, de quo Deus ipse testatur ad Hieroboam loquens: Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & ambulauit post me, in toto corde suo. Num putas fomitem in carne Dauid non huic instituto renisum fuisse? Renitebatur profecto. Et tamen audis, Deum ore suo testari, quod ille toto corde suo post Deum ambulauit. Sed & idem non est veritus ad Deum dicere: In toto corde meo exquisiui te. Et deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Et fursum: Clamaui in toto corde meo. An non hunc amasse putas, quantum ad huius viæ iustitiam suffecerat, ex toto corde suo? Sed vires (inquis) carnis non dilexerunt Deum, ac per hoc peccauerunt. Ego certe nõ intelligo, quemadmodum vires carnis (quæ nulla rationali voluntate dicuntur) aut Deum diligere, aut peccare queant. Sed tamen quid de carne sua dixerat idem ipse Dauid, non ignoras. Cor (inquit) meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum? Et secundi Regum sexto, scribitur, quod totis viribus saltabat ante dominum. Et primi Parali. vicesimonono, quod totis viribus parauit impensas domus domini Dei sui. Si fomes quicquam restiterit, vt restitisse non est dubium, præsertim quum in Deum viuum (vt ait) exultauerit eius caro, ea resistentia nec Dauidi tribuenda fuit, sicut neque Paulus eam sibi tribuit, quum

Quorundam iustorum catalogus.
Gen. 5. 6. 7.
Iob. 1.
Dauid quãuis retinente fomite Deũ toto corde ẽ sequutus.
Psal. 118.
Vires carnis nec diligere, nec peccare queunt.
Psal. 83.
Rom. 7.

ait: Iã nõ ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Si fomes carnis quicq̃ virium à dilectione Dei subtraxerit penitus inuito, id huic certe vitio verti non debet, neq; culpę deputari. Nam si quisquam onustus ingenti pondere ferri, montem aliquẽ, quanta possit celeritate, cõscendere moliretur, certum est eum multo celerius facturum onere deposito, q̃ cum sic onustus esset. Veruntamen si pro virium suarũ possibilitate conaretur ascensum illum perficere, nihil amplius ab eo iure deberet exigi. Atque ita nimirum est, quãtum spectat ad dilectionem Dei. Nam & si fomes suo pondere renitatur, si nos tamen gratiæ vigilanter innixi, pro nostra virili dilexerimus, quoties id agimus, audemus asserere nullum in illis operibus esse peccatum. Cæterum quia propter animi lassitudinem (vt ait Hiero.) nemo sic in perpetuum perseuerare potest, idcirco nemo viuit, qui non multoties offendat & peccet. Propter quod & idem Hiero. ait Critobolo: Nec quia ad breue possum, cogis me vt possim iugiter, hoc est, nec quia possum aliquoties non peccare, oportet vt imperpetuũ carere peccato queam. Cuius rei rationem euestigio subdit: Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire, nunquid imperpetuum? Hæc Hiero. lib. 3. aduersus Pelagianos. Possem & alia sanctorũ virorum exempla, quę sentẽtiam nostram confirment, innumera producere, quemadmodum de Aza quod scriptũ est, cor eius fuisse cum Deo perfectum. De Ezechia quoque quod rectum fecerit in oculis domini. Et vt idẽ ait de seipso: Obsecro domine, memento quoniã ambulauerim in conspectu tuo, in veritate, & corde pfecto, & bonum in oculis tuis fecerim. Sed priora confido suffectura.

¶ Si enim sic elabi volunt per nomen defectus, ne peccatum cogãtur admittere, elabor & ego, & dicam, adulterium non esse peccatũ, sed defectũ. Qua enim ratione illud carnis concupiscere cõtra spiritũ non est peccatum, eadem & adulterari nõ erit peccatum.

Pulchra cõparatio.
Propter animi lassitudinem pseuerare nequimus 2. Reg. 15. 3. Reg. 20.
Luth.

Episc. ¶Præclusimus hanc tergiuasationem tibi. Non elaberis ad hunc modum. Perspicuum enim opinor est ex iis, quæ diximus inter hos defectus ingens interuallum esse. Non adulter, vt diximus, à tota charitatis latitudine defecit, per opus quod agit, charitati penitus repugnans, nimirum quia peccat mortaliter. At hi de quibus iam loquuti sumus, quanq̃ à summa charitatis plenitudine (quam expectamus in cęlo futuram) defecerint, habuerunt nihilominus pro statu viæ, & (vt Hiero. ait) pro tempore, pro loco, pro possibilitate corporea, iustam charitatis mẽsuram, quę saltem in quibusdã operibus omni peccato careat. Propter quod & iustiuocabulum (vt ait Hiero.) possidẽt. Non enim ex eo ꝙ parua peccarunt, iustitię nomen admittunt, sed ex eo ꝙ multa bona fecerunt, iusti vocabulum possident. Nequaquam igitur ad hunc modum elabi poteris. Porro carnis concupiscere, nec in iustis ipsis, nec in adulteris peccatum est, sed consensus in concupiscentiam solus, quem, quia iusti nunquam contra Dei mandatum admittunt, idcirco iusti nomenclaturam merito sunt sortiti.

Iustitiæ nomen ob pauculas labes nõ depditur. Carnis concupiscere nec in iustis, nec in iniustis peccatũ est.

Luth. ¶Quanquam (vt dixi) proprium sit eorum inuentum, appellare defectum, quod scriptura peccatum appellat. Et sicut ipsi fabulantur, suos defectus non esse cõtra legem, sed defectiones à lege, ita ego quoque negabo adulterium esse contra legem, sed solum defectum à lege.

Episc. ¶Si potes ita frontem perfricare, vt inter hos defectus nihil interesse contendas, nullo vnquam impudentię metu reuocari poteris, quo minus pergas in errore tuo, nempe quo putas defectum in adulterio nihilo magis peccatum dici posse, quàm defectum à summa charitatis plenitudine. Cæterum si queas ex scripturis hunc defectum ostendere peccatum esse, vti nos illum ostendimus, victoriam vltro concedemus tibi, & arena (quod aiunt) cedemus ilico.

Luth. ¶Et quid faciunt his suis loquutionibus, nisi ꝙ aliis quidem verbis, idem quod Pelagiani docent. An

referre putas, quibus verbis veritatem eludas, & mendacium statuas? Quid enim ex ea doctrina capit auditor, quàm post se acceptam gratiam, mundum esse, & iam gratia ad peccati vlterioris purgationem non egere? id quod propriissime Pelagianum est, sed sub verbis catholicis propositum. Ita Christo non habent opus ad iustitiam, nisi in primo instanti contritionis, nisi quod Pelagiani, nec ipso primo instanti, gratia indigere voluerunt.

Episc. ¶Neminem certe vsqueadeo mundum opinamur quicunque sumus orthodoxi, quin post semel acceptam gratiam, adhuc eadem egeat. Non solum vt in pristina peccata non relabatur, verumetiam vt cætera futura vitet, atque carnis fomitem quotidie magis ac magis imminuat. Quod qui sentiunt, longissime dissident à Pelagianis. Nam ii liberum arbitrium existimant, absque gratia quodque peccatum vitare posse. Nos autem sine gratia peccatum posse cauere putamus neminem. Nullis ergo verbis nos veritatem eludimus, aut mendacium statuimus. Tu potius videris, quibus id facias, qui contra cunctos ecclesiæ patres asseris neminem (quantumuis adiuuetur gratia) vitare posse peccatũ vllo prorsus opere, sed in quouis opere, quantumuis bono, iustum peccare. Sic enim dicens, quum Pelagianorum hæresim vitare cupias, incidis in Manichæos, quod est iuxta prouerbium, vitare Scyllam & in Charibdim incidere. Tua nimirum hęresis deterior est, & magis ab ecclesia dissidet, quàm Pelagianorum. Lege quotquot hactenus contra Pelagianos quicquam scripserunt, & hoc vbique testantur sibi cum Pelagianis conuenire, quòd præcepta Dei possibilia sunt, & à libero possunt arbitrio seruari. Sed hoc dissidere, ꝙ Pelagiani contendunt, id sine gratia fieri posse, orthodoxi contra, non sine gratia. Tu vero non solum præceptorum possibilitatem negas, veruntamen arbitrii libertatem tollis funditus. Quare multo perniciosiorem hostẽ ecclesiæ te constituis, quàm fuerant Pelagiani. Et Mani-

Pelagianorum error.

Flãmam fugiens ĩ ignẽ decidit.

Lutherana hæresis multo pestilẽtior ꝙ Pelagianorum.

chæorum errores sectaris apertissime.

Luth. ¶ Cur non damnant Gregor. super Iob. 9. dicentem: Sanctus vir, quia omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspicit, si ab interno arbitro, districte iudicetur, ideo recte subiungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei vnum respondere pro mille. Nonne articulum hũc meum hic Gregorius euidenter docet?

Episc. Greg. t cvitat Beda de gestis Anglorũ, li. 1. c. 22. In qbusdã actis Grego. nullã culpam ponit. Grego. Iob nec corde, nec lingua peccasse testat. Iacob. 3. Matth. 15. Gregorius.

¶ Gregorium tuæ sententiæ repugnare, non ex vno solum ostendi potest loco. Nam ad Augustinum Anglorum apostolum scribens, ait: Bonarum est mentium illic agnoscere culpam, vbi culpa non est. Ecce in aliquibus operibus opinatur Gregorius nullam culpam esse. Similiter & Moralium secundo, capite nono, super illo verbo: In omnibus his non peccauit Iob, neque stultum aliquid contra Deum loquutus est, ait in hunc modum: Beato Iob & oris testimonium perhibetur & cordis. Prius enim dicitur, non peccauit, & tũc demum subditur: Neque stultum aliquid contra Deum loquutus est. Qui enim loquutus non est, culpam à lingua compescuit. Sed quum præmittitur, non peccauit, constat quod murmurationis vitiũ etiam à corde restrinxit. Nec ergo peccauit, nec stultum quid loquutus est. Quia nec per conscientiam tacitus timuit, nec linguam in contumeliam relaxauit. Ecce Gregorius cum scriptura confitetur, sanctũ hunc virum in his, quę hactenus gessit, nec corde, nec lingua peccasse. Quæ duo membra quisquis poterit à peccato tueri, is omnino potest in aliquo opere nõ peccare. Nam de lingua Iacobus dicit: Qui non offendit in verbo, hic perfect⁹ est vir. Et de corde Christus ait: De corde exeunt, quæ coinquinãt hominem. Et idem Gregorius libro. 10. cap. 16. super illo verbo, Leuare faciem sine macula. Omne peccatum, inquit, aut sola cogitatione committitur, aut cogitatione simul & opere. A quibus duobus quisquis manum & mentem immunes seruauerit, hunc consensu scripturæ Gregorius docet, posse faciem ad Deum sine

macula leuare. Quòd si sine macula, certe & sine peccato potest, quum peccatum vnumquodque sit macula quędam. Sed & aliis locis pluribus hunc sanctũ virum, in plerisq; suis operibus Greg. ostendit caruisse peccato. Cæterum vt ad ea verba, quæ ex libro nono protulisti, tandem respondeam. Prætermittis hic ea, quæ rem totam elucidant. Neque enim absolute Grego. asserit, in singulis virtutib⁹ nostris esse peccatum, sed de virtute iustitiæ nostræ loquitur, quum diuinę fuerit iustitiæ comparata. Sic enim inchoat sermonem suum: Vere scio, quòd si ista sit. Et non iustificabitur homo compositus Deo, homo quippe, cum Deo non componitur, iustitiam percipit, compositus amittit. Ecce hoc principio Greg. asserit hominem, si non conferatur cum Deo, iustitiam aliquam habere, sed hanc protinus vt Deo fuerit compositus, hominem amittere confitetur. Cuius caussam subdit: Quia quisquis se authori bonorum comparet, bono se, quod accepérat, priuat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis cõtra Deum donis pugnat. Vnde ergo despectus erigitur, dignum est, vt erectus inde destruatur. Hucusque Greg. Et iam sequuntur verba quæ Luthe. memorat. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostræ meritum, vitium esse conspicit, si ab interno arbitro districte iudicetur, &c. Hoc profecto, non de aliqua vna peculiari virtute vult intelligi, sed de iustitia ipsa, quam superius nominauit, quęq; virtutes nostras omnes complectitur, simul & totius humanæ vitæ progressum. Huius vtique iustitiæ meritum, si ab interno arbitro districte iudicetur, multis vitiis scatet, propter opera plurima, quæ venialibus non carere delictis. Licet enim aliqua sint opera, quę peccata careant, tamen multo maior est eorum numerus, quæ venialiter saltem inquinantur. Et quanquam venialia nobis parui momenti putentur, tamen a oculis Dei (modo se censorem districtũ exhibeat) parua nõ sunt. Iustitia igitur nostra propter taliũ operum arenã, innumeris videri potest respersa maculis, & velut

Prætermissa à Luthero.

Hõ cũ deo nũ collatiue iustitiam habet, quã deo cõpatiue iliico amittit.

pannus menſtruorum ſordibus inquinatus. Verunta men propter alia quædam opera, quæ per gratiã Dei omni peccato caruerunt, iuſtitiam noſtram clementiſsimus ipſe reſpicit. Atqui ſi totius hui⁹ iuſtitię meritum, ſeuerus ipſe iudex diſtrictius excuteret, profecto non tam propter opera bona meritum inueniretur, quàm propter maculas venialium ipſa cenſeretur vt vitium. Hæc hauddubie mens Grego. fuit. Cæterum quanquam ipſa tota vita, velut vitium exiſtimaretur propter ipſas venialium reſperſiones, nihil tamen oportet, vt nullum in ea ſit opus quod nõ poluatur. Et proinde non recte colligis, quòd in omni opere bono peccatum ſit. Nam eiuſmodi (vt dixim⁹) iuſtitia, quædam habet opera, quæ prorſus omni peccato vacant, quędã quę ſaltem venialibus inquinantur. Propter quod & Hiero. aduerſus Pelagianos, duplicem diſtinguit iuſtitiam, quemadmodum & Auguſtinum feciſſe paulo ſuperius conſtitit. Perſpicuum eſt, inquit, duas in ſcripturis ſanctis eſſe pfectiones, duasq; iuſtitias. Primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectamq; iuſtitiã, Dei virtutibus coaptandam. Secundã autem quæ cõpetit noſtræ fragilitati, iuxta illud quod in Pſalmis dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Hoc Hieronymus libro primo contra Pelagianos. Hæc certe iuſtitia, quæ noſtræ fragilati competit, eadem eſt, de qua Gregorius hic loquitur, dicẽs, quòd homo quandiu non componitur Deo, ſed ſeorſum conſideratur, iuſtitiam habet, quam tamen compoſitus Deo, protinus amittit. Et huius iuſtitię meritum ſi diſtricte iudicetur, vitiũ poſſe cẽſeri. Nõ negat tamen, quin hęc iuſtitia multa pariat opera, quę peccatis carent, imò teſtatur hoc pleriſq; in locis, vt dixim⁹, apertiſsime. Alioqui quomodo leuaſſet interdum ſuam faciem Iob abſque macula? Et quomodo ſępius inter operandũ, nec mẽte, nec manu peccaſſet, ſed nec corde, aut lingua? Certe quiſquis dum operatur, in nullo horũ peccat, is in illo ſaltem opere, peccato caret. Nõ igitur ex

Duplex pfectio.

Pſal. 142.

Iob. 11.

præfatis verbis, articulum tuum Gregorius (vt tu aſſeris) euidenter docet.

¶ Idem ſuper illud eiuſdem. Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. Vt enim, inquit, ſæpius diximus omnis humana iuſtitia iniuſtitia eſſe conuincitur, ſi diſtricte iudicetur. *Luth.*

¶ Prioribus illis verbis Iob non negat ſe quippiã iuſtũ habere. Sed ſi habuero, inquit, quippiam iuſtũ, hoc eſt, ſi opus aliquod iuſtum (quod nihil habeat omnino culpę) fecero, qualia dubio procul habuit plurima, non defendam hoc eſſe iuſtum, ſed meum iudicem deprecabor, ne propter alia in quibus peccaui, me condemnet. Cuius cauſſam ſubiicit Greg. Quia omnis humana iuſtitia, vt ſæpe diximus, iniuſtitia eſſe conuincitur, ſi diſtricte iudicetur. Cæterum iis verbis non conficitur in omni opere bono iuſtum peccare, ſed iuſtum non carere peccato. Quod & nos cõfitemur, ſimul & humanam iuſtitiam, tametſi quædam pariat opera peccati expertia, parere tamen & alia, quæ peccatis ſaltem venialibus inquinãtur. Propter quæ velut iuſtitia quædam plane conuincitur, ſi cenſorem diſtrictum nacta fuerit. *Epiſc.*

Gregorius. Iuſtus non caret peccato, at non in omni opere bono iuſtus peccat.

¶ Et Auguſtinus libro vndecimo confeſſ. Væ hominum vitæ, quantumcunque laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. *Luth.*

¶ Neque teſtimonium iſtud Auguſtini quicquam reſtagatur iis, quæ iam diximus, ſi non ſeorſum illud à cæteris illic ab eo dictis, exemeris. Loquitur enim illic de matre ſua, quam ſupra mirificis extulit laudibus. Nunc autẽ hæc ſubiungit: Quãquã enim illa in Chriſto viuificata, etiam nondum carne reſoluta, ſic vixerat, vt laudetur nomẽ tuum in fide moribuſque eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptiſmum regenerasti, nullum verbum exiſſe ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum eſt à veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehẽnæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi re- *Epiſc.*

mota misericordia discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quis quis autem enumerat tibi vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera sua? O si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur, in domino glorientur. Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor. Hæc Augustinus illic. In quibus verbis bonos actus suæ matris à peccatis eiusdem separat, & vera merita dicit munera fuisse Dei. Verumtamen haud negat, quin propter alia, quæ deliquerat, si tota matris vita discuteretur exactius, non posse Dei se verum sustinere iudicium. Tantum igitur abest vt August. hoc loco quicquam pro te faciat, vt etiam suis verbis vehementer condemnat articulum tuum, quando vera matris suæ merita, Dei munera confitetur. Et bonos ipsius actus à peccatis eximit, ita vt pro illis quidem gratias agat, pro iis vero precetur veniam. Quamobrem & palam est, in pontificem ea quæ sequuntur, iniquissimè te iam oblatrasse, & nimis quàm cinice.

Vera merita munera Dei.

Augustini verba Lutherum condemnant.

Luth. ¶ Vides ergo ô miser sanctissimè, quorum sententias impia tua bulla damnaris? Certũ est cum iis scripturis & patrum sententiis permanere, & te idolum abominationis cum fiducia contemnere. Non ergo meus ille articulus, sed Esaiæ, Dauid, Salomonis, Pauli, Christi, Augustini, Grægorij inuentus est, cũ quib⁹ damnari ab Antichristo isto, superba gloria est. Hac enim diabolica damnatione firmatur opinio illa papam esse Antichristum, & Romanam curiam sedem Satanæ, & abominationem desolationis esse in Babylone illa mystica. Amplius non fallit specie veritatis, sicut hactenᵒ fecit, sed prodit seipsam abominatio ista peccati & perditionis.

Episc. ¶ Profecto nullus horum (quos iactitas) tuæ sententiæ quicquam in hac re subscripsit, neque Esaias,

neque Dauid, aut Salomon ipse, neque Paulus, aut Christus. Sed neque Gregorius, aut Augustinus in iis testimoniis (quæ iam ab eis citaras) imo contra te potius (vt ostendimus) singuli pugnant efficacissime. Pro nostra vero parte dimicant scripturæ quas suprà citauimus. Dimicat Christus, qui testatur in habẽte oculum simplicem dum operatur, nullam in eius opere tenebrarum partem esse. Dimicat Paulus qui clamat: Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Potest igitur quispiam, ita secundum spiritum ambulare, vt in aliquo saltem opere nihil habeat damnationis, aut peccati, quo dãnetur. Pugnat Iacobus, qui non dixit in omnibus, sed in multis offendimus omnes. Pugnat & Ioannes qui prorsus affirmat sanguinem Iesu mundare nos ab omni peccato, quod fieri saltem debet in opere aliquo, quemadmodum & testatur Hieronymus. Pugnat & Iudas, qui dicit: Et qui potens est vos ab omni peccato seruare. Ergo potest ita nos in aliquo saltem opere seruare immunes. Cæterum præter hæc scriptu tarum testimonia, certat pro nostra parte Hierony. qui sic aduersus Pelagianũ scribit: Tu dicis nõ esse hominẽ sine peccato, sed esse posse, quũ econtrario ego tibi tribuam quod negasti. Esse hominem sine peccato per Dei gratiam, & tamen per se non posse. Ecce per Dei gratiam adiutus potest in aliquo opere iustus cauere peccatum. Certat Augustinus pro nobis, quum Pelagiano pro se testimonium Hilarij proferẽti, respondit, cap. 60. libri de natura & gratia, contra Pelagianos: Quid dixit, inquit, Hilarius contra id quod dicimus? Vel quid istũ adiuuet vere nescio, nisi quia posse esse hominem mundo corde, testatus est. Quod quis negat? Sed gratia Dei per Iesum Christũ dominum nostrum, non sola arbitrij libertate. Ecce, hic Aug. confitetur etiam ex Hilario posse hominem per Dei gratiã esse mũdo corde, quod (quũ nequeat fieri in cũctis operibus) in aliquo tamen erit, necesse

Ne vulg. eorum quos Lut. produxit, eidem suffragatur Catalogus authorũ qui pro nobis dimicãt cõtra Lutherum.

Matth. 6.

Rom. 8.

Iaco. 3.

1. Ioan. 1.

Iudas.

est. In quo libro citantur etiam testimonia Chrysostomi, Sixti papæ & martyris, atque etiã Hieronymi, quibus vbique subscribit Augustinus, gratia Dei, non sola arbitrij libertate, peccatum in aliquo opere vitare posse, sed & Origenes huic etiam accedit sententiæ super Lucam, homil. 2. Qui volunt peccatis suis ostendere aliquam excusationem, æstimant nullum esse absque peccato, & vtuntur testimonio, quod in Iob scriptum est: Nemo mundus à sorde, nec si vnus quidem diei fuerit vita eius super terram. Numerabiles autem menses eius cuius sonum tantummodo proferunt, interpretationem penitus ignorantes. Aduersus quos breuiter respondebimus. Quoniam absque peccato esse, in scripturis dupliciter intelligitur. Vt fit alterum, nunquam omnino peccasse, alterum peccare desiisse. Si igitur aiunt eum absque peccato dici, qui nunquam peccauerit, & nos assentimus, nullum esse absque peccato, quia omnes homines aliquando peccauimus, licet postea virtutem sequuti sumus. Si vero sic intelligunt, hominem non esse absque peccato, vt negent, quempiam post vitia, ita se ad virtutes referre, vt nunquam omnino peccet, falsa eorum sententia est. Ecce quàm aperte sententiam eorũ falsam Origenes esse testatur, qui negant quempiam ita se ad virtutes post vitia referre, vt nunquam omnino peccet. Ergo aliquando est, quando Origeni non peccat iustus. Consentit eiusdem etiam verbis Ambrosio in suis super Lucam commentariis. Vides iam Luthere, quot pro nostra parte, contra te reluctãtur? Quãobrem si nihil aliud ipse robustius habes quo firmes articulum istum, consultius faceres meo iudicio, si tãdem ab hac insania resipiscas, quam frustra gloriaris, & scripturas, & patrum sententias huic articulo tuo fauere. Vt de conuitiis taceam, quæ tam superbè contra pontificem iacularis, perinde ac si solidissimis essent fulcita præsidis, quum nihil sint minus. Sed hactenus ad articuli tui labefactationem ista sunt dicta.

Qui peccatis suis fucũ inducũt neminem esse absque peccato autumant.

In peccato esse dupliciter intelligitur.

ARTICVLVS XXXII.

OPus bonum optime factum, est veniale peccatum. *Luth.*

¶ Quoniã articulo proximo satis superq; monstrauimus virum iustum pleraque opera facere, quæ peccato prorsus omni careãt, nihil opus est multis ad huius articuli conuulsionem. Nam si iustus aliquid operis faciat in quo non peccat, protinus ex eo sequitur, opus optime factum, nec veniale peccatum esse. Nam hoc opus nec peccatum est, nec vllo censeri potest inquinari peccato.

¶ Hic manifeste sequitur ex priore. *Luth.*

¶ Profecto, si prior articulus tuus verus esset, opus vnumquodque quòd à quouis, quantũuis iusto proficiscitur, non modo veniale peccatum, verumetiam esset & mortale. Nã quis mortaliter eum peccare nõ dixerit qui mandato Dei cuiuis contrauenerit? Si is non peccet mortaliter, haud scio quis dici poterit mortaliter peccare. Verum is, huiusmodi putandus est, quicunque vel nõ diligit ex summa charitatis plenitudine (si tamen hoc tam rigidè sit intelligendum, vt tu interpretaris) vel qui aliquando patitur in se carnis concupiscentiam, si tamen hæc Dei mandato prohibeatur. Nam alter (si tibi credimus) peccat contra præceptum illud quod & primum & maximum à Christo vocatur, nempe, diliges dominum Deum tuũ ex toto corde, &c. Alter aduersus postrema duo præcepta, quibus (vt asseris) omnis carnis concupiscẽtia, prohibetur. Et quanquam cætera quoque præcepta coneris impossibilia monstrare. Hæc tamen sic se habent, sententia tua, quòd nemo (quicquid operis boni moliatur) effugere potest, quin vel in illud de dilectione Dei, vel in istud de concupiscentia, protinus impingat. Verum hæc quàm horrida sint auditu, nemo (qui quicquam sapit) non intelligit.

Episc. Opus quodque à iustissimo perfectũ, si Lut. audiẽdus, nõ solum veniale, sed & mortale est.

¶ Nisi quod addendum est, quod alibi copiosius dixi hoc veniale peccatum non natura sua, sed mise- *Luth.*

ricordia Dei tale esse.

Episc. Venialis peccati à mortali discrimen.

¶ Quòd peccatum veniale solum ex Dei misericordia veniale sit, in hoc tecum sentio. Sed quoniam & nos mortale quoque peccatum, per Dei misericordiam fieri posse veniale credimus, vellem apertius nobis exponeres, quid ipse discrimis arbitreris, inter mortale venialeque peccatum statui debere. Nec opinor te dicturum, quin mortale, protinus vt fit, effugiet ab animo gratiã, & in odio Dei cõstituat ipsũ peccatorem. At veniale non ita. Quòd si mortale gratiã auersetur, non autem veniale, profecto palàm est, non mediocre discrimen esse venialis à mortali, nec exiguum inter ipsa repositum interuallum. Hactenus conuenire te par est, vt opinor, nobiscum de venali mortaliq;. Cæterũ in hoc disidemus, quòd tu quãcunque defectum à plenitudine summæ charitatis, peccatum, & ad minus veniale putas. Nos vero tres deficientiæ modos ponimus, quorum primũ esse mortalem existimamus, eò quòd sua sponte & ex instituto contra Dei mandatum agat. Secundum autem venialem opinamur, quòd præter institutum, & ex leui quadam diligentia, per lassitudinem animi subrepentem, nascitur. Postremum denique non dubitamus, omni prorsus carere peccato. Nimirum quia penitus nihil habet in se voluntarij.

Omnis defectus Luthero peccatũ est.

Tres deficientiæ modi.

Luth.

¶ Nõ enim dixit Dauid: Nõ præmiabitur, sed non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Nõ iustificari certe est demnari, ita omne opus iusti damnabile est, & peccatum mortale, si iudicio Dei iudicetur.

Episc. Aliud opus viuẽtis, aliud ipse viuens.

¶ Huic ego vicissim respondeo, non dixisse Dauid, nullum opus viuentis, sed nullum viuentem iustificari. Aliud enim (vt diximus) est opus aliquod viuentis, aliud ipse viuens, qui multa complectitur opera. Nos ingenuè confitemur, neminem esse, qui nõ in multis delinquat. At vicissim haud veremur cum patribus asserere, fuisse quosdam, qui in aliquo saltem opere nihil deliquerunt, quales exemplis multis è scriptura petitis, complures ostendimus fuisse, quib⁹

& Iam adiicimus Zachariam & Elizabeth, de quibus Lucas tradit: Erant, inquit, iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mãdatis & iustificationibus domini sine querela. Ecce non dixit Lucas, vt tuo interim argumento vtamur, quòd erãt ante homines, sed ante Deum iusti. Quod, quid aliud est, q̃ quòd oculis Dei iusti fuerant. Neque dixit in aliquibus mãdatis, sed in omnibus mãdatis & iustificationibus domini: & demum adiecit, sine querela. Nullum ergo mandatorũ Dei nõ operati sunt absque querela. Et quomodo te quæso potuerunt mandata cuncta sine querela peragere, si quædam illorum impossibilis fuissent? Putas istos nõ perpessos fuisse concupiscentiam carnis, aut summam illam charitatis plenitudinẽ in suis operibus habuisse? Neutrũ profecto verum est. Et tamen hic euangeliũ affirmat eos ante Deum fuisse iustos, & incessisse in omnibus mandatis, & iustificationibus ante Deum sine querela, non hominum dico, quorum hauddubie latebit oculos, quænam Zacharias & Elizabeth intra cordiũ suorum penetralia gerebant, sed absq; querela corã Deo. Nec tamẽ eos omni prorsus caruisse peccato, reor in suis omnib⁹ operibus, sed saltẽ in cõpluribus, id cõfiteamur oportet. Quærit hoc loco super Lucã Orig. Quomodo potest euenire, vt in omnibus mandatis & iustificationibus Dei quis ambulãs sine querela sit? cui breuiter se respõsurũ pollicetur, Nisi hoc, inquit, ita esset vnquã in alio loco noscerem⁹ scriptũ referri. Iustè id quod iustũ est sequere. Nisi enim esset iustũ aliquid, quod non iustè sequeremur, nequaq̃ nobis præciperetur, vt iustè id, quod iustum est sequeretur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in consciẽtia nostra, vanæ gloriæ sordes respargimus, vt placeamus hominibus, aut alia quæcunque nõ placẽt Deo, boni operis caussa præcedit, & quanuis faciamus præceptum Dei, tamẽ illud absq; querela non facimus, & iniustè, id quod iustũ est sequimur. Difficile est ergo ambulare in omnibus mandatis & iustificationibus domini

Luc. 1.

Quõ in omnibus Dei mandatis sine querela quis ambulet.

Deut. 16.

sine querela, secundum testimonium & laudem Dei in Christo Iesu. Quæ laus reddenda est in die iudicij, ab eo cui omnes nos manifestari oportet ante tribunal eius, vt recipiat vnusquisque quæ per corpus gesſit, siue bona, siue mala. Omnes enim stabimus ante tribunal Dei, vt recipiam⁹ quod meremur in Christo Iesu. Hæc Origenes. Vt igitur ad institutum redeamus. Non dixit, inquit, Dauid: Non præmiabitur, sed non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et hoc nos concedimus, quippe, quia nemo viuentium est, qui penitus omni peccato careat. Sed ex hoc non sequitur, quemadmodum ipse moliris inferre, quòd nullum opus cuiuslibet viuẽtis omni peccato careat. Nam & Zacharias & Elizabeth, ac alij complures, de quibus ante loquuti sumus, in multis operibus suis peccato caruerunt, tametsi non penitus in omnibus. Nisi enim in multis operibus peccato caruissent, non dixisset Euangelium eos ante Deum fuisse iustos, & incessisse sine querela. Propterea Hiero. aduersus Pelagianos ait: Iob quoque & Zacharias & Elizabeth iusti dicti sunt, secundum eam iustitiam, quæ possit iniustitiam aliquando mutari, & non secundum illam quæ nunquam mutari potest. Iustitia nimirum eorũ fuit aliquibus maculis venialium peccatorum respersa, & hanc Hiero. eodem loco vocat iustitiam & perfectionem quæ competit fragilitati nostræ, iuxta illud vt ait, quod in Psalmis dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Porro quũ subiicis Luthere, Non iustificari, certe est damnari, atque ita omne opus iusti est damnabile, ineptissimè colligis. Atsic colligendum esset. Omnis itaque iustus viuens est damnabilis, & non omne opus iusti. Quod certè nó inficior si Deus vnumquemque districtè iudicaturus esset, quum nemo viuentium omni careat peccato. Rursum neque istud rectè subinfers, Peccatum veniale damnabile est si districte iudicetur. Ergo peccatum veniale, mortale est. Nam suprà constitit inter nos, quòd mortale peccatum fugat à nobis gratiam,

Rom. 14.

Iustitia duplex.

propter quod & merito damnandum venit, non autẽ identidem veniale. Quod discrimen abundè satis est, vt veniale dici mortale nequeat.

¶ Et August. non dixit, Væ vitæ hominum aliquo modo laudabili: Sed væ quantũcunque laudabili. Vę autem istud, damnationem sonat. Et quantumcũque laudabilis vita, optimam vitam sonat. *Luth.*

¶ Væ vitæ hominum Augustinus dixit, & non væ singulis hominum operibus. Nam vita nullius est vsqueadeo integra, vt nó multis sit respersa venialium saltem peccatorum maculis, verum opera multa sunt viuentium, quæ diuus Aug. peccato carere nó negat. Vt & manifestum est ipso eodem loco, vnde tu citaras eius hoc testimonium. Nam ibi confitetur, quædam esse vera merita, & munera Dei. Sed & bonos actus matris suæ seorsum à peccatis separat, pro illis quidẽ gratias agens, pro istis vero veniam implorans. Optima igitur vita (quia peccato non prorsus caret) si districte iudicetur, damnaiblis est. At hoc nihil officit, quin talis vita quædam habeat opera, quæ penitus nullo peccato Dei labefactantur. *Episc.*

¶ Et Gregorius non dixit, Iustitia humana conuincitur imperfecta, sed iniustitia esse, si iudicio Dei iudicetur. *Luth.*

¶ Iustitia quæuis humana (si districto Dei iudicio iudicetur) conuincitur iniustitia esse propter ipsos venialium peccatorum neuos, quibus ipsa respargitur. Veruntamen (si non simul opera quædam habeat peccati expertia) nec humana iustitia dici posset. Quamobrem & in hoc, quòd Greg. humanam aliquã iustitiam esse confitetur, comprobat eam & opera quædam habere, quæ peccato careant & in quibus omnino nulla sit culpa. Quemadmodum & alibi dicit piarum esse mentium illic agnoscere culpam, vbi nulla est. *Episc.* *Ad Augustinum Angloriũ episcopum.*

¶ Item nó dixit, aliquod meritum nostrum vitiosum, sed omne meritum vitium esse. *Luth.*

¶ Neque certe dixit omne meritum nostrum vi- *Episc.*

tium esse, sed viro sancto Iob ita videri. Sic enim alter Sanctus vir, quia omne meritum virtutis nostrę, vitiũ esse conspicit, si ab interno arbitro districtè iudicetur. Nõ iis verbis asseritur, omne meritum iustitiæ nostræ vitium esse, sed ita conspici viro sancto, ei nimirũ, qui opera sua cuncta veritus est. At qui nec absolutè pronuntiauit hoc ipsum, sed ista conditione, nempe, si ab interno arbitro districtè iudicetur. Cæterum cur totum nostræ iustitiæ meritum, si discutiatur exactius, vitium videri potest, non semel suprà diximus. Nimirũ inter pura merita, nemo quantumuis iustissimus fuerit, non intermiscet multas veniales negligentias.

Luth. ¶ Quare his patrum & scripturæ rupibus nixus, reuoco vel modero hunc articulum hoc modo: Opus bonum optime factum veniale peccatum est secundum misericordiam Dei, sed mortale peccatum secũdum iudicium Dei.

Episc. ¶ Si bonum opus optimè factum, mortale peccatũ sit secundum iudicium Dei, cur Deus ob eiusmodi opera, non ilico suam aufert gratiam, quemadmodum pro mortalibus eum facere nemini dubium est? Verũ contra, pro bonis operibus optimè factis, innumeros constat ex scripturis Deo vehementer placuisse. Nũ non in Genesi ad Abraham loquitur dicens? Per metipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c. Aduerte quid dicit. Quia, inquit, fecisti hanc rem. Et Phinees (quemadmodum Numeri vigesimoquinto cap. traditur) pro opere quodam, quod ingenti zelo patrauit, audiuit: Ecce do ei pacem fœderis mei. Et erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelus est pro Deo suo. Sed & Deut. 12. scriptum est: Obserua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi & filiis tuis post te in sempiternũ, quum feceris quod bonũ est, & placitum in conspectu domini Dei tui. Et Ioannes dicit: Quicquid petierimus, acci-

Bonis operibus Deo placuerunt.

1. Ioan. 3.

piemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram ipso, facimus. Ecce quomodo bonis operibus placemus Deo, quæ (si fuerint vt tu dicis, secundum iudicium eius mortalia) profecto magis odio, quàm gratia digna forent.

Bonis operibus Deo placemus.

Luth. ¶ Neque enim ego tam hæreticè sum loquutus, sicut Gregorius, qui totum meritum non solum vitiosum, sed vitium esse asserit.

Episc. ¶ Nõ hoc asserit Greg. neque vsquam dicit, quòd totum meritum iustitiæ nostræ vitium sit, sed ita visum esse viro sancto Iob: Vir, inquit, sanctus, quia omne virtutis nostræ meritum, vitium esse conspicit, si ab interno arbitro districtè iudicetur. Et quid mirũ est, vt si sic illi videbatur, qui sua cuncta verebatur opera, & maximè, quum proximè antè dixit. Verè scio, quòd ita sit, quòd non iustificetur homo compositus Deo. Minima enim scintilla iustitię Dei, protinus humanam iustitiam tenebris offundit maximis, vt tota vitium putetur magis, & supplicio longe dignior, quàm vllo præmio.

Luth. ¶ Vide in quas palinodias me cogit Antichristi Romani rudissima ruditas, & impiissima impietas, qui quum sit homo peccati, & filius perditionis satisfacturus his suis nominibus, conatur nobis abscõdere peccata nostra, & secum in peccatis incrassare, & ad perditionem trahere.

Episc. ¶ Opinabar sane te nugis & conuitiis cunctis imposuisse finem, neque in his amplius verba, tempus, operas perditurum. Sic enim paulò ante pollicitus es. Sed comperio verum esse, quod in euangelio, veritas dicit: Ex abundantia cordis os loquitur. Nosti Luthere, nemo melius, quid de praua lingua Iacobus copiose disseruit. Nihil amplius hic quàm vnum istud verbum te percontabor, quod inter cætera diuus ille proposuit. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amarã aquam? Id si fieri nõ potest, quomodo putabimus ex fonte cordis tui dulcem posse fluere charitatem, ex quo tam amarulenta

Iacob. 3.

prodeunt conuitia.

Luth. ¶Quid est homo peccati, nisi qui peccare docet, qui peccata abscõdit,& iustitiam iactat, qui timorem Dei extinguit,& fiduciam operum exigit, homines superbire & præsumere facit,misericordiam & iudiciũ Dei lõge à facie nostra ponit?At hoc facit qui negat bonum opus esse peccatum,ne homines in timore & humilitate,ad misericordiam Dei vnicum refugium confugiant.Væ illi.

Episc. ¶His profecto maledictis immerito pontificem incessis Luthere. Neque enim solus ille docet,opera bona quædam carere peccato,sed orthodoxi cuncti interpretes,atque vniuersalis prorsus ecclesia.Tu nec vnum quidem producere potes qui tecum sentiat. Opus optimè factum, esse peccatum. Et certe quum hoc dicis, magnam ipse peccatoribus non peccandi solum, verumetiam excusandi peccata præbes ansam. Quod & Origenes sagaciter olfaciens, super Lucam affirmat: Qui volunt,inquit,peccatis suis ostendere aliquam excusationem, æstimant nullum esse absque peccato,hoc est, in omni opere(quod faciunt)peccare cunctos & opinantur & asserunt, quo suam pallient peccandi consuetudinem. Cæterum quis hic non videt quantum hæc verba torqueas, & per vim vel inuito conaris adaptare pontifici,quẽ hominem peccati vocas,& filiũ perditionis.Multo certè rectius vtrũque vocabulum in te competit.Primũ, quum ille sub Deo pater patrum sit, cuius & tu filius esse deberes,haud rectè filius abs te vocatur.Nã eius filij sunt omnes,quicunque catholicam ecclesiam,matrem communem agnoscunt. Et hi nimirum acquisitionis filij dicuntur,non perditionis. Nam hos Deo genuit ipsa cõmunis mater.Cæteri vero(qui vel huic patrivel matri maledixerint)Deo perditi sunt,& merito perditionis filij vocantur. Nam hi sectas perditionis(vt est apudPetrum)introducunt.Et apud Paulum filij dicuntur subtractionis in perditionẽ.Quãobrem in te rectius,quàm in pontificem hoc vocabu

Ingentem Lut.peccãdifenestram omnibus peccatoribus aperit.

Filius perditionis.
2.Pet.2.
Heb.10.

lum competit,vt perditionis filius esse voceris,nempe qui matrem ecclesiã contemnis,& patrem tuũ tantis probris,& maledictis insectaris. Secundum etiam vocabulum aptius in te quadrat,q̃ in pontificem.Nã homo peccati verius ille dicitur qui peccatũ amplificat,& qui fimbrias eiusdilatat, q̃ qui minuit,& in angustum cogit.Quum igitur tuum dogma,peccatũ amplificet,& extendat ad omnia opera,etiam quantũuis bona,pontifex autẽ cum ecclesia contrahat in angustiorem limitem,tu potius homo peccati cẽsendus es quàm põtifex.His accedit, quod tu peccandi fiduciã præbes,qui pœnam peccatis nullam deberi suades. Tu timorem extinguis Dei,qui ex ipso prostibulo,ciira conscientiæ quantumlibet excusionẽ, mittis vel sordidissimos & sceleratissimos ad ipsam eucharistiã. Tu denique nimiũ securos de Dei misericordia reddis peccatores ipsos,quos & fidei mortuæ confidentia fallis,& foues in flagitiis. Sed ista pro huius articuli confutatione sufficere putamus.

Homo peccati.

ARTICVLVS XXXIII.

Luth. HÆreticos comburi,est contra volũtatẽ spiritus.

Episc. ¶Neq; hęresis hæc neotherica est, quippe quæ multos annos iam vexauit ecclesiam.Nihil enim hæretici magis cupiunt, quàm vt suis pestiferis dogmatibus,impunè possintChristianã inficere plebem,cui deuorandæ student auidius,quàm ouibus lupi.Propter quod & lupos eos Christus in euãgelio vocat:Attendite,inquit,à falsis prophetis,qui veniũt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et quis tam imprudens est,vt lupos cũ ouibus committat?aut non potius arceat illos ab ouili.Sed inquies,Aliud est arcere,aliud interimere.Arcere licet:Nam hoc permisit Christus. At interimere non licet.Ego quidem & interimendos opinor, vt non potes aliter saluare gregem.Quam remChristus ipse mihi visus est,aperte satis indicasse,quando qui-

Mat.7.

Interimẽdi hæretici vbi non aliter tueri poteris gregem.

Universidad de Deusto Biblioteca

dem & rapaces lupos vocauerit eos. Quis enim rapacem lupum (vbi gregi metuit suo) non prius occiderit, quàm sinat oues ab ipso dilaniari? Quis est qui nesciat, quod pastori charior esse debet suarum ouiũ salus, quàm luporum vita? Quamobrem quum alterutros perire necesse sit, hoc est, aut oues, aut lupos, quid stolidius cogitari potest, quàm ita lupis indulgere, vt gregis tandem vniuersi iacturam patiaris? Id quod hauddubie futurum est, si lupos non interimeris. Et vt istis lupis nemo prudens pastor ita fauere debet, vt interim oues pereant, ita nec hæreticis parcendum est, ne per eorum viruléta dogmata depereant orthodoxi. Nam hæreticorũ sermo multo perniciosior est hominibus, quàm ouibus lupi. Sermo enim illorũ (vt ait Paulus) velut cancer serpit. Quod genus morbi, nisi quàm primum ei subueniatur, vt nullum admittit remedium, ita nec hæreticorum sibilus (vbi semel eius virus per aurem ad cor penetrauerit) remedium accipit vllum. Nam irremediabiliter (vt Hieronymus ait) mentes auditorum vulnerat. Quamobrem si liceat, ferasnon arcere solum, sed etiam interimere, ne pecudibus noceant, multo magis id licebit de hæreticis statuere, ne tantum animabus Christi sanguine redemptis, inferant perniciem. Nam, qua, precor, alia ratione Christiano gregi contra lupos istos succurrere poteris? Num censuris ecclesiæ? Sed has ipsi contemnunt penitus. An amissionis rerum suarum metu? Sed isti nec Deum, nec homines metuunt. An exilio? Sed per literas hæreses disseminare suas poterunt. An carceribus? At custodes crebro per illos corrupti sunt. Breuiter, quodcunque locorum viuere permittantur, nunquam ab eorum dẽtibus tuta fuerit Christiani gregis salus. Cæterũ quibus articulum istum rationibus confirmat Lutherus, iam attendamus.

2. Timot. 2.

Luth. ¶ Primum ab experientia totius ecclesiæ probo, quæ ab initio sui vsque huc nullum combussit hæreticum, nec aliquando comburet. Mirum autem esset,

in tot seculis non esse aliquos combustos, si voluntas spiritus hoc voluisset.

¶ Multa sunt Luthere, de quibus mirari possum, quæ tamen haud satis iustam probationem faciũt eorum quæ cupimus. Mirum est etenim, ꝙ citra, quàm Ananias & Saphira propter fraudẽ pusillæ pecuniæ factam, morte mulctati sint, de nemine altero per tot annos sic vindicatum legitur. Et tamen hoc nõ probat, quin illud processerit ex voluntate spiritus. Tu prius rationem redde, cur vsqueadeo sæueram vltionem in principio nascentis ecclesiæ, & ob rem tam exiquam spiritus ille sumpserit, quum tamen citra id temporis nihil eiusmodi factum ab eodem legatur. Et ego tibi subinde referam, cur tandem post tot annorum curricula, spiritui placuit, vt in hæreticos tam seuiret animaduerti constitueretur. Hæretici nimirũ in re longè maioris momenti, quàm pecunia sit, hoc est, orthodoxa fide Christianorum animos circunueniunt, ac miserabiliter interimunt. Id quod cuiuis Christiano videri debet incomparabiliter grauius, quàm fraudare quosuis, quantumuis maxima pecuniæ summa. Sed & istud item respondere possumus, quod & Augustinus Donatistis respondit, ad Bonifacium scribens: Obiecerant enim illi, quòd per apostolos nunquam ab imperatoribus aut regibus terræ, fuerat petitum, vt vim inferrent hæreticis. Quibus & Augustinus ait: Quis tunc in Christum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem legis inferendo seruiret? Quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gẽtes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnũ aduersũ dominum & aduersus Christum eius? Nondum autem agebatur, quod paulo post in eodem Psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges domino seruiũt in timore, nisi ea quæ contra iussa domini fiunt,

Episc. Act. 5.

Sæuera vltio spiritus in nascente ecclesia.

Responsio Augustini Donatistis de vi hæreticis inferẽda.

religiosa seueritate prohibendo atque plectendo!

Aliter seruit Deo rex quia rex est, aliter quia homo.

Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter. Quia vero etiam rex est, seruit, leges iusta præcipientes & cõtraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra Dei præcepta fuerant constructa destruendo. Sicut seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit Darius, idolum frãgendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor, de quo iã diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt reges, in quantum sunt reges, quũ ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Quum itaque nondum reges domino seruirent temporibus apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus eum, & aduersus Christum eius, vt prophetarum prędicta omnia complerentur, non vtique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum volueba tur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut prædixerat Christus. Et Gentes fremuerunt aduersus Christianos, vt omnis patientia martyrum vinceret. Posteaverò quàm cœpit impleri quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi. Quis mente sobrius, regibus dicat: Nolite curare in regno vestro à quo tueatur vel oppugnetur ecclesia domini vestri? Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse, siue religiosus, siue sacrilegus, quibus lici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, quum datum sit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur. An fidem non seruare leuius est, animam Deo, quàm fœminam viro? Hactenus Augustinus. Donatistis respondet, & in eodem opere dicit:

4. Reg. 18.

4. Reg. 23.

Dan. vlt.

Dan. 3.

Ioan. 16.

Psal. 71.

Cogunt multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum. Quo factum est, vt quum mitiora medicamina nihil omnino profecissent, ad acerbiora tandem necessitas ecclesiam adegit. Hæretici primum amissione pecuniæ mulctati fuerunt, quemadmodum Aug. illic ostendit. Ait enim: Piissimæ memoriæ Cæsarem Theodosium, in omnes hæreticos legem promulgasse, ꝗ singulus quisque decem auri libris mulctaretur. Post hunc & alii quoque grauiores adiecerunt pœnas, vt exilii, & bonorum omnium amissionem, sperantes ita pestem istam reprimi posse. Cæterum interea virus hoc serpebat in Christianos, nec vllum proficere medicamen potuit, quandiu superstes remansit hęreticus. Nullus grex (quantamuis curæ suæ vigilantiam adhibuisset pastor) ab hęreseos infectione pestifera tutus esse potuit. Quocirca necesse fuit, aut per supplicium mortis, hæreticos auferre, aut neces animarum innumeras & quotidianas sustinere.

Grauioribus morbis acerbiora addũt pharmaca.

Qualis fuerit olim hæreticos animaduersio.

¶ At dicent, Constantiæ, Ioannes Huss, & Hieronymus de Praga exusti sunt. Respondeo, Ego de hæreticis loquor.

Luth.

¶ Nec solos istos memorabunt, sed præter hos alios item haud paruo numero, quos in variis mundi partibus fuisse combustos apertissimum est. Sed & Ioannem VViclefum magnum illorũ parẽtem, hic prętermittis, cuius apud nos cadauer (postquam exhumatus fuit) erat ignibus iniectum. Et hos (quanquam ipse nolis id agnoscere) palam est hæreticos fuisse. Quod vel ex Tertulliani descriptionib⁹ facile monstrabo. Sic enim ipse libro de præscriptionibus hæreticorum eosdem variis describit coloribus. Imprimis (inquit) quis cathecuminus apud eos, quis fidelis incertum est. Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Ecce color vnus quo depinxit hæreticos, qui quidem adamussim non illorum solum, verumetiam tuæ doctrinæ congruit. Nullis enim sacramentis potestatem ipse tribuis quàm fidelis à cathecumino dis

Episc.

VViclefus neothericorũ ãtesignanus.

Tertul. colores aliquot, quibus Lut. suiq; similes tam pulchre exprimit q̃ oli Apelles Venerem.

Primus.

criminetur,sed vniuersos fide metiris,solam fidem af-
ferens cũcta præstare.Sequitur & alius color in Ter-
Secundus. tulliano.Etiam Ethnici si superuenerint, sanctum ca-
nibus & porcis margaritas,licet nos versis iactabunt.
An non & hoc tibi cum illis commune est? Asseris e-
nim sceleratissimos peccatores (modo fide accesse-
rint)secure posse diuinum istud percipere sacramen-
Tertius. tũ.Sola,inquis,fides facit eos puros & dignos.Sequi-
tur tertius apud eundem. Simplicitatem volunt esse,
prostrationem disciplinæ,cuius penes nos curam le-
nocinũ vocant.Nunquid & tu dicis optimam ad hũc
modum pœnitentiam,nouam esse vitam,vt neq; satis-
Quartus. factionem vllam fieri permittas?Sequitur quartus.Pa-
cem quoque passim cum omnibus miscens. Et istud
vobis conuenit,qui nullas excommunicationes fieri
sustinetis.Prolixum foret vniuersam eius descriptio-
nem recensere,sed paulo post sequitur & quintus.
Quintus. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces,quæ audent
Mulier Luth. absoluere pōt,pariterque synaxi conficere. docere,contendere,exorcismos agere,curationes re-
promittere,forsitan & tingere.Tu vero Luth.quid nō
cum VViclefistis istis audes permittere mulierib⁹?Pu-
cer,inquis,aut mulier,& quilibet Christian⁹ absoluere
potest. O rem pudendam, & Christianorum auri-
O digna magistro disciplina. bus penitus execrandam.Sed & alibi testaris,eosdem
itidem eucharistiam posse conficere.Sequitur in Ter-
Sextus. tulliano sextus. Ordinationes eorum temerariæ. Et
paulo post. Nam & laicis sacerdotalia munera iniun-
gunt. Num & tibi laici cuncti sacerdotes non sunt?
nempe per illud Petri:Vos estis regale sacerdotium.
Septimus. Sequitur in eodem septimus color.De verbi admini-
stratione quid dicam?cum hoc sit negotium illis non
Ethnicos conuertendi,sed nostros euertendi.Et hoc
Luthere vobis semper studium fuit, vt hos (qui verè
orthodoxi sunt)ad vestra dogmata peruerteretis.
Octauus. Sequitur paulo post octauus. Cæterum, nec præsidi-
bus reuerentiam nouerunt. Qualem te quæso, non
solum isti quos recensuisti, sed & VViclefus tuus at-
que etiam tu ipse Luthere,summo pōtifici Christi vi-

carlo cæterisque præsidibus ecclesiæ reuerentiam
exhibetis.Vbique dilucidum est ex libris vestris, vt
nihil mihi necesse fuerit impræsentiarum aliud me-
morare.Sequitur in eodem nonus.Denique penitus *Nonus.*
inspectæ hæreses omnes in multis, cum authoribus *Lutheri & suis maioribus dissidiũ.*
suis dissentientes deprehendũtur. Et tu profecto ma-
le coheres,cum illis magistris tuis.Nam vt cætera ta-
ceam,tibi verũ Christi corpus in eucharistia est,quod
illis solum creditur esse figura. Illi primatum,vtcun- *Decimus.*
que tolerant summi pontificis,tu nihil ei censes dese- *Hæret. deũ timendum negant.*
rendum.Postremus color quo depingit eos Tertull.
est.Negant hæretici Deum timendum, itaque libera
sunt illis omnia & soluta. Et tu Luthere,timorem do-
ceri prohibes, amorem solum inculcans. Sic enim a-
mori totũ tribuis,vt timori relinquas nihil.Quadrat
igitur in te & tuos, hæc hæreticorũ descriptio,quam
Tertullianus nō heri tradidit, sed retro non paucos
annorum centenarios.

¶Nam Ioānem Huſs & Hieronymum viros catho- *Luth.*
licos combusserunt,hæretici ipsi & apostatæ & Anti-
christi discipuli,vt ex superius dictis patet.

¶Non est hoc nouum Luthere, ꝙ orthodoxi vo- *Episc.*
bis hæretici putantur.Sic Marcionitæ fecerunt & Va- *Marcionitæ*
lentiniani. Vtrique se catholicos & orthodoxos dici *Valētiniani.*
voluerunt,cæteros appellarunt hæreticos.Sic Noua-
tiani se catharos, hoc est puros, vocant, cæteros om- *Nouatiani.*
nes impuros.Sic Arriani cunctos(qui vere orthodo- *Arriani.*
xi fuerunt)criminabantur, tanquam fidei scriptura- *Donatistæ.*
rumque peruersores. Et Donatistæ se solos in eccle-
sia fuisse prædicabant,cæteros omnes foris ab eccle-
sia.Et ſmodi calumniis hęretici semper suã improbi
tatem defendere moliti sunt.Et tu Luth.patrũ tuorũ
vestigiis incedens,nunc eos qui(quantũ ad doctrinã
fidei spectat)vere catholici sunt,hęreticos & aposta-
tas atque discipulos Antichristi facis. Ac ediuerso,
quos ecclesia pro hęreticis condemnauit,tu catholi-
cos appellas.Sedvę its(inquit Esaias)qui dicũt bonũ
malum,& malum bonum, ponentes lucem tenebras,

& tenebras lucem. Sed nihil aliud esset, nisi quod approbas istos quos ecclesia tot patribus congregatis, carbone notauit, hoc vnum sufficeret ad tui condemnationem.

Luth. ¶ Quorum exemplum & multi alii homicidæ imitati, in diuersis locis sanctos Christi exusserunt & occiderunt, inter quos Hieronymus Sauanorola, cum suis numerandus videtur.

Episc. Hieron. Sauanorola, quare exustus. Idē ille Luth. assertiōes condemnat. ¶ Hieronymum Sauanorolā non ob id exustum opinor, ꝙ cōtra fidem quicquam publice docuerit, sed propter contumaciam & excommunicationis contemptum. Satis enim ex libris (quos æ didit) exploratum est, neminem tuas assertiones condemnasse magis, quàm Hieronymum illum. Quod & erit perspicuum, si quis per singulas decurrere velit, præter vnam illam de excommunicatione. Nam Romanum pontificem vbique caput totius ecclesiæ fatetur. De sacramentis per omnia catholicè loquitur. De sacerdotio, de eucharistia, de pœnitentia consentit cum patribus. Nihilque prorsus in eius doctrina reprehendi meretur (quoad meminerim) præter hoc solum, quod ad excommunicationis articulum attinet, quodque tam aperte se contumacem præstitit contra censuras ecclesiæ.

Luth. ¶ Secundo ex scriptura. Esaiæ. 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.

Episc. ¶ Significatur his verbis diuturnitas pacis, quæ facta est nato seruatore nostro Christo Iesu. Propterquod & Hieronymus hunc locum interpretatus, ait: Omne bellandi studium vertetur ad pacem. Et pro discordia, erit in toto orbe concordia. Gladii mutabuntur in vomeres, & lanceæ in falces. Vt omisso furore bellandi, agriculturæ seruiant, & vberrimas falcibus messes secent. Et paulo post: Veteres reuoluimus historias, & inueniemus vsque ad vicesimum octauum annum Cęsaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudęa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita vt cederent & cederentur. Orto autem domino seruatore quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio. Et euangelicæ doctrinæ pax Romani imperii pręparata, tunc omnia bella cessauerunt. Hæc Hieronymus. His ergo verbis non interdicitur, quo minus de hæreticis iustum per ignes sumatur supplicium.

¶ Eiusdem. 11. Non occident, & non nocebunt in vniuerso monte sancto meo. *Luth.*

¶ Neque is locus quicquam prohibet, quo minus exurantur hæretici. Nam de regulo & aspide, cæterisque venenatis, aut feris animantibus (de quibus antè loquut' est) intelligi debet. Nocere (inquit Hieronymus) & occidere nequaquam poterunt venenata prius animalia, eos qui habitauerunt in monte sancto Dei, quod interpretatur ecclesia. De quo in euangelio dicitur: Non potest ciuitas abscōdi super montē posita. At ne hoc putemus dici de monte Sion iuxta Hebræorum errorem, sequenti versiculo euangelicæ prædicationis sacramenta monstrantur. Quia repleta est terra scientia domini. Hactenus Hieronymus. Ecce iis qui scientiam habent domini, nihil nocere potest aspidis aut reguli venenum, neque tales regulus aut aspis occident, quandiu velint ecclesiæ cohærere. Et quid per regulos aut aspides intelligi magis debeat quàm hæretici? qui viruleto sibilo stultorum animas interimunt. *Episc.* *Mat. 3.*

¶ Et Christus apostolis nihil prorsus armorū commisit, nec aliam pœnam imposuit, quàm vt haberetur pro Ethnico, qui ecclesiam non audiret. Matthęi decimooctauo. *Luth.*

¶ Iam ad consuetam redis dialecticam. Sępe diximus, argumento negatiuo nihil confici. Quid enim si Christus non exurendos hæreticos instituerit? Num ob id pastor vigilans eo patietur impune Christi gregem deuorare? Parum equidem istud prudentiæ boni pastoris conueniret. Sed & Christus eccle- *Episc.* *Matt. 11.*

ſiæ ſuæ multa permiſit inſtituenda, de quibus ipſe nihil ante tradidit. Quamobrẽ nec ſatis efficaciter colligis iſtud minime debere fieri, quod Chriſtus ante nunquam inſtituit. Sed & illud potius erat oſtendendum, vbi Chriſtus idvetauerit vſquam. Simul & iſtud conſidera, quid fecerit Chriſtus nummulariis in templo ſedentibus, & iis qui columbas illic vendebant. An non flagello de funiculis facto cecidit eos, ac fugauit è templo ſubuerſis eorum menſis & cathedris? quod ſanè pluſculum eſt, quàm tãquam Ethnicos habere, qui nummulariis hoc fecerit, quod is hæreticis tot animarũ necatoribus, quas & ipſe tam charè mercatus eſt, non feciſſet?

Luth. ¶Et Apoſtolus Tit. 3. hæreticum hominem vitari docet, non occidi iuſsit armis vel igne.

Epiſc. ¶Et hæc argumentatio ex eadem dialectica proficiſcitur. Non iuſsit Paulus, inquit, hęreticos igne vel armis occidi, quare nec occidendi ſunt. Sed reſpondeo. Nec Paulus iuſsit ſuſpendi furem, & tamen niſi per leges in furtum animaduerteretur, nulla foret ciuibus, vel in oppidis, tuta ſecuritas. Et ſanè quemadmodum Reip. neceſsitas exigit, vt patibulo fures adiudicentur, ita & publica ſalus animarum expoſcit, vt ad ignis ſupplicium condemnentur hæretici.

Luth. ¶Et ad Corint. dicit: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant.

Epiſc. ¶Fieri non poteſt, quin ſint hæreſes. Nam vt nemo poteſt ex horto ſuo malam omnem herbam proprius euellere, ſic nec ex eccleſia penitꝰ eradicare quis poterit omnem hæreſim. Naſcũtur enim hęretici ex malo ſemine, quod diabolus in eccleſię agro ſeminauit, nec deinceps vnquam extirpari potuerunt. Agãt magiſtratus quicquid velint, exurent & mactent hęreticos, non efficient tamen, quin ex eorum cineribus

Vnde oriũt hæretici.

1. Cor. 11. naſcantur & alii. Nec iis verbis iubet Paulus, vt hæreſes tollerentur, nec cẽſet hæreticos ingenio ſuo permittendos. Sic enim Hieronymus hũc locum edidiſſe rit: Non hoc, inquit, dicit apoſtolus, quia debent eſſe

hæreſes: ſed quia Corinthii inter ſe ſciſſuras habebant, & ideo dicit, Oportet hoc eſſe, & neceſſe eſt hæreſes eſſe. Sicut ſi dicas: Ille qui tantum bibit, neceſſe habet inebriari. Sic & Paulus dixit: Quia tales conditiones habetis, neceſſe eſt vos etiam vſque ad hęreſes peruenire. Hæc Hieronymus.

¶Sed quid hic dicet, Domine ſanctiſsime, Sanctitas veſtra. Lucæ vndecimo: vbi diſcipuli volebant ignem de cælo deducere, & ciuitatem perdere, compeſcuit eos CHRISTVS, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus filii ſitis, non venit filius hominis animam perdere, ſed ſaluare. *Luth.*

¶Facile reſpondebit ſanctiſsimus, Iacobum & Ioannem, hic à Chriſto iure fuiſſe reprehẽſos. Quoniã iſtud vindicandi ſtudio fieri petierunt, non ob ſalutem animarum. Cæterum non ita reprehẽdendi ſunt magiſtratus, qui de hæreticis eo ſolo intuitu ſupplicium ſumunt, ne multarum animarum ſalus periclitetur. Nec habet id locum, quod illic obiecit Chriſtus: Non venit, inquit, filius hominis animas perdere, ſed ſaluare. Nam hac via nõ paruus animarum numerus ſaluatur, quas certum eſt alioqui fuiſſe perituras. At ſpes eſt, inquis, vt reſipiſcat hęreticus: nulla penitus. Et maxime, poſtquam ſemel aut iterum admonitus, non emendauerit ſeſe. Nam is (vt ait Paulus) euerſus eſt, & ſuopte iudicio condemnatus. Quando igitur nulla ſpes eſt, vt hęreticus ab errore ſuo reſipiſcat, quin veriſimiliꝰ eſt, vt innumeros ſecũ trahat in perniciem, quis, cui ſalus animarum cordi eſt, illum diutius cuperet eſſe ſuperſtitem? At in clementia eſt (inquis) hominem ignibus tradere. Non refragor, modo nihil idipſum fuerit meritus, talisq; ſit, cuius vita vel ſibi, vel aliis eſſet profutura. Sed eiuſmodi hominem cuius vita prolixior, tam ſibi quàm cæteris, ſummam eſſet allatura iacturam, nec ei temporarię ſolum, de qua minus eſſet curandum, ſed & omnium pretioſiſſime, hoc eſt rectę in Deum fidei, talem inquã ſeruare non inclementia ſolum, ſed ſumma foret crudelitas.

Epiſc. Iacob. & Ioannes iure à Chriſto correpti.

Lucæ. 9.

Optima via ſeruãdi aĩas

Titum. 3.

Impium eſt nõ cõburere hæreticos.

An non multis partibus præponderat gehennæ supplicium, cuiuis cruciatui, qui potest in hac vita cogitari? At hoc quanto prolixius viuere sinitur hæreticus, tãto sibi cumulatius augeat, necessum est. Quam ob rem si diutius fore superstes permittatur, tam suo damno, quàm cæterorum pernicioso dispendio tolerabitur.

Luth. ¶Hoc est, quod & ego dixi, & dico. Christo magistro, eos qui igne persequuntur homines, nõ esse boni spiritus filios. Cuius tunc? mali spiritus, qui erat homicida ab initio.

Episc. ¶Quid mali spiritus erat in Christo, quando flagris è templo nũmularios eiecit, columbarumque ce cidit venditores? Nihil omnino, quin potius eximia charitas. Quid item in Petro, quando de Anania & Saphira sumptum fuerit mortis suppliciũ? nihil quoque malitiæ sed salutis alienæ studium. Non illorum exemplo terrere voluit cæteros, & pluris faciendos ostendit, aliquot animarum millenarios, quàm vnius homũculi, suæque consortis salutem. Et in magistratibus identidem, qui publicæ quietis studio malefictores patibulis affigunt, & maioris faciunt vnius oppidi, imò regni tranquillitatem, quàm paucorum hominum vitas, nihil maligni spiritus esse putatur, sed amoris potius & charitatis erga Rempu. exhibitio. Et demum qui membrum putridum, & toti noxium corpori, quum desperatur in illo sanitas, gladio rescindit, & à reliquo separat corpore, multorum membrorum saluti consulit, & pluris facit totius corporis incolumitatem, quàm vnius membri vitam cæteris nocituram. Propter quod & Hieronymus ait, Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereãt. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, per totum orbem eius flamma populata est. Et alibi clamat: Quæ est ista misericordia, quæ ista bonitas, vni parcere, & omnes in discrimen

Matt. 11.

Actu. 5.

Mẽbrũ putridũ ĩmedicabile à corpore secãdũ est nõ fouendum.

Arrius.

adducere. Hæc Hieronymus.

¶Christus non voluit vi & igne cogere homines. *Luth.*

¶Nec istud in primordio nascentis ecclesiæ congruum fuit, quando per stultos conuertere sapientes, & per imbelles voluit robustos ad fidem trahi. *Episc.* Nunc vero qui sunt ad fidem conuersi, hi cogendi sunt, quatenus in fide persistant. Quod si prauis erroribus, aut suam aut aliorum peruertant fidem, postquàm semel aut iterum admoniti non emendauerint sese, tanquam insanabilia membra (quæ cęteris quoque perniciem allatura sint) gladio secularis potestatis resecanda sunt. Ad quid enim gladium alioqui portat secularis potestas, nisi ob salutis publicæ communes hostes interimendos. Nam & hæc potestas à Deo est, neque sine caussa, vt Paulus ait, gladium portat. Quod si liceat potestati seculari, ob salutem Reipublicæ temporariam, neci dare salutis huius perturbatores, quanto magis id facere potest ob salutem spiritalem, quæ & æternæ salutis initium est. Quamobrem & hęreticos, qui salutis huius inimici capitalissimi sunt, quique pestifero suorum dogmatum sibilo Christianorum animos interimunt, mox vt incorrigibiles reperti fuerint, huius potestatis imperio sunt reprimẽdi, vel gladio vel igne tollendi penitus.

Secularis potestas gladiũ ad q̃d portat.

¶Dedit ob id gladium spiritus, vt in hoc pugnarent, qui sui spiritus filii sunt. *Luth.*

¶Dedit vtique gladium hunc, quo pugnaremus aduersum incredulos. Verum vbi certo cõstiterit, hoc pugnandi genere nos nihil profecturos, quin magis & ipsis hæreticis, & nostratibus obfuturos ilico recepti canendum est. Quod & non solum ex illis (quæ superius recensuimus) Tertull. admonuisse liquet, verumetiam ex iis quæ sequuntur. Quid promouebis (inquit) exercitatissime scripturarum? Quum si quid defenderis, negetur ediuerso. Si quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentionem. Nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Ille vero, si quis est (cuius *Episc.* *Tertullian.*

Universidad de Deusto Biblioteca

caussa in cõgressum descendis scripturarum) vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreses diuerget, hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse, æquo gradu negandi & defendendi diuersa parte statutum. Certe & pari altercatione, incertior, discedet nesciens quam hæresim iudicet. Hęc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere nobis potius adulteria scripturarum, & expositionum earum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in iis constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Hæc Tertul. Ecce quàm paucis armaturam, in qua confidis, vobis abstulit penitus.

Tertul. loricã hæreticis detraxit.

Luth. ¶At gladium spiritus, quod est verbum Dei, Dominus papa cum suis papistis, subter scamnum inter blattas & tineas posuerunt.

Episc. ¶Quid isti faciant haud scio, fuerunt tamen ante hæc tempora sanctissimi patres, qui singulis dominicis, ad populum Homilias declamitarunt. Extant enim ad hunc diem eorum conciones, pręsertim Leonis & Gregorii, quas & in ecclesiasticis officiis legimus. Quod si recentiores pontifices id officii non præstiterint, hoc aut multitudini negotiorũ (quibus obruuntur) ascribi debet, aut si culpa fuerit, non ea sedi culminíve apostolico meretur imputari, sed iis, qui desidia quadam negligunt munus hoc obire, tamsibi quàm suis apprime frugiferum.

Luth. ¶Et rursum facti sunt robusti venatores, & Nimroddi in terra, qui denuo in deo Chaldæorum, qui Vr seu ignis fuit, omnia quæ volunt faciunt. Ne quid Babylon nouissima discrepet à Babylone prisca. Illa exusit patres Christi, ista exurit filios Christi. Et vtriusque idem deus Vr, semper vrit & sæuit.

Episc. Hæret. traduntur potestati seculari ¶De cæteris eorum factis (quorum sum ignarus) nihil disputo. Verum, quod liceat pontificibus, eos, qui de hæresi post abiurationem eius, denuo conuicti sunt, potestati tradere seculari, satis opinor dilu-

cidum est ex iis quæ superius disseruimus. Nec si potestas secularis tales hæreticos exurat, ꝓpterea Christi filios putabitur exussisse. Nam eiuscemodi diabolii filii sunt, non Christi. Diabolus enim mendacii pater est, & illi probe patrissantes, errores & mendacia de scripturis sacris fingere non erubescunt. Et volũt hoc impune licere sibi. Prætexunt enim pietatem, quum sint ipsi tamen animarum sæuissimi deuoratores. Venient (inquit Christus) ad vos in pellibus ouium, intrinsecꝰ autem sunt lupi rapaces. Et quid sunt istæ pelles ouium, nisi Christiani nominis forinseca superficies? Quid lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli, quibus ad infestandum CHRISTI gregem intrinsecus inhiant? Volunt igitur hi lupi specie quadam clementię, suis parci corporibus cum ipsi tamen oues & gregem Christi plus quàm crudelissime dilaniant. *Mat. 7.*

¶Sed ipsi quoque in suis sacerrimis Canonibus, prohibent clericis arma, & clericum foro seculari traditum, volunt per ecclesiam efficacibus precibus redimi à morte. Verum iis verbis ludunt in mortibus innocentum. *Luth.*

¶Haud recte vocas eos innocentes. Nam haudquaquam innocentes hi sunt, qui potestati sic traduntur seculari, sed ab innocentia quàm longissime distant. Nec verbis ludit pontifex, imò sertò res agitur. Didicit enim ecclesia tandem, quòd his (qui relapsi sunt) nullum adhiberi medicamen possit. Multis etenim ac variis hoc negotium ecclesia tentauit modis. Primum certe cuiusdam pecuniæ mulcta, deinde bonorum omnium amissione, tertio per carceres, quarto per exilium, quinto per pœnas quascunq; forum seculare duxerit infligendas, sic tamen vt vita seruetur hęretico. Cæterum, cum pontifices nihil his modis se profecisse comperissent, verũ contra potius in Mãdrabuli morẽ (quod aiunt) rẽ in deterius ꝓcessisse, nec dominicũ gregem ab illorum rabie quouis pacto tutum seruari potuisse, quandiu superstites hæ *Episc.* *Quàm varijs ecclesia modis hæreticos reuocare tentauit.*

retici fuissent, decreuerunt tandem, vt relapsi, & super hoc conuicti, sine omni audientia, seculari potestati traderentur, quemadmodum extra de hæreticis in ca. Ad abolendam, aperte liquet. Porro, ꝙ ais eos velle clericum foro seculari traditum, per ecclesiam efficacibus precibus à morte redimi, nusquam id scriptum inuenies, præterquam in ca. Nouimus, de verborum significatione, quod neutiquam de singulo degradato loquitur, sed falsario, aut grauiter flagitioso, qualis & hæreticus esse potest, qui post primam condemnationem persistit in hæresi, nec animam habet ad ecclesiam redeundi. Eiusmodi si clericus fuerit, primum degradari debet, subinde vero degradatus, potestati tradendus est seculari (quemadmodum extra de hæreticis cap. Excommunicauimus, proditum est) animaduersione debita puniendus. Pro hoc (quandiu non constiterit eum fuisse relapsum in hæresim, quantumuis aliàs grauiter deliquisset) ecclesia potest efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum sententia (quæ per seculares in eum lata est) moderetur. Cæterum de relapso, ne verbum quidem habetur in toto ca. Nouimus.

Pro clerico non relapso, ecclesia intercedere pōt.

Luth. ¶ Nam interim papa clericorum princeps cum omnibus regibus cruentissime belligeratur, imò quæ strages non illius imperio fiunt? Quando non inuocat brachium seculare, & morte vtraque terret mundum? Et tamen interim clericus ipse primus non fert arma, tum efficaciter orat pro occidendis, dum instat ne mors eorum differatur, in omni orbis angulo exquisitissime perquirantur. O Satan, O Satan, O Satan, væ tibi cū papa & omnibus papistis tuis, qui tam impudenter in rebus tam seriis ecclesiæ luditis, & animas cum corporibus occiditis.

Episc. Nō laudāt pontifices belligeri. ¶ Nec ego bellorum patronus vnquam esse volo. Nec pontifices qui negotiis bellicis immiscent sese, laudarim vnquam, nisi maxima fuerint adacti necessitate. Sed ista palam est te ob id memorasse, vt pontificibus inuidiam cōfles. Verum hoc tu mihi respon-

de, quid si quispiam excommunicat' nolit à communione fidelium, & ab ingressu ecclesię cohibere sese, num pontifex id tolerare deberet? Non id dices opinor, nam isto præsente cessare debent omnia sacra. Neque tamen æquum est, vt propter vnius aut paucorum obstinatiam, cæteri qui nihil deliquerunt, mysteriorum solamine destituantur. Id quod sane fiet, nisi dum alii sacris interfint, canes etiam contra Christi præceptum, mysteriorum efficiamus participes, quamobrem & iis omnino vis inferenda est, arceriq; debent ab ædibus sacris. At quid, si multos habeant suæ contumaciæ consortes, vt nec plebanus cum sacerdotibus & clericis possit eos eiicere? An non iam aduocare necessum est brachium seculare, quatenus vi & armis illi contumaces redigantur in ordinem? Nevidelicet per eorum malignitatem omnia confundantur. An non satius est, vt isti pereant, quàm vt rebus Christianorum ordo nullus omnino seruetur? Si bella non licent, cur militibus accipere stipendia licet? Num iis Baptista non dixit: Contenti estote stipendiis vestris? Sed & Augustinus Bonifacio comiti consulere non veretur, vt bellum iustum aggrediatur. Grauiter, inquit, de pugna conquereris, dubites nolo, vtile tibi tuisque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset authoris. Hæc Augustinus epistola. 194. Quę certe moriturus haud scripsisset, nisi compertissimum habuisset Christianis licere bella. Quòd si Christianis bella nequaquā prohibeantur, quid tu Luthere sacerdotibus ipsa vetas, quum nullum inter hos & prophanos constituas discrimen? Sed opinor ad hunc articulum labefactandum ista sufficiunt.

Lucæ. 3.

ARTICVLVS XXXIIII.

PRæliari aduersus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos. *Luth.*

¶ Mihi videris hoc articulo plurimum à teipso dissidere. Quippe qui paulo posterius opinaris o- *Episc. Hic dissidet Lu. à seipso*

mnia ex mera neceſsitate prouenire, cum tamen hic diſſuadeas contra Turcas præliandum. Nam ſi cuncta quæ fiunt, abſoluta neceſsitate fiant, non eſt in arbitrio noſtro ſitum, an præliabimur nec ne, ſed neceſsitas ad hoc ipſum nos impellit & adigit. Quãobrem ſi neceſsitas eſt ꝓ præliemur, fruſtra diſſuades, quo minus id faciamus. Quoniã ſi poſſum⁹ iſtud nõ facere quod ſuades, hoc eſt non præliari, iam non eſt abſolute neceſſariũ, vt præliemur. Et cõtra, ſi nõ poſſumus non facere, iam omnino fruſtra diſſuades id à nobis fieri. Atq; ita prorſus cohærent hę tuę aſſertiones, nempe ꝓ à bello turcico licet abſtinere. Et ꝓ oia neceſsitate quadã abſoluta proueniũt. Sed hac ratione nec medicorum ope, cõtra morbos & peſtes vti licebit, neq; aduerſus famẽ & cariſtiã agricularũ induſtria. Nã hęc ex Deo noſtras iniquitates viſitante ſæpius immitti, æquè atque de Turcis, credendum eſt. Quamobrẽ ſi repugnare Deo creditur quiſquis Turcis aduerſatur, & his item reluctari Deo putãdus eſt, qui famem, ignem, peſtem, morbos, ac cętera id genus mala fugare molitur. Adde, ꝓ nec aduerſus carnis ſomitem quicq̃ reluctari licet, quando propter peccatum datus nobis à Deo ſit. Eſt enim ipſe ceu tyrãnus quidam ad noſtrũ exercitiũ à Deo miſſus, & in pœnã & vindictam peccati primi, quiq; bellum indeſinenter gerit aduerſus ſpiritũ noſtrum. Quamobrem & ſi iuxta rationem tuam ei reſtiterimus, Deo videbimur repugnare. Ad hęc, ſi poſſeſsiones noſtras vel bello defendere licet aduerſus Chriſtianos (quẽadmodum ſuperius oſtendimus licere non ſolũ ex Aug. teſtimonio, verumetiam ex Baptiſtę doctrina, quam ipſe militibus tradidit) quanto magis hęc aduerſus Ethnicos & Turcas facere poterit? Licebit igitur aduerſus Turcas præliari. Nec Deo repugnare putandus eſt quiſquis idipſum aggredietur. Cæterum q̃ parum validæ fuerint argumentationes, quas ꝑ huius articuli probatione Lutherus adducit, iam experiamur.

Lucæ. 3.

Luth.

¶ Et hunc probo duplici experientia infœlicitatis noſtræ. Prior eſt, quòd hactenus nihil habuimus proſperum aduerſus Turcam, & vires eius atque imperium noſtris bellis aucta ſunt in immenſum. Vbi ſi Deus non eſſet contra nos, & Turcam non haberet pro virga iniquitatis noſtræ, longe aliter ſors cecidiſſet. Adhuc tamen obſtinata cæcitate, opera Dei non agnoſcimus.

¶ Sed hæc probatio parum valida eſt, quum falſum aſſumat, nempe, quòd hactenus aduerſus Turcam nihil habuimus proſperum. Teſtantur enim hiſtoriæ, cum aliis temporibus, tum ſub Vrbano ſecundo, Balduinũ Siciliam, & Bohemundum Antiochiam, ambos egregios duces, è Turcarum manibus recuperaſſe. Et rurſum ſub Paſchali ſecundo Hieroſolymas fuiſſe captas, Gothifredumque Chriſtianorum omnium conſenſu, regem illic fuiſse conſtitutum. Sub Eugenio deinde quarto Ladiſlaum Hungarię regem, Amurati Turcarum imperatori armis & bello tam ſtrẽnue reſtitiſſe, vt is campo cedere cogeretur. Sed & ſub Calixto tertio Mahumetes Amuratis illius filius & ſucceſſor apud munitiſsimum Belgradi oppidum, copiis eius omnibus tum præſentibus per Ioannem Huniadem, parua manu cruce ſignatorum, fugatus fuit. Sed & Caſsianus (quem Calixtus authoritate ſua mouit, vt bellum in Turcas verteret) prælia multa proſpere geſsit, cum Othomani ducibus. Nam vno prælio triginta millia Turcarum, & altero quadraginta millia cæſa ſunt. Falſum igitur eſt, quòd nihil hactenus habuimus proſperum aduerſum Turcas. At finge rem ſic ſe habuiſſe, finge nihil proſperum ſucceſsiſſe Chriſtianis. Neutrum tamen ex eo recte colligis, vel ꝓ non liceat Chriſtianis cum Turcis congredi, vel ꝓ Deus rebus aduerſetur noſtris. Conſtat enim ex lib. Iudicum, ꝓ præliantibus filiis Iſrael aduerſus tribum Beniamin, ob illud memorabile ſcelus in vxorem cuiuſdam Leuitæ commiſſum, tribus ipſa bis aut ter præualuit. Et tamẽ Iſraeli Deus ita fauit, vt non ſolum eis licuit, imò conſultum fuit, qua-

Episc.

Victoriæ Balduini in Turcas hierosolymæ captæ.

Amurates Turcarũ imperator à Ladislao fugatus Mahumetes à Ioã. Huniade profligatus.

Prosperæ Caſsiani cũ Turcis pugna.

Iudic. 20.

Quomõ fuſsi ſunt filij Iſrael.

Mẽdacissime oggãnit Luth. Christianos nihil spsperũ adversum Turcas habuisse Luth.

tenus aduersus Beniamin conflictarẽtur. Fallit igitur prior experientia, quã pro articuli huius confirmatiõe producis. Nam (vt hoc exemplo dilucidum est) Israelitici bis aut ter à fratribus suis fusi sunt, & superati. Nec tamen ob id illicitũ illis fuit, aduersus istos arma sumere, neq; Deus illorũ cœptis aduersabatur.

¶ Preter hęc non dedit nobis Deus hactenus, nisi votum & iactantiam belli in Turcas suscipiendi. Toties conuentum est, toties consultum, toties propositum, & palpauimus vota nostra, imperante Deo irrita fieri, donec Turcis in fabulam venerimus, dicentibus, nos bullis & literis veniarum bellare.

Hebræi trib° potissimũ ex caussis ab hostib. supati Christiani quarealiquã do victi. Cõstãtinop. p Mahum. quarecapta.

¶ Liquet ex Hebræorum historiis, eos tribus potissimum ex caussis hostibus succubuisse. Aut ꝓ negligentia desidiaque sua, passi sunt hostes aduersum se præualere, aut ꝓ libidinibus deditos, & diuina contemnentes mãdata, Deus eos flagellari permisit. Aut demum ꝓ successibus suis nimium gloriãtes, non diuinæ gratiæ, sed propriis viribus victorias (quas pepererunt) adscripserint. Horum exempla passim in scripturis occurrunt. Nec sane dissimilibus ex caussis fit, vt Christiani toties ab hostibus superentur. Sępe negligentia desidiaque nostra vincimur. Sic enim & Constantinopolis olim Bisantium dicta per Mahumetem capta fuit, dum cęteri Christiani nullam huic vrbi voluissent opem ferre. Nõnunquam ex eo, quod luxum, libidinemque sequuti, vitam suam milites in offendiculum Christiani nominis fœdissime cõspurcarunt. Quæ res in illa expeditione, quæ sub Vrbano aduersum Turcas facta est, multarum cladium occasio fuerat. Aliquoties vero quum de prospero successu iperbientes, propriis viribus nõ Deo gratiam pro victoriis detulerimus. Quod malum Ioannem Huniaden. post clarissimas de Mahumete partas victorias, adduxit in perniciem. At quum nihil horum in caussa fuisset, nunquam aduersum Turcas non prosperare dimissum est, vsqueadeo, vt immẽsas eorum copias, exigua Christianorũ man° diuinitus ad-

Immensæ Turcarum copiæ exigua Christianorũ manu fusæ fugataęq̃.

uota sæpius fuderit fugaueritque. Quæ res apertissime docet Deum nostra vota iuuaturum, si à vitiis resipiscẽtes, dignos ipsi nos præstiterimus, quibus opẽ ipse laturus esset. Cæterum si Christiani Turcis hactenus haud restitissent, sed permisissent, omnia quæ cũque libuisset facere, quãtula, quæso, pars Europæ nobis hodie superesset? vsqueadeo sane profecerũt Turcæ, vt etiam Italiæ nonnulla parte potiti fuerant. Verum opitulãte Christo, simul & milite Christano strẽnue rem agente, protinus eiecti sunt.

Turcæ Italia expulsi.

¶ Altera vero infelicitas, maioris dedecoris & ignominiæ, quod tot iam annis passi sumus nos deglubi per impostores & legatos Romanos, toties ad bellum Turcicum, indulgentiis ac facultatibus impudentissimè venditis, pecuniam & substantiam nostrã deuorantes, quem vidimus non solum non venisse, quo mendaces illi & fallaces homines, vẽturam promiserunt, sed etiam in turpissimas eorum libidines & pompas profusam.

Luth.

¶ Pecunia certe cum primis opus erit, si quando bellum cum Turcis gesturi sint Christiani. Nam ea neruus belli dicitur, quam & ab vnaqualibet natione Christiana, conuenit in hoc negotium suppeditari. Neque collectionis fiendæ quisquam author magis idoneus habendus est, quàm summus põtifex. Sed & cum ista contributio, res non omnino nullius meriti sit, quid malum est, si contributuris venię mediocriter concedantur. Nã easalicuius momenti esse superius constitit. Postquam autem collectio pecuniæ facta sit, si per improbos in libidines & pompas turpissime sit profusa, hoc nõ eorum tollit meritum, qui pridem contulerunt. Nam & si collecta (quam Iudas Machabæus duodecim millium dragmatum argenti fecerat ac miserat Hierosolymas) aut altera quam fecit Paulus, illic itidem mittenda, in manus improborum præter ipsorum institutum venisset, ac in vsus fuisset distracta nefarios. Num ob id vel illi perperã fecissent hanc collectionem promouendo, vel hi, qui

Episc.

2. Mach. 11
2. Cor. 8.

Bellum aduersum turcas necessarium.

suas in idipsum portiũculas elargiti sunt, retributione (quam expectarunt à Deo) fuissent frustrati? Neutrum opinor dicendum esse. Quamobrem nec altera ipsa experientia, quam attulisti, magni cuiuspiam pŏderis est, vt bellum contra Turcas ineundum dissuadeas, quando iam satis exploratum est, vt bellum eiusmodi pro salute Christianorum vsqueadeò necessario suscipiẽdum sit, vt nisi suscipiatur, verisimile fuerit rem Christianam propediem in summas angustias esse credendum.

Luth.

¶ Verum hæc minor querela, hoc demum omniũ atrocissimum & intolerabile, quod nos indulgentiarum negotio fallacissimo, primum in anima, seu bruta pecora falsis persuasionib⁹ occupauerũt, & seduxerunt ad vniuersam nostram substantiam compilandam, donec eo ventum sit, vt ne altare quidem sit reliquum, quod non seruiat Rom. auaritiæ, semper nouis excogitatis imponendi artibus.

Episc. De indulgentiis.

¶ Negotium indulgentiarum non esse fallacissimum, suprà satis opinor, cõstitit. Neque vllis vnquam, aut cauillis, aut argutiis efficies, quin plusculum authoritatis Petro, suisque successoribus Christus hac sua pollicitatione contulerit, nempe, Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis, quàm illa, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sic vsus ecclesiæ catholicæ tenet. Sic plurimæ sanctorũ patrũ interpretationes docent. Sic & pŏtificum non minus vita q̃ eruditione clarissimorũ cõcessiones dilucidè testantur. Quando igitur pro nobis tam clara sunt testimonia, frustra calũnias istas aduersus indulgentias nectere moliris. Quid enim, si quidã ad auaritiæ suæ satietatem explendam, & ad vniuersam Germanorũ substantiam cõpilandam his abusi fuissent? Num iisdem propterea nõ posset alius recte vti? An non satis apertum est vsibus hominum vsqueadeò nihil esse cõducibile, quo quis abuti non posset? Quòd si nihil in vsus hominũ recipi debeat, præter id quod nemo posset abuti, nec igné, nec aquã admitteremus.

Abusum nõ obesse indulgentiis.

Vnum hoc admiror, ꝙ te nõ pudet, tot & tam eximiis pontificibus (de quorum vitæ sanctimonia nemo dubitat) vsum huius negotij, ꝙ vsqueadeo fallacissimũ affirmas, obiicere, nec vereris asserere tot grauissimos patres falsis persuasionibus suis occupasse, seduxisseque Christianorum animos. Atque id quidẽ ob suam explendam auaritiam. O frontem prorsus inuerecundam, & temeritatem nimis quàm insanam.

Impudẽtia Luth.

¶ Sic in vindictam iniquitatis nostræ, dedit nobis Deus è Roma truculẽtiores, cruentiores, insaturabiliores Turcas, quàm illi vnquam fieri possunt.

Luth.

¶ Ah, iam tandem intelligo quid velis. Non tã studes ne bellum aduersus Turcas geratur, quàm ne pecunia sub prætextu belli Turcici è Germanis tuis expiletur, hoc est, ꝙ tibi tam odiosum efficit bellum aduersus Turcas. Ob quod & lõge paratiorem te video, qui cum Romanis, quos & multis malis nominibus infamas, prælium ineas, quàm cum Turcis ipsis. At ni velis agnoscere, plurimũ inter hos & illos interesse, vereor ne te malitia prorsus excæcauit. Sũt enim Romæ, quantum audio, viri complures tum doctrina, tum sanctitate cõspicui, quibus (quicquid erroris in curia fuerit) nihilo minus quàm tibi molestum est. Cæteris vero licet vita non omnino probata sit, eandem tamen habent nobiscum fidem, & sacramentorum communionem, à quibus longe Turca abest. Nec est cur illos truculẽtiores aut cruentiores quàm Turcas voces, quum in nulla re vobis noceant, nisi ꝙ pecuniæ subsidium à vobis postulant. Quam nisi cõtuleris, futurũ est, vt non pecunia solum, verumetiam patria, simul & vita vobis per Turcas eripiãtur. Exẽplum vobis esse potest magna pars Europæ quam à Christianis abstulerunt Thracia, Macedonia, Achaia, Mysia superior & inferior, aliæque prouinciæ multæ, quæ dudum Christianorũ fuerant, nunc autẽ per Turcas occupantur. Et qui has incolebant Christiani partim cæsi, partim acerbissimę seruitutis iugo subacti sunt. Tanta fuit illorum in Christianos, & tã tru-

Episc. Pecunia, bel li turcici dissuadendi vanica Luth. caussa.

Magna pars Europæ per Turcas occupata.

Immanis Turcarum in Christianos crudelitas.

culenta crudelitas, vt ſtuprare matronas, virgines rapere, fœdare ſanctimoniales, adoleſcentes trucidare, pueris ad turpitudinem abuti, infantes à matronarũ gremiis ad cædem & cruorem abſtrahere, prægnãtes demum fœminas vnà cum fœtibus interimere, nihil miſerebat. Quid templa ſacra memorem, quæ ſuis abominationibus Turcæ polluerunt? quid diuorum ſtatuas, quas in fruſta diuiſerunt? quid Chriſti ſaluatoris noſtri, ſuæque genitricis imagines, quas non ſolum pedibus turpiſsimè conculcarunt, verumetiã luto deturparunt & ſtercore? Hæc nimirum & alia multo plura, quàm iam otium commemorare ſinit, Turcas in maximum Chriſtiani nominis opprobrium feciſſe compertiſsimum eſt. Nec eſt, quòd ſperetis eos vobis futuros mitiores, ſi non à veſtris oppidis arceantur vi armata, robuſtaque manu.

Luth. ¶ Adhuc peiores hi Turcæ nos inſenſatos, præſtigiis ſuis incitant aduerſus meliores Turcas tantum vt interim omnia noſtra conficiſcentur, ſub titulo belli Turcici. Et in iis omnibus non eſt auerſus furor domini, necdum intelligimus manum Dei percutientis nos in corpore & anima, per hos Romanos turciſsimos Turcas?

Epiſc. Catalogus ſanctorũ põtificum qui bellũ Turcis inferẽdũ principes Chriſtianos hortati ſunt. ¶ Mirum eſt, quòd te non pudeat iſta proferre, quum nihil erga vos vnquam, his, quæ iam diximus, Romani ſimile fecerunt. Et niſi corpora ſimul & animas in burſis & ſcriniis ſuis habere putes Germanos tuos, non intelligo, quem in modum per Romanos Deus vos in corpore ſimul & anima percutiat. Nihil enim præter pecuniam à vobis exigitur, quã & hi põtifices (quod palam eſt viros ſanctiſsimos) fuiſſe à cæteris nationibus ob communem Chriſtianorum rem, partim defendendam, partim repetendam, poſtulârunt. Et vt ab Vrbano ſecundo incipiam, quem Platina ſcribit virum fuiſſe tam doctrina, quàm vitæ ſanctitate, vel ſummo magiſtratu digniſsimum. Is anno domini ſupra milleſimum. 84. cõcilium habuit apud clarum montẽ, in quo principes Chriſtianos ad bellũ

Vrbãn.ij.

aduerſum Turcas ſuſcipiendum animauit, in quo negotio mirifice quoque profecit. Poſt hunc Paſchalis *Paſchal.ij.* ſecundus pontifex factus bello cœpto fauit, quem & Platina diuinitus electũ fuiſſe tradit, diuque renuiſſe munus pontificium, nec ante ſuſcepiſſe quàm à populo ter acclamatum fuiſſet: Sanctus Petrus nobis Rauerim (hoc in illi nomen erat) virum optimum põtificem elegit. Subinde Gelaſius, quẽ Platina (ſi quis, *Gelaſius* vt ait, vitam eius continentiſsimam, ſi mores, ſi doctrinam inſpexerit) virum ſanctiſsimum omnique laude digniſsimum aſſerit. Is non diu poſtquam aſſumptus fuiſſet in pontificem, Balduinum literis & nũciis adhortatus eſt, vt Turcarum & Saracenorum impetum tam diu ſuſtineret, quoad in Aſiam noua ſupplementa mitterentur. Calixtus quoque ſecundus, quem de *Calixt.ij.* Deo deque hominibus bene meritum Platina tradit, habito Laterani noningentorum patrum cõcilio, ex eorum aſſenſu decreuit, vt primo quoque tempore ſupplementa militiæ iam deficientis, Chriſtianis in Aſia bellum gerentibus ſubminiſtrarentur. Qua ſpe (vt idem platina ſcribit) electus Balduinus Hieroſolymitanus rex, Gazin regem Turcarum minorem Aſiam incolentium, cum magno exercitu in ſe mouentem ſuperat, & captum in carcerem coniicit. Damaſci quoque regem, Hieroſolymas cum exercitu hoſtili animo petentẽ, fundit, fugatque duobus milibus hoſtium cæſis, milleque captis. Eugenius item tertius, *Eugen.iij.* quem idem Platina teſtatur Cardinales nutu diuino percitos delegiſſe, nauigio poſtquam electus fuiſſet, ad Gallias ſe contulit, vbi Ludouico Galliarum regi perſuaſit, vt cruce ſignatus aduerſus Turcas proficiſceretur. Poſt hos Lucius tertius, quem & virum opti- *Lucius.iij.* mum Platina vocat, concilio Veronæ habito, Chriſtianos principes adhortat' eſt, vt noſtris in Aſia pro fide Chriſti laborantibus ſuccurreretur, nulla de ſuis iniurtiis (quæ & grauiſsimæ fuerant) mentione habita. Subinde Gregorius octauus vir vtiq; ſanctiſsim', *Greg.viij.* vt Platina ſcribit, poſtquam omnium conſenſu pon-

tifex creatus esset, statim nuncios & literas apud prin
cipes Christianos mittit eosdem cohortatus, vt viri
bus omnibus vnà secum comparato exercitu terra
mariq́ue Hierosolymam ab hostibus captam recupe-
Clemens.iij rarent. Rursus Clemens tertius vir sanctissimus, & re
rum ecclesiasticarum componendarũ studiosissimus,
plerosque principes Christianos excitauit, vt arma su
merent aduersus Turcas, quorum de numero præci
pui fuere, Fœdericus imperator, Philippus Franciæ,
Richardus Angliæ reges, & Oddo Burgundiæ dux,
subsequẽtibus (vt ait Platina) multis episcopis, archi-
Celest. episcopisq́ue. Celestinus item tertius, vir insigni pie
tate (si Sabellico credimus) & cui vni præ cæteris cu
ra semper hæsit animo, vt Hierosolymam ex impiorũ
manibus extorqueret, ingentem pecuniæ summam
Richardo Anglorum regi misit in subsidium, qui tum
Inno.iij. Hierosolymam oppugnabat, inde Turcas exturbare
molitus. Innocentius insuper tertius, doctrina mori
busq́ue insignis, Cardinalium omnium consensu põ
tifex acclamatus, bello Asiatico sic adiecit animum,
vt Germanos propter Henrici mortem in Asia tumul
tuantes literis, nuntiis, præmiis, pollicitationibus in
Honor.iij. officio retinere non grauaretur. Honorius identidẽ
tertius (quem Platina bene beateq́ue vitam, & vt bo
num pastorem decet, duxisse scribit) Ioannem Colũ
nam cardinalem ad res Asiæ componendas legatum
cum ingentibus copiis, quas Innocẽtius ad eam rem
collegerat, misit, in quo negotio mirifice profecisse
traditur. Nimio sane tædio lectores afficerem, si cæte
ros omnes commemorare vŏluero, nempe Gregoriũ
nonum, Innocẽtium quartum, Alexandrum quartũ,
Gregorium decimum, Ioannem vigesimum secũdum,
Martinum quartum, Nicolaum quartum, Innocentiũ
sextum, Vrbanum quintum. Quos omnes & viros o-
ptimos ac belli Asiatici studiosissimos historici fuisse
tradiderunt.

Luth. ¶ Quid ergo dicam ego quando hic video plus q̃
quadragintos prophetas Baal suum Achab circum-

stare, & vt ascendat in Ramoth Galaad suis prophe-
tiis animare, & omnia prospera ei nuntiare? Forte si-
cut Michæas, qui & ipse odiosus erat, quia non pro-
phetabat nisi malum, dicam & ipse meo Achab. Ite
præliamini contra Turcas, vt resistatis virgæ Dei, &
cadatis sicut & ille cecidit.

Episc. ¶ Quis te prophetam cõstituit, nescio, nisi forsan
te spititus quisquam malus inuaserit, quẽadmodum
Saul. 1. Reg. legitur, quòd inuasit eum spiritus Dei *1.Reg.18.*
malus, & prophetabat in medio domus suæ. Sic & tu
te tibi prophetiæ spiritum arrogas apud tuos. Porro
nullus Romanorum pontificum (quoad audierim) si-
bi prophetiæ munus vsurpauit. Quamobrem tu vi-
deris, ne sis ex eorum numero de quibus in euange-
lio Matthæi Christus dicit: Multi dicent mihi in illa
die, Domine domine, nónne in nomine tuo prophe- *Mat.7.*
tauimus? At illis ipse respondebit: Nun quã nouiuos.
Vnum ausim asserere, quicquid ipse fueris vaticina-
tus, multis patrum centenariis olim visum fuisse per-
quam necessarium, vt aduersum Turcas bellũ à Chri
stianis gereretur. Quod ni suscepissent, nihil vero
dissimile est, hodie rem Christianã multo (quàm sit)
minorem esse. Nam si vel Amurati, vel Mahumeti, vel
Othomano nulla manus armata mox opposuisset se-
se, profecto (ni Deus nobis tulisset opem) de re Chri
stiana iam penitus fuisset actum.

Luth. ¶ Quanto rectius faceremus, si primum orationi-
bus, imo totius vitæ mutata ratione, Deum propi-
tium faceremus?

Episc. ¶ Nemo qui sapit, iam huic tuæ sententiæ refraga
bitur. Nam vita per austeritatem pœnitentiæ primũ
emendanda est, ac subinde clementissimus Deus o-
rationum sedulitate nobis est conciliendus. Hæc ni-
mirum via sæpius expertum est, Christianos aduer-
sus Turcas profecisse. Sic enim Innocẽtius tertius fie *Inno.iij.*
ri mandauit, quòd singulis mensibus, seorsum viris à
fœminis constitutis, supplicationes ad Deum fierent
pro terræ sanctæ liberatione. Singulis quoq; diebus

inter sacrorum solennia, publicas omnium prostrationes in terram cum Psalmo: Deus venerũt gentes, fieri decreuit. Indixit item orationi ieiunium, quo facilius ipsa penetraret ad conspectum Dei. Calixtus quoque pontifex tantam in precationibus fiduciam posuit, vt mandauerit in meridie campanarum sonitu signum dari fidelibus omnibus, quatenus orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas assidue dimicabant. Ob quam rem, Platina se credere dicit publicis illis precibus Christianos ad Belligradum contra Turcas dimicantes, eosdem ingenti clade superasse. Sed & Cassianus, qui Calixti suasu bellũ contra Turcas iniit, post egregias partas victorias ad pontificem scripsit, se tantum de Turcis reportasse successum ob preces à Christianis ad Deum habitas. Da mihi tales pontifices qui precationes assiduas fieri procurent. Da militem qui (quod Bonifacio comiti cõsuluit August.) manibus arripiat arma, orationeque pulset aures authoris. Da tertio ducẽ qualem historiæ tradũt Gothifridum fuisse, qui (quum Hierosolymorum esset rex constitutus) ab ambitione tam alienus fuit, vt aurea recusaret vti corona in ea vrbe, in qua Christus fuerat spinis coronatus. Si tales duces, tales milites, talesque pontifices haberemus, nemini dubium sit, quin cuncta nobis aduersus Turcas prospera succederent. Cuius rei vel vnicam hanc experientiã vicissim opponam tibi. Quum olim vniuersam illã terram (quæ sancta dicitur) amiserim, & Turca eam integre cum adiacentibus insimul possideret, an non ad Vrbani põtificis exhortationem, cruce signati milites intra paucos annos eam, eiectis inde Turcis, recuperarunt? vsqueadeo, vt Hierosolymis Christiani circiter annos centum regnarẽt. Alter post alterum, ne inde per Turcas aut Saracenos euelli potuerant, donec mutuis tandem inimicitiis & odiis ab inuicem seiungerentur.

Calixtus meridianum cãpanarum sonitum instituit.

Cassian.

Gothifridus.

Vrban.

Luth. ¶Tũ idolo illi Romanus Cæsar & principes modũ ponerẽt tyrannidis, illusionis, perditionis animarũ.

¶Nunquam desinis pontificibus conuitiari, quin semper eos, & rabidissimè quidem probris ac maledictis insectaris. Id quod si feceris in vnum aut alterum è pontificibus, cuius vita publicitus esset detestabilis, vix tolerabile foret. At quum in omnes indiscrimina tim, & contra sedem illam (in qua tot olim sanctissimi pontifices successerant) oblatres plus quàm cynice, quis æquanimiter hoc ferre potest? Nemo certe qui Christianus & in Christũ fidelis haberi velit. Sedes illa nec paruo numero pontifices habuit doctrinæ præcellentis, simul & vitæ probatissimæ, qui nec illusioni, nec animarum perditioni studuerunt, quorum gesta si cum Cæsaribus conferas, non erit, cur negotium turcicum & pecuniẹ collectam, his, quàm illis credas potius. Nulli quoque huic negotio magis restiterunt, quàm Cæsares ipsi, neque maiorem in collectis fraudem fecerunt. Nam Fœdericus eius nominis secũdus, postquam suscepisset profectionem in Asiã aduersum Turcas, direptis Christianorũ bonis, ægritudinemque & ventos excusans, Brundusium rediit. Moxque bellum contra pontificem Gregorium nonum mouebat, conductis in hoc Saracenorum copiis, quibus & vsqueadeo fauebat, vt vrbem & magistratũ eis donauerit in Italia. Sed & quum Ludouicus Galliæ rex ad exhortationem Innocẽtij quarti in Asiam cõra Turcas esset profectus, idem Fœdericus sic totã Italiã assiduis peruexauit bellis, quò minus ipse Gregorius ex Italia promissas copias mitteret ipsi Ludouico. Prætereo quot incommoda Cæsares plerunque Christianis illuc proficiscentibus intulerint, & variis affecerint damnis. Neq; enim otium est vt omnia cõmemorem. Sed istud ex prędictis satis dilucidum esse potest, quòd si belli huius aliquando suscipiendi necessitas immineat, nemini potius quàm põtifici pecuniæ collecta credi debeat.

Fœdericũ fraus.

¶Nam vt & ego propheté semel, licet non audiar, quod scio, nisi Rom. pontifex redigatur in ordinem, actum est de omni re Christiana, fugiat sicut Christus

Luth.

docuit, in montes qui poterit, aut vitã homicidis Romanis cum fiducia offerat in mortem.

Episc. Suppresso papa nihil non contemptum erit.

¶Et ego vicisim ausim prophetare, quòd si Rom. põtifex in vllum ordinem redigatur, quem tu cupis, hoc est vt nihil pre cæteris sacerdotibus, aut laicis habeat authoritatis de tota re Christiana breui penitus actum erit. Si nemo præsit vt caput, qui reliquo posset consulere corpori, quid aliud expectare possumus, quàm vt hæreticis, nedum Turcis præda simus omnes futuri? Tum certè nec montes ipsi nobis erunt tuti, quò confugiamus. Nam & si Deus nostri misertus, Turcarum in nos malitiam refrenet, ne trucidet corpora, multò perniciosius adhuc discrimen ab istis animicidis hæreticis imminebit, qui sanguinem animarum nostrarum sitiunt insatiabiliter, quique truculentiores, cruentiores, insaturabiliores in animas nostras sunt, quàm in corpora Turcæ.

Luth.

¶Nihil nisi peccatum & perditionẽ papatus operari potest. Quid vis amplius?

Episc. Papatus aliud est q̃s perditio & peccatum.

¶Nimis quàm temerarium est istud asserere, quòd papatus nihil præter peccatum & perditionem operatur, quum nemo non scit, qui pontificum vitas euoluerit, quin fuerint optimi sanctissimique viri complures, qui munere illo fũcti sunt. Et vt de cæteris taceam qui præcesserunt Siluestri tempora, de quibus nemo dubitat, quin fuerint sanctissimi, quandoquidem & martyres ferme cuncti fuerunt, illos memorabo, qui post Siluestrum successerunt, inter quos & Celestinus eius nominis primus, præter peccatum & perditionẽ, præclara quædam opera gessit, nisi præclarum opus fuisse negaueris, ingentium heresum cõfutationem. Nam eius tẽpore Nestorius habita synodo ducentorũ patrũ apud Ephesum condẽnatus est. Similiter & per Germanũ Antisiodorẽsem episcopũ, quem in Britanniã misit, hæreticis inde fugatis, insulares ad catholicã fidem redegit. Scotisque subinde fidei doctrinam optãtibus, Palladium episcopũ dedit, ac demum eius studio magna pars Occidentis (vt Platina tradit) ad fidem cõuersa est. Hæc Luthere pluscum aliquid fuerunt præter peccatum & perditionẽ.

Ante Siluestrũ ferme oẽs fuere martyres.

Post Siluestrum complures optimi sanctissimiq̃ viri fuerunt.

Celestin. 1.

Hæresis Nestoriana.

Post hunc successit Leo primus, cuius sanctitas tanta fuit, vt in concilio Chalcedonensi summa patrum omnium concordia, ter sanctus acclamatus est, eiusq; monitis Attilam obtemperasse ferunt, ne captam Romam deleret funditus. De qua re quũ Attila rogaretur à suis, cur ita fecisset, respondit oportere sic fieri, quando medio affatu, duo sibi visi fuissent dextra leuaque viri, pro pontifice astare, qui strictum sibi ferrum intenderent, si non illius dicto temperasset. Dãnauit & is pontifex Euticem simul & fautorem eius Dioscorum in cõcilio Chalcedonensi, cui. 630. antistites aderant. Sed & Acephalorum hæresim multis epistolis ad Christi fideles scriptis, acerrimè confutauit. Ioannes item primus quòd Arrianis non fauisset, in carcerẽ à Theodorico detrusus est, vbi pedore simul & inedia confectus interiit. Quam Theodorici sæuitiam vltio diuina paulo post (vt Platina tradit) est sequta. Agapetus quoque, quũ fuisset à Iustiniano Cæsare suasus, vti sententiam & doctrinam Euthicianam confirmaret, non veritus est ei respondere: Putabam ad Christianissimum principem accessisse me, sed planẽ Diocletianũ te repperi. Qua loquendi libertate percussus Iustinianus, fidem catholicam amplexatus est. De Gregorio primo nihil opus est dicere, quũ eius vita gestaque cunctis notissima sint. Sed & nimis prolixum foret de cæteris catalogum retexere, quandoquidẽ ex historiis cõstare poterit plurimos fuisse pontifices, qui nõ peccato & perditoni, sed è diuerso saluãdis animabus enixissimè studuerunt, vt planè si non fueris impudentissimus hunquam ista dixisses.

Eutices hæreticus.

Ioannes 1.

Agapetus

Greg. 1.

Luth.

¶At quis rediget eum in ordinem? Christus illustratione aduentus sui, & non alius. Domine quis credidit auditui nostro?

Episc.

¶Non est vt credamus auditui nostro, quum hæc hauddubie nõ aliunde, q̃ ab ipso diabolo audieris. Is enim in aures tuas instillauit, papam Antichristum

esse. Propter quod, & autumas ea (quę de Antichristo scripta sunt) ad illum pertinere, quum tamen alio lõge spectant. Neque hæc ideo dixerim, quod nolim aut pontificem aut aulam eius reformari, si quid in eorum vita fuerit è doctrina Christi discrepans. Multa vulgus in eos obloquitur, quæ si vera sint, haud scio. Relatione tamen constanti res hæc asseritur ita se habere. Vtinam (si quid eiusmodi fuerit) ipsi seipsos reformarent, & à pusillorum animis tollerent offendicula. Nam omnino verendum est, nisi quàmprimum id fecerint, vltionem diuinam haud diu defuturam. Nec sanè conueniret, vt Cæsar aut laici principes id negotij tentarent, & illos ad frugaliorem viuẽdi normam adigerent. Docuit hoc exemplo sui Cæsar Constantinus vir sanctissimus, qui mutuas episcoporum criminationes suis manibus oblatas ignibus iniecit, dicens: Haudquaquã se decere iudicare Deos nimirum pontifices innuens. De quibus intelligi potest? Diis non distrahes. Sunt enim vice Dei iudices hominibus constituti. Sed nolim confidant omnes alios Cæsares eiusmodi se præbituros, quibus non inest ille spiritus.

Precatur pontificiæ aulæ reformationem.

Exod. 22.

Luth. ¶ Qui habet aures audiẽdi, audiat, & à bello Turcico abstineat, donec papę nomẽ sub cęlo valeat, dixi.

Episc. ¶ Ergo semper abstinebitur, quum absque dubio papæ nomen in ecclesia manebit, quandiu militatura sit in terris ecclesia. Oportet enim vnum præesse cæteris, à quo totius ecclesiæ res communis administraretur, alioqui tot futuræ sunt scissuræ, quot fuerint capita. Sed quoniam hac de re supra pluribus disseruimus, nolumus iam amplius remorari lectorem, quem ista, precamur, secum diligenter expendat. Primum si nemo Turcis repugnet, num credibile sit idem reliquis Europæ prouinciis propediem euenturum, quod altis pridem contigisse deflemus? Deinde cogitet num sit paranda belli materies, ne quod olim Cõstantinopolitanis vsu venerit, nos idẽtidem opprimat inexpectata clades haud dissimilis.

Expendat secum diligẽter eius lector, quæ grauia incõmoda subsequutura sint, si nemo Turcis repugnare curet.

Tertium, si parari quicquam debeat, circũspiciat, cui potius in hoc negotio credendum sit, quàm totius ecclesiæ præsidi. Nam verisimilius est hunc, rem communem fidelibus administraturum, quàm alium quẽlibet. Non solum, quòd illi commissa sit totius Christianitatis cura, verumetiam quia periculo vicinior est, & suam rem tum agi credet, dum proximus ardebit parietes. At is, inquies, patietur collectam in turpissimas libidines & pompas distrahi. Profecto si bonus est, non id patietur. Et quî scis, an quisquam alius non sit idem facturus? Quam securitatem ipse nobis de quouis alio præstabis? Quod si nullam ipse præstare poteris, & collecta prorsus fieri debeat, eaque euipiam omnino credenda sit, neque potest quisquã huic negotio magis idoneus assignari, quàm summus pontifex, cur eius moderationi de summa rei non statutur ergo non intelligo. Sed hactenus pro articuli huius conuulsione dictum sit.

Vbi possũt hæc discerni?

ARTICVLVS XXXV.

Luth. NEmo est certus se nõ semper peccare mortaliter, propter occultissimũ superbiæ vitium.

Episc. ¶ Non capio quem in modum is articulus vnum vndecimo tuo cõueniat, quò quemque prorsus à peccatis suis absolutum asseris, qui se tradiderit absolutum. Sic enim in ipsius articuli calce scribis: Crede fortiter te absolutum, & absolutus verè eris, quicquid sit de contritione. Et rursum articulo secundo sic asseris: Si confessus credat sese absolutum, verissimè est absolutus. Sufficit igitur ex iis articulis, vt quis ab omni peccato se certo sciat absolutum, si propter Christi verbum à sacerdote prolatum, se vere crediderit absolutum. Et ne quis dixerit, quod de fide saltem & credulitate sua quispiam dubius esse poterit, hunc scrupum item in explicatione decimiquarti articuli palam sustulisti. Sic enim illic affirmas, fidem autem certissimè sentire potest in corde, si eam habet.

Quãmtãdem. 25. Luth. art. cu 11. juo & 2. cõuenit.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quamobrem aut nemo fidem habet, aut si quis eam habuerit, is omnino certus & securus esse potest, ipso momento, quo per sacerdotem absoluitur, se omni penitus carere peccato. Neque enim tua sententia quanquam oportet omnia sua peccata confiteri, sed quũ credens absoluitur, tam ab iis quàm ab illis quæ confessus est, euasit omnino liber. Quæ si vera sint, falsum sit oportet, quod nemo certus est, se non semper peccare mortaliter. Tunc enim haud mortaliter peccat, quum ab omni peccato se vere crediderit absolutum. Ad hæc, de gratia quoque iuxta tuum ipsius dogma quis esse potest certus quòd eam habeat. Nam quum alibi, tum sub articulo septimo doces, eam infundi cum magna animi concussione. Sic enim ais: Sis ergo certus, dum homo conteritur, simul & gratia infunditur. Et paulò post: Probaui enim sæpius, infusionem gratiæ fieri cum magna animi concussione. Rursum sub articulo. 12. dixi, inquis, per impossibile, quia satis supradictum est, fidem sine contritione esse non posse, quum gratia nõ infundetur, nisi cum magna cõcussione animæ. Ecce fides nõ sine contritione & gratia. Quãobrem vt de fide quis certus esse potest, ꝓ eam habeat, & quòd eam certissime sentiat in corde suo, si consequẽter & certus esse potest, de gratia, quũ sine gratia fides ipsa non sit. Porrò gratia nõ secum vllo modo cõpati superbiæ culpam, quum scriptum sit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quò fit, vt cui compertum fuerit, se gratiam habere, is identidẽ certus erit, se carere superbię peccato. Sed iam Lutheri rationes expendamus.

Iacob. 4.

Luth. ¶ Si ea quæ dicta sunt in 37. & secundo, intelligimus vera esse, & hic articulus verus est.

Episc. ¶ Nos abunde satis à nobis expugnatum confidimus articulum vtrumque, quod & relinquimus lectoris iudicio. Nihil etenim sub iis efficaciter probatum est, quo necessario confiteamur, nos semper peccare mortaliter.

Luth. ¶ Si enim opus bonũ iusti, peccatum mortale est, si

ad iudicium Dei deferatur, quanto magis tota vita mortalis est, si misericordia non succurrerit.

Episc. ¶ Sequela neutiquam esset improbanda, si quod assumpserit, verum esset, nempe quod opus quodque bonum viri iusti, peccatum sit mortale. Verum istud nequaquam firmabis. Putas autem hoc ipsum ex scripturis sacris pariter & authorũ testimoniis, quę sub articulis ipsis produxeras abunde satis consequi. Sed planè falleris. Id quod ex nostra responsione cuiuis constare posse non dubitamus.

Luth. ¶ Breuiter, hic articulus non est meus, sed Iob. 9. Etiã si simplex fuero, hoc ipsũ ignorabit anima mea.

Episc. ¶ Qua (te precor) arte conficies, vt ex huius viri verbis, quæ iam exprompseris, asseueres articulum tuum? Nihil etenim cum hoc sermone cõfine tuus articulus habet. Neque enim negat his verbis Iob simplicitatem suã, sed non agnoscit duntaxat. Si simplex, inquit, fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Perinde ac si dixerit: Nolo vt simplicitatẽ (si qua in me fuerit) meus animus agnoscat, humilius vtique de meipso mihi sentiendum est, quàm vt eiusmodi quicquã de meipso cõprobem. Cæterum quanquam hæc per humilitatem vir sanctus dixit, nõ ex eo colligitur, quod in ipso mortale peccatum detulerit, imò contrarium potius inferri potest. Nam dixit: Si simplex fuero: simplex vero si fuerit vir ille sanctus (vt videri quidẽ ex hoc verbo potest) longe recessit ab eo quæuis peccati duplicitas, & ea maxime, quæ lethalis est. Quamobrem nec potest ex his verbis colligi, quòd fuerit in eo peccatum mortale.

Iob. 9.

Luth. ¶ Et Gregorius ibidem super illo, Verebar omnia opera mea, sciens quoniã non parcis delinquenti, dicit: Quia quæ aperte egerim video, sed quid intus latenter pertulerim, ignoro.

Episc. ¶ Tu particulã illic ex interpretatione Gregoriana pro tua vafricie carptim decerpsisti, qua ruã comprobes sentẽtiam. Sed nos priora quædã abs te prætermissa, non grauabimur abiicere. Nimirum tua

ſycophantia clarius intelligatur. Poſtquã enim exi-
mia quædam opera ſancti Iob Greg. in medium attu-
liſset, ſubdit tandem: Quid ergo eſt, quòd mira ope-
ra faciens, hæc ipſa etiam veretur patiens, quum di-
cit: Verebar opera mea, niſi quod in ſancti viri actib⁹
vbique colligimus, vt ſi placere Deo veraciter cupi-
mus, poſtquam peruerſa ſubegimus, ipſa in nobis etiã
bene geſta timeamus. Hæc in fine. 25. cap. Sed & pau-
lò poſt in fine cap. 26. ſubdit: Ipſa igitur bona opera
noſtra, quia inſidiantis culpæ euadere gladium ne-
queunt, niſi ſolicito quodam timore muniantur, per
ſanctum virum nunc rectè dicitur: Verebar omnia
opera mea, ac ſi humili confeſsione diceretur: Quæ
apertè egerim, video, ſi quid in eis latenter pertule-
rim ignoro. Nihil aliud quàm humilitatem his in ver
bis docere Gregorius molitur. Nimirum vt de noſtris
operibus, quãtumuis eximiis, non efferamur, ſed me-
tuamus ſemper, ne in aliquo minus rectè ſint geſta.
Non quòd nulla recte geſſerimus, ſed quòd humili-
tate quadam timeamus, ne ſint in partu prorſus peri-
clitata. Nam & alibi dicit: Piarum mentium eſt illic a-
gnoſcere culpam, vbi nulla eſt.

Quiſquis Deo placere ſtudet etiã bene geſta in ſe timeat.

Bona opera quare timenda.

Luth. ¶ Idem Gregorius apertiſsimè in fine Moralium,
Quis inter iſta remanet ſalutis locus? quando & ma-
la noſtra pura mala ſunt, & bona noſtra (quæ nos ha-
bere credimus) pura bona eſſe nequaquam poſſunt.
Quid dicis Gregori? pura bona non ſolum non ſunt,
ſed nec eſſe poſſunt?

Epiſc. ¶ Haud rectè facis Gregorium tuæ percontationi
reſpondere. Nuſquam enim hæc aſſeruit, quòd bo-
na noſtra non ſolum non ſunt pura, ſed nec eſſe poſ-
ſunt. Neque enim abſolutè bona dixit, ſed bona quæ
nos habere credimus, hoc eſt, quæ noſtro iudicio no
bis bona videntur, & approbantur. Nam in talibus
plurimum nobis placemus, & cenſemus alicuius eſſe
momenti, ac proinde facile ſuperbimus. Nam ꝗ pri-
mũ de noſtris operibus quantũuis puriſsimis ita iu-
dicemus, iam ipſo iudicio noſtro facta ſunt impura.

Ad puritatem enim operis tria quædam exiguntur.
Nempe, quòd nec lucrum ex eo ſpectetur tempora-
rium, neque laus hominum inde quæratur, nec de-
mum vt operans in eo ſibi complaceat per inanẽ glo
riam. Vt ſic in ipſo propheticum illud impleatur: Bea
tus qui excutit manus ſuas ab omni munere. Propter
quod & ipſe Gregorius libro nono Moralium capite
26. Tres ſunt (inquit) acceptiones munerum. Munus
à corde, eſt capta gratia à cogitatiõe. Munus ab ore,
eſt gloria per fauorem. Mun⁹ ex manu, eſt prẽmium
per dationem. Sed iuſtus quiſque ab omni munere
manus excutit. Quia in eo quod recte agit, nec ab hu
mano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec
à manu recipere dationem quærit. Solus ergo in Dei
opere fraudem non facit, qui quum ad ſtudium bo-
næ actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia,
nec ad laudis verba, nec ad humani iudicii gratiam
anhelat. Hactenus ipſe Gregorius. Ex quibus dilucidum
eſt, opus aliquod poſſe fieri tam purum & inte-
grum, vt in eo penitus nulla ſit fraus. Perſpicuum i-
tem eſt, quòd opera noſtra, de quibus nobis place-
mus, & quæ approbamus tanquam bona, pura bona
non ſunt, nec eſſe poſſunt.

Ad puritatẽ opis tria exiguntur.

Eſaiæ. 32.

Triplex munerum acceptio.

Opus quoddã ab omni fraude alienum.

Qua conſideratione motus Gregorius dixerat, bo
na noſtra quæ nos habere credimus, pura bona eſſe
nequaquam poſſunt. Cæterum quod ad hũc ſenſum
Gregorius hęc ipſa verba protulerit, apertiſsimum eſ
ſe poteſt, tum ex illis, quæ toto ipſo poſtremo capite
dicuntur, tũ ex verbis proxime antecedentibus, quæ
ſic introducit. Fatendum eſt igitur, ꝙ rectam quidem
intentionem noſtram (quę ſoli Deo placere appetit)
nonnunquã intentio minus recta (quæ de donis Dei
placere hominibus quærit) inſidiando comitatur. Si
autem de his diuinitus diſtricte diſcutimur, quis in-
ter iſta remanet ſalutis locus? quando mala noſtra pu
ra mala ſunt, & bona (quæ nos habere credimus) pu-
ra bona eſſe nequaquam poſſunt.

Opa quibus nobis placemus pura nõ ſunt.

De quibus bõis locutus eſt.

Ex ipſa verba quæ citaſti, quibus perſpicuum eſſe

potest, quòd non de cunctis bonis nostris loquitur Gregorius, sed de solis his quæ nos ceu bona approbamus, & de quibus placemus nobis, ob quod & dixit, Bona (quæ nos habere credimus) pura bona esse possunt. Propterea, quòd in eis nobis applaudimus, & ea bona censemus.

Luth. ¶ Damna, mi papa, damna hos sanctos viros, Iob & Gregorium.

Episc. ¶ Non est quod papa damnet istos, cum nulla in re vel sibi aduersentur, vel tuæ sententię subscribãt, quin magis articulum tuum ipsi damnent. Neque enim Iob negat quẽpiam esse posse simplicem. Quod vbi admiseris, iã ineuitabiliter sequitur eiusdem opus esse purum. Nam in euangelio Matthæi Christus asserit: Cuius oculus fuerit simplex, huius totum corpus lucidum erit, & quemadmodum Lucas adiicit, non habens aliquam partem tenebrarum. Tale nimirum opus omnino purum sit, necesse est. Et Gregorius item concedit, quempiam sic posse iustum esse, vt manus suas excutiat ab omni munere, tam proprię cogitationis, quàm alienæ laudis, atque etiam lucri temporarii. Qualem si dederis, eius opus hauddubie parum erit. Tantum igitur abest, vt hi sancti viri quicquam faciant pro articulo tuo, vt eundem efficacissime condemnent, quum ex eorum dictis palam inferatur, ꝙ iustus opera quędam potest habere pura. Cęterũ ꝙ in omni opere iustus peccet mortaliter, quẽadmodum ipse statuere moliris, ne verbum quidem ab eis eiusmodi prolatum est.

Mat. 1. *Lucæ. 11.* *Iustus opa quædam habeat bona.*

Luth. ¶ Adde his ea quæ dicta sunt, Dauid: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, vt & te damnet dominus Iesus propediem.

Episc. ¶ Quanquam huic Dauidico testimonio satis copiose respondemus, Articul. 32. iam itidem nonnihil adiiciemus. Quicunque subit iudicium Dei, de tota vita sua iudicatur. In qua, si vel minimum opus reperitum fuerit iniustum, tota vita propter hanc vnicam labeculam, si districte iudicetur, condemnari potest.

Quando igitur nemo est, qui prorsus omni peccato careat, recte prophetam dixisse credim⁹: Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sed aduerte quid dixerit: dixit enim omnis viuens, & non omne opus viuentis. Nam quid prohibet, quo minus idem iudicandus alia complura fecisset opera, in quib⁹ nihil fuisset peccati? Nã si mille quis haberet opera purissima, propter vnicam tamen peccati labem in aliquo repertam opere, Deus (modo velit vti seueritate districta) posset omnia reliqua penitus repudiare. *Psal. 142.* *Luth.*

¶ Tu doces introire in conspectum Dei superbos & qui sese damnatione dignos non esse iactitant coram eo, quem columnę cæli tremunt, & sub quo curuantur qui portant orbem, quum Dauid non sustineat iudicium eius.

Episc. ¶ Aliud est quenquam esse damnatione dignum, propter nonnulla quæ fecerit. Et aliud esse damnatione dignum, quicquid operis quiuis fecerit. Nemo enim vnquam tam pure vixit, vt nulla omnino peccati macula fuisset inquinatus. Quod & omnes orthodoxi fatentur, & summus item pontifex ipse docet. Quamobrem si secũdum iustitiæ diuinę rigorẽ quisque iudicetur, damnatione dignus videri potest. Cæterum, ꝙ nemo diuorum vllum vnq̃ opus in hac vita fecerit, quod erat expers peccati, hoc ab omnib⁹ negatur orthodoxis, & põtifex item ipse negat. Non ergo verum est quod asseris pontificem docere superbos introire in cõspectum Dei, & iactitare se non esse damnatione dignos, quum ille doceat omnes peccatores esse, & egere misericordia Dei. *Nẽo omni pctõ caret.*

¶ Et August. Væ omnium hominum vitę laudabilissimæ denunciet, hoc est optimam vitam damnatione dignam facit coram Deo. Si enim digna non est alicuius vita tali damnatione, poterit sese coram Deo sistere, & gloriari in vitæ suæ dignitate. Sed væ abominationi isti abominatissimæ, quanto impetu nos rapit in peccatum & perditionem. *Luth.*

Episc. ¶Et huic testimonio superius respondimus, articulo.32.non dixisse Augustinum, Væ singulis hominum operibus,cum & ibi confitetur matrem suã mera quædam habuisse merita,sed dixisse:Væ vitę hominum quantumcunque laudabili,quoniam nullius vita reperiri queat,quæ non quibusdã peccatis inquinata sit.Separat tamen Aug.hoc eodem loco, quo tu testimonium hoc citaras,bonos actus(quos dicit egisse matrem) à peccatis, quę fecisse non negat eãdem. Illos quidem vocat mera merita,& munera Dei, pro quibus & nomine suę matris gratias agit Deo,pro cęteris vero veniam implorat. Quanquam igitur optimam cuiusque vitam damnatione dignam Aug. asserat,modo remota misericordia iudicetur,non tamen de singulis hoc affirmat operibus, quorum quædam vocat vera merita,& munera Dei.

Boni actus nostri separãt à malis.

Luth. ¶Reuoco ergo hunc articulum, & moderor in hunc modum: Nemo non certissimus esse debeat,se semper mortaliter peccare, si sua vita ad iudiciũ Dei iustissimum comparetur, tam iniusta enim eius vita necessario est, quàm iustum est iudicium Dei, coram quo stare ipsa non potest. At ipsum est iustissimum, quare vita eius est iniustissima, soliusque misericordiæ velamento seruanda.

Episc. ¶Aliud est Luthere, de vita cuiusque loqui, & aliud de singulo cuiusuis opere, vitam nullis esse concedimus,quę non aliquo fuerit peccato contaminata,ac proinde condemnanda, si remota clementia iudicetur à Deo. Cæterum opera quædam in multis optimis viris fuisse non dubitamus, quæ peccato caruerint,& proinde pura merita sint, vt nihil propter hæc oporteat,vnumquenque in omni opere suo peccare mortaliter. Imò nec tu subterfugere poteris, quin liceat cuiuis aliquando credere, se non peccare mortaliter, præsertim in illo actu quem tu tanti prædicas,vt quisquis hunc operatur,non peccet,hoc est,quum humiliter se peccatorem agnoscit, credens per Christum à peccato liberari. Sic enim Ioannem

Vita bonis peccato non caret,at opus quoddam eo carere potest.

Universidad de Deusto Biblioteca

sibi conciliare moliris,quum duo alioqui (vt tu ais) sibi repugnantia fateatur. Nempe si dixerimus, quia peccatum non habemus,&c.Et omnis qui ex Deo natus est,non peccat,& nõ facit peccatum.Nam si mortaliter etiam ipso actu peccet, tam non est natus ex Deo, quum per hunc actum, vtpote mortale facinus alienetur potis,& inimicitior Deo cõstituatur.Quãobrem & tibi necessario confitendum est,aliquem actum esse cuiuspiam, in quo non peccet, & maxime quum in eodem Ioanne sequitur: Quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

1.Ioan.1.
1.Ioan.3.

Necessario Luthero fatendũ est aliquem actum esse purum.

¶Vt stet Paulus Rom.3.Vt obstruatur omne os,& obnoxius fiat mundus Deo.

Luth.

¶Nequaquam ex his Pauli verbis recte colligis, nos in omni opere peccare mortaliter.Neque voluit hoc Paulus, sed ꝙ omnes peccatores sumus, & nemo sit qui prorsus omnis peccati fuerit expers. Istud enim sufficit ad hoc, vt obstruatur omne os, & obnoxius fiat omnis mundus Deo. Nec oportet,vt in omni peccato peccet quisque mortaliter.

Episc.

¶Et.11.concludit omnia sub incredulitate,vt omnium misereatur.

Luth.

¶Neque istud quicquam pro te facit, nisi velis, nos adhuc incredulos esse. Sic adhuc & in singulis operibus peccare necessum fuerit, quum sine fide nihil gratum Deo esse poterit. Cæterum Paulus propterea Deum omnia sub incredulitate cõclusisse testatur, quod gentes prius fuissent incredulæ, quemadmodum & nunc vicissim Iudæi sunt. Sic enim ait ad Romanos vndecimo:Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo,nunc autem misericordiam consequuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc non crediderũt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Et tum continenter sequitur: Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. At istud ad articulum nihil facit,vt comprobet omnes peccare mor-

Episc.

Quõ Deus oũia sub incredulitate concluſit.

taliter propter occultissimum superbiæ vitium. Sufficiunt igitur ista (quæ diximus) ad articulum conuellendum

ARTICVLVS XXXVI.

Luth. LIberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

Episc. ¶ Duas partes habet is articulus. Priorem, quòd liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo. Posteriorem, quòd cum idem facit quod in se est, peccat mortaliter. Sed de priori dicemus primum. Liberum arbitrium præsumptuosis, & plus satis audacibus hæreticorum ingeniis, semper velut scopulus erat, in quem impingentes graue sunt naufragium passi. Manichæi primum duas in homine mentes faciunt, alteram quam dicunt malam, & substantiam quandam mentis aduersæ, nimirum eandem quam & nos vocamus concupiscentiam carnis. Alteram aiunt esse mentem bonam, quam & nos vocamus spiritum. Has duas asserunt in hominib° mutuum habere conflictum, cum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Peccata vero quæ fiunt, ex mala mente proficisci contendunt, nec per liberum arbitrium vitari quouis pacto. Iouinianistæ contra longe quidem ab illis dissentiunt, cum negēt quemadmodum Aug. & Hieronymus prodidere. Post hos exorti sunt Pelagiani, quorum hæresis est, & liberum arbitrium suis viribus, quodque peccatum vitare posset, neque egeat gratia qua bonum faciat, sed qua facilius operetur. Emersit demum & VViclefus, cuius sectatores asserunt cuncta necessitate quadam prouenire, & nihil omnino fieri cōtingenter, Iudāmque & cęteros peccatores, quicquid egerint, ex mera necessitate, non spontanea libertate fecisse volunt. Non recta igitur, & regia via incedunt hæretici, sed vel hac, vel illac nimium deflectētes, in scopulos incidunt. Aut enim supra modum libero conferunt arbitrio, aut contra plus q̄ oportet, detrahunt ei semp. Propter quod & Aug. hom. 53. sup Ioannē ait: Quosdam nimia voluntatis suæ fiducia extulit in superbiam, quosdam nimia voluntatis suæ diffidentia, deiecit in negligentiam. Illi dicunt, vt quid rogamus Deum, ne vindicamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in Dei est potestate? O domine, ô pater, qui es in cælis, ne nos inferas in quālibet istarum tentationum, sed libera nos à malo. Detrahit Manichęus, qui neminē asserit posse peccare. Iouinianus contra plus quam par est tribuit, asseuerans baptizatum neminē posse peccare. Detrahit VViclefus, quosdā affirmans necessitate peccare. At Pelagius contra, nimium largitur, quum dicit voluntatem, suis viribus sine gratia vitare peccata posse. Cæterum orthodoxi, nec ad leuam, nec ad dexteram declinantes, medium obseruāt tramitem, & liberum arbitrium, quædam auxilio diuinæ gratiæ facere confitentur. Nemo tamen eorum vnquam arbitrii sustulit libertatem, sed omnes eam astruunt, & concordibus animis & quàm validissime possunt. Augustin° in primis (quem tamen Lutherus inferi° pro se citat) de vera religione, capite decimo quarto sic ait: Si non voluntate malefacimus, nemo obiurgandus est omnino, aut monendus. Quibus sublatis, Christiana lex, & disciplina omnis religionis, auferatur necesse est. Ecce quàm paucis verbis Augustinus hunc articulum efficacissime conuincit. Ad quid enim obiurgatur quis, aut monetur, si non sua sponte delinquat? Immerito certe puniuntur adulteri, aut sacrilegi, si seipsos ab his scelerib° cohibere nō possent. Quòd si possint & nolint, manifestum estin iis arbitrium esse liberum. Et rursum paulo superius, Nunc vsqueadeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestū est, vt nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorū turba dissentiat.

Is articulus duas habet partes.

Prior pars, q̄ liber. arbitriū post peccatum est res de solo titulo

Iouinianistæ

Pelagiani.

VViclefus

Hæretici si bijpsi contrarij.

Peccatū esse volūtarium

Quare, aut negandum est peccatum committi, aut fa
tendum est, volũtate committi. Hæc Augustinus. Hie
ronymus quoque ad Damasum scribens, sic ait: Qui
diuisit eis substantiam. Significantius Græcè legitur,
καὶ διείλεν ἄυτοις τὸν βίον, id est, dedit eis liberum ar-
bitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viue-
ret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio
suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, vt vir-
tus haberet locum, vt à cæteris animantibus distare-
mus, dum ad exemplum Dei, permissum est nobis fa-
cere quod velimus. Vnde & in peccatores æquum iu
dicium, & in sanctos aut iustos, iustum præmium re-
tribuetur. Rursus ad Hedibiam: Deus autem æquali
cunctos sorte genauit, & dedit arbitrii libertatem,
vt faciat vnusquisque quod vult, siue bonum, siue ma
lum. In tantum autem dedit omnibus potestatem, vt
vox impia disputet contra creatorem suum, & caus-
sas volũtatis illius perscrutetur. Et in altera quoque
epistola ad Damasum scribens, sic ait: Liberũ sic con
fitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indi-
gere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo
dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm
illos qui cum Iouiniano asserunt hominem non pos-
se peccare. Vterque enim tollit arbitrii libertatem.
Nos vero dicimus hominem semper & peccare, & nõ
peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse
arbitrii. Hactenus Hieronymus. His subscribit Am-
brosius libro primo de Iacob & vita beata, ca. tertio,
inquiens: Non est quod cuiquam nostram asscriba-
mus culpam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad
culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non ha-
bent crimen, quæ inseruntur reluctantibus. Volun-
taria tantum commissa sequitur delictorum inuidia,
quod in alios deriuemus. Voluntarium sibi militem
legit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus au
ctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictum posst-
det, nisi se prius peccatorum ære eiendiderit. Quid
carnem, quasi infirmam, accusamus? Membra nostra

Viuit vnusquisque non imperio Dei, sed obsequio suo, nõ ex necessitate, sed ex volũtate

Arbitrij libertas.

Attende lector.

Hominẽ sp & peccare, & nõ peccare posse.

arma sunt iniquitatis, & arma iustitiæ. Hæc ille.
Accedit his & Leo papa, docens: Nec Iudam, nec cæ- *Leo.*
teros, qui Christo necem intulerunt, id nulla neces-
sitate fecisse, sed sua sponte & arbitrii libertate. Nun
quid iniquitas persequentium Christum ex Dei orta
est consilio? & illud facinus (quod omni matus est cri
mine) manus diuinæ præparationis armauit? Nõ hoc
plane de summa iustitia sentiẽdum est, quia multum
diuersum, multumque contrarium est, id quod in ma
lignitate Iudæorum est præcognitũ, & quod in Chri
sti est passione dispositum. Non inde processit vo-
luntas interficiendi, vnde moriendi, nec de vno ex-
titit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redempto-
ris. Non enim impias furentium manus, immisit in se
dominus, sed admisit. Nec præsciendo, quod facien-
dum esset, coegit vt fieret. Et rursum paulo inferius:
Quod itaque dominus Iesus Christus furorem fre-
mentium pati voluit, in nullo author eorum crimi-
num fuit. Nec egit vt hæc vellent, sed cessit vt pos-
sent, & sic vsus est obcæcatæ plebis insania, quomo-
do & perfidia traditoris, quem ab immanitate conce
pti sceleris & beneficiis est reuocare dignatus & ver
bis, assumendo in discipulum, prouehendo in apo-
stolum, monendo signis, consecrando mysteriis, vt
cui nihil beneuolentiæ deesset ad correctionem, ni-
hil occasionis superesset ad crimen. Hæc Leo sermo-
ne. 16. de passione & resurrectione domini. Sed &
his longe antiquior Tertullianus aduersus Marcio-
nem, lib. 2. sic ait: Nec boni nec mali merces iure pen
saretur ei qui aut bonus aut malus necessitate fuis-
set inuentus, non voluntate, in hoc & lex constituta
est, non excludens, sed probans libertatem de obse-
quio sponte præstando, vel trãgressione sponte com
mittenda, ita in vtrunque exitum libertas patuit ar-
bitrii. Si enim semel homini permiserat arbitrii liber
tatem & potestatem, & digne permiserat, sicut osten-
dimus, vtique fruendas eas ex ipsa institutionis au-
thoritate permiserat. Et rursum libro de Monogamia *Eccle. 15.*

Universidad de Deusto Biblioteca

sic ait: Qui potest capere, capiat, inquit. Idem, qui nõ potest, discedat. Discessit & ille diues, qui non ceperat substantiæ diuidendæ egenis præceptum, & dimissus est sententiæ suæ à domino. Nec ideo duritia imputabitur Christo de arbitrii cuiuscunque liberi seruitio. Ecce, inquit, posui ante te bonum & malum. Elige quod bonum est, si non potes, quia nõ vis (posse enim te si velis ostendit) quia tuo arbitrio vtrunq; proposuit, discedas oportet ab eo, cuius non facis voluntatem. Quæ igitur hic duritia nostra si non facientibus voluntatem Dei, renunciamus. Astipulatur & Chryso. homi. 60. cap. 18. super Matt. sic inquiens: Nam si malignitates à seipsis non sunt, noli tuos seruos castigare, nec vxorem si peccat increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendẽtibus inimicis infensus sis. Nam hi omnes, nisi sponte delinquãt, non punitione, sed miseratione digni sunt. Nõ possum, inquiens, ita philosophari, certe si non illorum culpa quicquam factum cõspexeris, sed quadam alia necessitate incumbente non poteris non ita philosophari. Nam quando seruus ægritudine oppressus iussa non fecerit, non modo non criminaris, verumetiam valde commiserescceris. Quare tu ipse testimoniũ perhibes nõnihil ab ipso fieri. Et paulo post: Verum inde quoq; ora istorum obruere facile possumus, non vndiq; veritatis affluunt adminicula, si eos interrogabimus, quamobrem nunq̃ seruos criminantur, si facie formosi non sint, si non procera statura, si non quasi volucres in eundo, cæteraque huiusmodi, quia videlicet natura hęc non voluntate concedunturur, immunis est ergo ipse eius culpę, quam sibi natura inuexit, nec vllus vnq̃ huic orationi contradicet. Cum igitur accusas, tunc ostendis profecto non à natura, sed à volũtate mala, quippiam processisse. Nam si quæ minimè culpamus, ea naturę delicta esse, aut saltem non voluntate testamur, patet ea solum culpari, quę volũtate cõmittuntur. Noli ergo peruersas in medium ratiocinationes inferre, nec sophismata, & o-

Chrysost.

rationis contextum telis aranearum viliorem. Hactenus Chrys. Athanasius quoque in epist. ad Ro. sic ait: Velim tamen intelligas, ꝓ quemadmodum nõ ficti ratione, sed vtentium, partim hęc vasa pretiosa reddunt, partim vilia, ex vno eodemq; luto confecta sint. Sic in hominibus nõ natura quippe, quę mater sit omnium, sed voluntas hos facit supplicio dignos, coronat illos, & præmiis. Hęc ille. Nec dissentit Dam. libro 2. cap. 26. ad hunc modũ scribens: Hęc ergo sunt quę nobis sunt adęquè contingentia, vt moueri, & nõ mouere, quippiam cum concitatione agere, & nõ agere, appetere quæ non necessaria sunt, & non appetere, mentiri, & non mentiri, erogare, & non erogare, gaudere in quibus par est, & non gaudere, similiter & in quibus minime decet, & quęcunq; sunt eiusmodi in quibus sunt virtutis & vitii opera. Horũ enim arbitrii libertatem per se, liberamq; potestatẽ adepti sumus. Et rursum, cap. 27. sic ait: Verũ homo rationalis cum sit, ducit magis naturam q̃ ducatur, quapropter appetent vbi quippiam velit potestatem habet, refrenare appetitum, aut ipsum sequi. Hæc Damasc. Porro quid aliud facit Orig. ca. quodã integro, li. 3. de principiis, vbi de libertate arbitrii tractat, quã vt ostẽdat etiam in peccatoribꝰ esse libertatem arbitrii: quod & facit tam copiose, vt & scripturas plurimas quæ maximeuidẽtur hãc libertatẽ oppugnare, clarissime dissoluat. Consentiunt & orthodoxi cæteri, cõcordibus sententiis, culpam peccandi, non in Deũ, neq; in diabolum, sed in ipsam arbitrii libertatem omnino reiicientes. Ex his perspicuũ cũctis esse potest, quid ecclesiastici proceres de libero sentiant arbitrio, nempe, ꝓ nõ solo titulo, post peccatum in hominibus maneat arbitrii libertas. Sed est aduertendum, ꝓ in scripturis libertas trifariam accipi solet. Prima libertas dici potest naturæ, quę & apud Paulũ potestas vocatur, hoc, vel illud faciendi. Iuxta quã libertatem quisque potest (vt ait Aug.) pro suo arbitrio cũcta vitę præsentis opera, quæ ex bono naturæ proficiscuntur, operari.

Athanasi.

Damascen.

Origenes.

Libertatẽ in scripturis tri fariam sumi

Prima libertas naturæ. De quibus & multa subdit exempla, tam de bonis, quàm de malis. De bonis primum, vt velle in agro laborare, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domũ, vxorem velle ducere, atque id genus similia. De malis vero subiicit, vt velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere, res alienas diripere, Deum viuentem in secula blasphemare, velle turpiter viuere, velle maleficia discere, velle inebriari, & luxuriose viuere. Quæ cuncta, libero docet August. arbitrio fieri. Sed & hac libertate, quantum ad naturæ bonum spectat, potuit Paulus mulierem secũ circunduxisse, potuit & à Corinthiis & à Thessalonicensibus, vitę necessaria postulasse. Verum (vt ait) noluit hac vti potestate. Rursum quantum ad mala, dicit idẽ ad Hebræos: Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis. Quòd si voluntariè quis peccet, non adigitur necessitate, sed sua sponte, & libero facit istud arbitrio. Palam igitur ex his est, liberam aliquam voluntatis operationem esse cunctis, qui rationis participes sunt, siue bonis, siue malis.

1.Cor.9.
2.Cor.11.
Hebr.10.

Secunda libert. gratiæ. Sed præter hanc, est & altera libertas, quæ potest libertas gratiæ dici. Nam idem Paulus ait: Vbi spiritus domini, ibi libertas. Et hæc libertas non nisi piorum hominum est, & existentium in gratia. Quanquam neque ab iis ea plene possideatur, quum nemo tam perfectꝰ hic esse possit, vt diu carere queat omni peccato. Si dixerimus (inquit ille Christo dilectissimus) quia peccatũ non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Tertia demum libertas est, quam & Paulus gloriæ libertatem appellat. Et ipsa, inquit, creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Ecce libertas gloriæ, quæ sola plena libertas est, quęque nemini mortalium in hac vita donatur, cum nemo sit hic liber à seruitute corruptionis, sed hanc in cęlis expectamus libertatem. Prima harum libertatum est, posse velle, aut nolle, quod propositum est. Secũda est meritorie

1.Cor.3.
1.Ioã.10.

Tertia libertas gloriæ.
Rom.8.

velle. Tertia demũ est, quicquid volueris, efficaciter exequi posse. Prima inquã harum libertatũ est, posse velle aut nolle quod ꝓponitur. Et hoc certe nõ nihil est libertatis, quanq̃ haud semp voluntas assequatur, quod velit. Neq; em̃ homini primo tãta fuit ante peccatum libertas, vt quicquid voluisset, potiretur, & tamen erat vere liber. Nõ admittit igitur arbitrii libertatem, si voluntas cõsequi nequeat omnia, quæ velit. Nã ea libertas solis beatis conuenit. Sed & meritorie velle, nec homo primus ante peccatũ sine gratia potuit, quod & omnes confitentur, & tamen idem (vt diximus) erat vere liber: nã fuit ei libertas ad alia multa, quanq̃ ad illud, nulla fuerat ex suis viribus absque gratia, quia nõ potuit absq; gratia mereri vitã ęternã. Sed neq; si iã quispiã in meris (vt aiunt) naturalibus à Deo crearetur, quanquam verę libertatis esset compos, haudquaq̃ posset absq; gratia mereri beatitudinem. Quamobrem nec absentia gratię, prorsus eripit libertatem. Cęterum quia peccator post peccatũ, per pręsentissimum auxilium Dei (quod vt mox dicemus nemini deest) ad gratiam se præparare potest, ex hoc nimirum ingentis libertatis esse cõuincitur. Neque enim auxilium Dei quod & cuiq; pręsens est, libertatẽ arbitrii minuit, sed adauget potius. Nec obstat, si dixeris, peccatorem absq; illo auxilio nõ posse bene velle. Non enim consequitur. Non potest absq; auxilio Dei bene velle, ergo non habet voluntatẽ liberam. Sicut nec sequitur. Homo nec velle quicquam potest absque Dei assistentia, & generali, quam dicunt, influentia, quamobrem nec liber est. Nam vt influentia illa, semper adest voluntati, ita & auxilium diuinę gratię cunctis ad manum est præsens. Et vide ne Ioannes euangelista voluit hoc ipsum, quum dixit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quibus (te quæso) potestatem hãc fecit Christus? An solis iustis? Nequaquam. Nam hi, si qui fuissent tales, hauddubie iam erant filii Dei. Quia nemo iustus est, nisi per gratiam, per quam & Dei filius identidem constituitur.

Libertas primi hois ante peccatum.

Absentia gratiæ non prorsus eripit libertatẽ

Auxilium diuinæ gratiæ cunctis ad manũ est præsens.

Universidad de Deusto Biblioteca

Peccatoribus itaque quantumuis ingentibus, hęc potestas oblata est, vt si faciant quantum in se fuerit, ad hanc gratiam consequendam, pręsto aderit auxilium Dei. Propter quod & Hilarius primo de Trinitate, fieri filios Dei, non necessitatis esse dicit, sed voluntatis. Quia proposito vniuersis Dei munere, non per naturam gignentium adfertur ea filiatio, sed voluntas præmium consequitur. Ecce quòd nemo per necessitatem Dei filius efficitur, sed potestatis eius est, an eiusmodi fieri voluerit. Vniuersis insuper hoc munus affirmat esse propositum, & non per naturam gignentium acquiri, sed per liberam voluntatem auxiliante Deo. Sed & Aug. idem asserit super Ioan. homi. 93. Audiamus, inquit, euangelistam dicentem: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate non esse, quod credimus. Verum tamen in vtroque illius beneficia cognoscamus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, & orandum, ne succumbat infirmitas. Hæc Aug. Accedit his, quòd cuiuis peccatori, nisi prorsus derelicto, liberum est suorum admissorum pœnitere. Nam alioqui non dixisset Paulus: Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te inuitat. Certe si diuina patientia nos ad pœnitentiam inuitat, non modo liberum nobis pœnitere, verumetiam eius benignitatis præsto nobis adest, vt opituletur. Ad hæc Apocal. 2. de Iezabele, quæ se propheten dixit, ac seduxit seruos Dei, scriptum est: Dedit illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere à fornicatione sua. Verum igitur vtrumque fuit, & quòd liberum isti fuerat pœnitere, si voluisset, & quòd auxilium Dei, quatenus id faceret, nequaquam illi defuerat. Quum itaque liberum sit cuiuis, per Dei auxilium de peccatis suis pœnitere, pœnitentibus vero negare veniam peccatorum nemo potest, nisi Nouatianus quispiam, vt postea dicturi sumus, quis non videt consequens esse, vt ad gratiam consequēdam se parare peccator posset. Nam si veniam peccatorum quisque pœnitens assequi poterit, & ea nemini, nisi per gratiam confertur, quomodo nō est liberum peccatori, vt se per Dei auxilium ad gratiam prēparet, & faciens quod in se est, non suis meritis, sed diuina miseratione, gratiam consequatur? Quanquam igitur postremis duabus libertatibus (quas nec Adam ad Luth. sensum ante peccatū habuerat) peccator in mortali aliquo crimine constitutus caruerit, manet tamen ei prima libertas, quēadmodum superius ostendimus. Quamobrē & prior huius articuli pars, à vero plurimum dissidet, nempe ęq liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo. Posterior vero pars tametsi fuerit à nobis superius copiose confutata, nōnihil tamen hic ob eādem conuellendā breuiter adiiciemus. Si liberū arbitriū, faciēs quod in se est, peccet mortaliter, quomodo toties in scripturis peccatores excitat Deus, vt ad se redire conentur? Nam si conantes, peccent mortaliter, profecto Deus eos ad mortale peccatum inuitat. Sed nos quibus per prophetas id faciat Deus, aliquot locos proferamus. Esaię primum. 31. Conuertimini (inquit) sicut in profundum recesseratis filii Israel. Hiere. 3. Reuertere auersatrix Israel, & non auertam faciem meam à vobis. Ezech. 18. Conuertimini, & agite pœnitētiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quid aliud his verbis prēcipitur, q̄ vt reuerti peccatores enitantur, & faciant quantum in se fuerit. Talibus inuitatiunculis referti sunt omnes prophetarū libri. Per Iohelem dicitur: Conuertimini ad me in toto corde vestro. Quod quid aliud est, quàm toto conatu vestro conuertimini. Et per Zachariam dicitur: Conuertimini ad me dicit dominus Deus exercituum, & conuertar ad vos. Ecce si peccator velit ad Deum conuerti, confestim & ad eum conuertetur Deus. Ista profectò nequaquam dicerentur, si conatus peccatoris ad bonum esset mortale peccatum, & nisi liberum esset in peccatoribus arbitrium. Similia quædam & in nouo testamento leguntur. Iacobus ait: Appropinqua-

Fieri filios Dei non necessitatis est sed voluntatis

Rom. 2.

Apoc. 2.

In potestate peccatoris ē, se parare ad gratiam.

Pars posterior præsentis articuli. ęq liberum arbitrium faciēs quod in se est, peccat mortaliter.

Ioh. 2.

Zach. 1.

Iacob.4. te Deo, & appropinquabit vobis. Et Paulus ad Co-
1.Cor.4. rinthios ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.
1.Cor.6. Et paulo post: Fugite fornicationē. Inaniter ista com
monuisset Paulus, si vel Corinthii liberum non ha-
buissent arbitrium, vel dum ista molirentur, peccas-
Matt.11. sent mortaliter. Sed & Christus quum dicit: Venite
ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, quid im-
perauit aliud, quàm vt accedere pro sua virili cuncti
molirentur. Et palam est eum omnibus, etiam scele-
ratissimis hoc fuisse loquutum. Quamobrem necesse
est vtrunque cōfiteamur, & liberum in eis arbitrium
fuisse, & idipsum enitētes haud peccasse mortaliter.
Sed Lutherum quibus modis hunc articulum astrue-
re moliatur, iam auscultemus.

Luth. ¶ Infœlix liberum arbitrium, iustus in bono ope-
re peccat mortaliter, vt videmus, & ipsum iactatur,
ante iustitiam aliquid esse & posse.

Episc. ¶ Nondum hoc vidimus. Neq; hactenus abs te p-
batum est, nempe, q̄ iustus in bono opere peccat mor
taliter. Hoc vtiq; superius ostendere conatus es. Sed,
vt in prouerbio est, & oleū & operā perdidisti. Inanis
enim omnino fuit conatus tuus. Nam & multa istorū
opera non dubitamus vsqueadeo bona esse, vt nec
venialiter quidem in eis peccetur. At tibi nullum est
opus vsqueadeo bonum, quin saltem venialiter in eo
iustus peccet. Et si venialiter, quum tibi quoque ve-
niale sit, iuxta Dei iudicium, etiam & mortale, conse-
quens erit, vt in omni opere bono, mortaliter, etiam
iustus peccet. Hæc est illa præclara collectio, qua do-
cuisti, iustum in bono opere peccare mortaliter. Ne-
que aliam prorsus huius rei probationem superius
attulisti. Cæterum opinor neminem vsqueadeo men-
te captum esse, vt non perspiciat huius tuę collectio-
nis inepuias. Nam si cuncta iustorum opera, mortalia
peccata sint, cur æquioribus oculis iustos inspectes
Psal.33. Deus q̄ impios? Dauid enim dicit: ¶ Oculi domini sū-
per iustos, & aures eius ad preces eorum, vultus autem
domini super facientes mala. Neq; enim cuiquam or-

thodoxo dubium, est quin mortale peccatum (proti-
nus vt fit) auersetur gratiam Dei, & eum (qui pridem
iustus fuerat) iniustum faciat & impium. Quamobrē
& per Ezechielem dicit dominus: Si conuersus Ezech.3.
iustus à iustitia sua fuerit & fecerit iniquitatem, ipse
morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius quas
fecit. Ecce quisquis, quantumuis iustus fuerit, si tamē
fecerit iniquitatem, quam patres mortale peccatum
vocant, vita gratiæ priuabitur, & nihil ei priores iu-
stitiæ profuturæ sunt. Sed dices te loquutum fuisse,
de peccato veniali secundum iudicium Dei, & non
secundum misericordiam eius. Tu scholasticas distin
ctiones sæpius irrides, sed in hac, ipse multo magis o-
mnibus te præbes irridendum. Profecto veniale pec
catum, siue secundum iudiciū Dei, siue secundum e- *Venialepec catum eā amicitiā nō dirimit quā Deus iustiā prosequitur Gratia, vita nostra.*
ius misericordiam nunquam eam amicitiam dirimit,
qua Deus iustum prosequitur. Nam si dirimat, tum ni
hil intererit inter ipsum & mortale. Sed neque iustus
erit iustus, quum nemo nisi per gratiam iustus sit, qua
iam ipsa caret per iniquitatem. Quōd si veniale pec
catum, vitam gratiæ non aufert, palam est nec ipsum
mortale peccatum dici posse. Nam cum gratia vita sit
animæ, nihil huic mortiferū esse potest, quod hanc vi
tam non eripit, & inducit mortem. Quando igitur ve
niale peccatum animam gratia non priuat, mortale
dici nequaquam potest.

¶ Est autem articulus nixus primo in verbo Au- Luth.
gustini de Spiritu & litera cap.3. Liberum arbitrium
sine gratia non valet, nisi ad peccandum. Rogo quæ
est ista libertas, quæ non nisi in alteram partem po-
test, eamque peiorem? Est hoc esse liberum, non posse
nisi peccare.

¶ Augustinus plane tibi nō suffragatur, cum vbi- Episc.
que liberum ipse faciat arbitrium. Nam post quam li
brō de vera religione, cap.14. collegit volūtate quē-
que peccare, mox subdit: Et quoniam peccari non
dubium est, nec hoc quidem video dubitandum, ha-
bere animas liberum voluntatis arbitrium. Rursum

Quisquis liberum arbitrium esse negauerit, catholicus non est.

In hyponosticon.3. Est igitur, inquit, liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, catholicus non est. Ecce Luthere, vel eius testimonio, quem citasti cõtra liberum arbitrium, hoc est Augustini, tu catholicus non es, si neges liberum voluntatis arbitrium. Cęterum quàm inique citaris Augustinum, cunctis erit dilucidum, qui quid ab eo resecueris audituri sunt. Sic enim habet Augustinus eiusdem libri quem citaras capite tertio: Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet. Hactenus pro te facit. Sed adiecit Augustinus plusculum, quod tu prætermittis, quodque non parum ad rem nostram facit, & & contra te, nempe particulam hanc, si lateat veritatis via. Quam particulam si non dempseris, quid potest esse verius? Nam si via veritatis ignoret, quomodo rectè poterit in ea quisquam incedere? Sed si liceat authores ad hunc modum producere, quis illorum tuæ sententiæ non subscribere videbitur? Si rescindere liceat, ad hunc modum & eam sentẽtiæ particulam truncare, quæcunque tibi auersatur, quicquid volueris testimoniis authorũ facillimè statues. At inquies: Post hanc particulam adhuc subiicit Augustinus, quod meas partes iuuat. Nam sequitur: Et quum id quod agendum & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Et hoc quoque verissimum esse nemo negat. Nam bonam vitam, nullus vnquam assequitur sine gratia. Sed hoc neuti quam infertur, quod sine gartia liberum arbitrium non valeat quicquam, nisi ad peccandum. Quum & in pessimis hominibus, vt idem Aug. in eodem libro testatur, inueniuntur & bona opera. Sic enim ait cap. 28. Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædã peccata venialia sine quibus hæc vita nõ ducitur, sic ad salutem æternam, nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Sed adhuc obiicies, Aug. hoc toto libro moliri, vt sine gratia nemo posset operari

Iniquitas Lut. in allegando.

bonum. At hoc non moliri Aug. vel eo patet, quod iã proxime citauimus, nimirum opera quædam bona, vel in pessimis hominibus inueniri, quæ & sine gratificãte gratia fieri non est dubium. Sed hoc conatur August. vt ostendat sine gratia neminem posse meritorie viuere, aut opera facere quæ digna sint æterno præmio. Hæc certe molitur August. in libro, quod & cuiuis lectori perspicuum erit.

¶Sed Augustino non credam, Scripturas audiamus. Christus dicit Ioannis. 15. Sine me nihil potestis facere. Quid est hoc nihil, quod sine Christo facit liberum arbitrium. Præparat se, inquiunt, ad gratiam, per opera mortaliter bona. Sed ea Christus hic facit nihil, ergo per se nihil præparat. Mira præparatio quæ per nihil fit. *Lut.*

¶In scripturis noui testamenti, crebrius id nihil dicitur, quod nullius meriti sit, quantum ad æternæ vitæ præmium. Sic enim Paulus. 1. ad Corint. 7. Circũcisio nihil est, & pręputium. Et ad Galat. 6. In Christo, inquit, Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Rursum 1. ad Corinth. 13. Si habuero prophetiam, & nouero mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum. Et infra: Si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest. Et ad Gal. 6. Qui se putat aliquid esse quum nihil sit. Ad hunc itaque modum, intelligi debet, ꝙ Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, hoc est, nullum meritum, aut fructum absque me. Nam paulo superius dixit: Sicut palmes non potest ferre fructum à seipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Quum itaque Lutherus quærit, Quid est hoc nihil, quod sine Christo facit liberum arbitrium? Respondemus: Liberum arbitrium sine Christo, si per Christũ intelligas gratiã Christi, quam dicimus gratum faciẽtem, multa potest

Episc.
1. Cor. 7.
Gal. 6.
1. Cor. 13.

facere,tam bona quàm mala, de quibus ex Augustino superius exempla protulimus.Potest etiam prępa rare se per opera quædã bona,quæ tametsi nihil sint secundũ vsum loquendi scripturarũ,non sunt tamen simpliciter nihil.Neq; hoc mirũ cuiquam esse debet, quãdo & Cornelius (authore Aug.)hoc modo se præ parabat,& Publicanus,vt refert Christus,atque etiam Simon Magus per Petrum admonebatur, ita se præparare,quemadmodum in Actis traditur.

Act.10. *Luc.8.* *Act.8.*

Luth. ¶Verum quid illud nihil sit,ipse sequenter exponit dicens:Si quis in me non manserit,mittetur foras sicut palmes,& arescet,& colligũt eum,& in igne mittunt,& ardet.Obsecro, quæ est tua frons meretricia sanctissime vicari Christi,qua sic audeas domino tuo contradicere? Tu dicis,quod liberum arbitrium possit se parare vt intret ad gratiam.Contra Christus dicit,quòd mittatur foras vt lõgior fiat à gratia.Quàm pulchre concordat tua bulla cum euangelio.

Episc. ¶Sic Luthere,non recordaris quod Christus apud *Luc.6.* Lucam ait:Bonus homo de bono thesauro cordis sui, profert bona:& malus contra,malum . Iam facile cõiicio argumenta deesse tibi, quum ad ista conuitia te conuertas.Nec pontifici modo cõuitiaris, verumetiã Christo non vereris tribuere, quæ nusquam ipse dixit.Neque enim Christus vnquam dixit, peccatorem ita mitti foras , vt longior à gratia fiat, nec posset ad gratiam se præparare.Nam si peccator semel excisus nequeat ad reditum se parare, vel denuo inseratur, cur(te quæso) Christus tot parabolis ad reditum inuitauit peccatores ? Cur de filio prodigo meminit, quem post longum miseræ peregrinationis exilium, docet ad se reuersum, suas cogitasse miserias , eaque cogitatione permotum ad patrẽ redisse? Cur de oue, & drachmate perditis sermonem habuit, aut cur petere,quærere,pulsare peccatores admonuit , & delictorum veniam implorare,si nihil ista conferant ad gratiam impetrandem?Ego certe cum Ambrosio,nec Iudam opinor fuisse repellendum,si facinoris sui ve-

Luc.15. *Mat.7.*

niam à Christo postulasset. Horrendum est vel cogitare,in quantum desperationis barathrum his verbis ipse miseros præcipitas peccatores, si qui tibi fidant. Quomodo enim audebunt aut de peccatis cogitare suis,aut suas ingratitudines deplorare,aut demum veniam petere de sceleribus,si modis istis potius ad iracundiam Deum prouocent,quàm flectant ad clemẽtiam?Quicquid de bulla pontificis fuerit, tuum vtique dogma,sat scio,plusquam bis diapason ab euangelio discrepat.

Luth. ¶Christum ergo audiamus,qui palmitis excisi ponit quinque perditionis gradus, quibus ostẽdit eum se non modo non posse ad bonum parare,sed necessario peiorem fieri.

Episc. ¶Iam aperte fateris,Christum his verbis ostendere neminem , qui semel excisus fuerit,ad bonum se posse denuoparare,sed necessario fieri peiorẽ.Quòd si verum sit,profecto Paulus non recte Corinthium illum,qui fuit,ob insignem fornicationem excisus à stipite Christo compulit ad pœnitentiam. Vt quid enim pœnitentiam ageret, qui nihilo melior, sed necessario peior esset futurus? Sed nec in virga se venturum,iuste minatus est, ob eos qui peccauerunt , & nondum egerunt pœnitentiam.Cur enim ad pœnitẽdum adigeret eos,quos nouit per pœnitentiam fieri deteriores?Et infra rursum ait:Prædixi enim & prædico,vt præsens vobis,& nũc absens,his qui ante peccauerunt,& cæteris omnibus,quoniam si venero iterum,non parcam.Profecto si necessario peior euadat is qui gratiam amisit, frustra Paulus aut verbis , aut verberibus, eiusmodi prouocat ad eam dẽuo conquirendam.Haud recte igitur hoc loco Christum interpretaris. Neque enim quisquam excisus, ita foras mittitur, vt redire non posset, modo quantum in se fuerit,diligentiam sit præstiturus. Christus ergo nequaquã de redituris loquutus est, sed de his,qui suos animos obfirmarunt in malitia secum constituentes nunquam esse reuersuros . Nam ipse palam cunctis

Episc. 1.Cor.15. *2.Cor.13.* *Palmites excisi qui sunt.*

pollicetur. Ioānis sexto, quòd neminem foras eiciet qui ad se venerit. Eum, inquit, qui venit ad me, non eiiciam foras.

Luth. ¶ Primus est, ꝙ foras mittitur, ergo non intromittitur, datur in potestatem satanæ, qui non permittit eum conari ad bonum, quid enim aliud, foras mittere, potest significare?

Episc. ¶ Inepte colligis, non posse rursum intromitti, qui semel foras mittitur. Verum equidem est, quod pro tunc nō intromittitur, quando foras mittitur, sed quòd postea non posset intromitti neutiquam ex illo consequitur. Porro tua sententia est, quòd nequaquam denuo posset intromitti, quoniam, ais, in potestatem Satanæ traditur, qui non permittit eum conari ad bonum. Aberras Luthere, toto (vt aiunt) cælo. Nemo enim dum viuit, sic in potestatem venit satanę, vt non posset ad bonum conari. Nullis ecclesiæ communis matris gremium clauditur, quantūcunque sceleratis, modo redire velint, & pœnitentiam condignā agere. Sed & Corinthius ille, qui palam ex gratia decidit, & ex hac vite meritissime fuit excisus, haud aliter tamen in potestatem traditus, nisi vt spiritus eius saluus fieret. Demiror sane te, quid de scripturarum notitia tantopere gloriaris, hæc adeò mordicus asserere velle, neminem (qui fuerit excisus) posse ad bonum sese parare, sed necessario fieri peiorem, traditumque in potestatem satanæ, nec permissum vt ad bonū denuo redire conetur. Sed & vrges adhuc percontando. Quid enim inquis aliud, foras mittere, significare potest? Potest vtique diligens scripturarum lector tibi respondere, quod quum hæc omnia Græcè præsentis temporis sint, ad vnum tempus referri debeant, nimirum ad iudicii diem. Nam & tunc quēadmodum in parabola de sagena piscium traditur, ꝙ electis bonis, mali foras mittentur. Sic quid prohibet de malis palmitibus idem intelligi? Tunc enim (cuiq; dilucidum est) colligentur excisi palmites, & in ignē mittentur in perpetuum arsuri.

1. Cor. 13.

Foras mittere quid sit.

Matth. 13.

¶ Secundo, arescit, hoc est, quotidie peior fit sibi relictus. *Luth.*

¶ Sed iam addis hanc particulam, sibi relictus, id quod vellem apertius explicares. Dic nobis (quæso) quando tu relictum sibi peccatorem existimas? an propter inopiam generalis influentiæ Dei, qua cuncta viuunt, mouentur, & sunt? An propter defectum gratiæ gratis datę, qua iuuari potest liberum arbitrium, vt resipiscat, quomodo & filium prodigum reuerti fecit miseriæ suæ contemplatio, & multi per conciones quotidie resipiscunt? An denique propter gratiæ gratum facientis amorem, qua certum est destitui cunctos, qui mortali peccato sunt affecti? Hos enim tres modos tuus ille Gregorius Arriminensis distinguit & palam asserit, sine gratia, quæ facit opera Deo vitam æternam accepta, peccatorem posse bene & mortaliter agere. Nimirum pœnitere, & orare, & eleemosynas dare, atque id genus alia facere. Hæc inquam asserit fieri posse, sine gratia diuina gratum faciente, quanquam non omnino sine omni auxilio gratiæ. Huius generis opera, Cornelium centurionem, etiam authore Augustino, multa fecisse tradit idem Greg. priusquam gratiam qua ad cælestis regni præmium gratificaretur, accepisset. Sed & cathecuminos asserit eodem authore, similia priusquam baptizentur, operari posse. Si igitur eum, qui sola gratia gratum faciente destitutus fuerit, sibi sic relictum credas, vt reuerti non posit, longe dissidemus à sententia tua. Nam innumeros ipse fuisse nō dubito, qui postquam hanc gratiam amiserunt, se tāto conatu præpararunt ad reditum, non dico absque omni auxilio gratiæ, sed absque gratia qua peccator ad cæleste præmium acceptatur, vt in Christum stipitem denuo sint inserti.

Episc. *Quando peccator dicitur sibi relictus.*

Act. 10.

¶ Atque hęc sunt opera duo liberi arbitrij, scilicet peccare, & perseuerare, augescereque in peccatis, foras mitti & arescere. Si enim aliud potest liberum arbitrium, Christus certè mentitur. *Luth.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Episc. ¶Certissimum est, non mentitum esse Christum. Quin tu potius videris, ne sis mẽtitus, qui falso Christum interpretaris. Cur enim mentitum esse Christũ putas? An quia dixit: Sine me nihil potestis facere? Nihil hoc repugnat iis, quæ iam diximus, modo nõ perperã intelligatur. Nihil enim fructus, hoc est meriti, peccator operatur absque gratia. Nam hæc nisi adsit operantis animo, nullum opus quantumuis optimè factum, æterno præmio dignum acceptatur. Et quicquid eiusmodi non est, id scriptura (quemadmodum ex Paulo docuimus) nihil vocat. Non quòd sit penitus nihil (vt sæpe diximus) sed quòd non tantæ reputationis sit apud Deum, vt æterna beatitudine præmietur. Potest ergo peccator extra gratiam constitutus, multa facere, quibus (si perseueret) diuinam sibi gratiam poterit cõciliare. Alioqui non dixisset Aug. Si non traheris, ora vt traharis. Nam qui nõ trahitur, adhuc extra gratiam est, si per precationem impetrare posset vt trahatur, potest per precationem gratiã obtinere. Cæterum de peccatore qui reditum molitur, facile concesserim ꝙ quotidie magis ac magis in profundum vitiorum demergatur. Nam peccatũ (vt ait Greg.) quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Verum nos de tali peccatore nõ loquimur, sed de illo, qui resurgere ex hac sordida peccatorum fece, pro viribus conatur, cuiusmodi plurimos esse nihil dubitamus, qui per assiduas preces, & multas lachrymas, ingentemque pœnitudinem ad Deum redire student. Atque ita facientes, palàm est, ꝙ non deterius peccant, neque peiores fiunt aut augent sibi peccandi malitiam.

Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.

Peccator extra gratiam constitutus quid potest facere.

Luth. ¶Tres sequentes pœnæ sunt, colligunt, scilicet ad iudicium, vt conuincantur cum aliis, deinde data sententia, in ignem mittunt æternum, vbi tandem non nisi ardet, id est, pœnam luent æternam.

Episc. ¶At cur nõ identidem & priores ad idem tempus referuntur? Nam vnius temporis omnia Græce sunt, quãquam tu quædam præsentis, quædam futuri pro

tuo cerebro facias. Omnia tamen hæc, ad futurum iudicii diem spectant, quando cum corporibus suis resurgere habent cuncti, & redituri sunt de factis propriis rationem. Tunc enim mali palmites à bonorum consortio separabuntur, & hoc est foras mitti. Sic enim in parabola de virginibus, quæ futuræ sunt foris excluduntur. Et in parabola de talentis, is qui suũ talentum abscondit in terra, proiicitur in tenebras exteriores. Rursum in parabola de separatione ouiũ ab hœdis, separantur à bonis impii, & eliciuntur a facie iudicis. Et in parabola de sagena, quòd illic mali pisces foras mittuntur, Christus ipse de separatione malorum hominum à bonis (quæ in iudicio futura est) docet intelligendum. Foras ergo mitti, est à bonorum consortio separari. Arescere vero nunc impij dicuntur, vel vt significetur corporum qualitas cruciatibus ignis idonea, vel certe tunc arescent impij, nimirum præ timore & expectatione malorum, quæ superuentura sunt eis. Tertio colligentur iidem in fasciculos, ad comburẽdum. Quarto mittẽtur in ignẽ. Et quinto demum illic sine fine sunt arsuri. Hæc omnia toties in euangeliis Christus inculcat, & ad iudicii diem attinere mõstrat, vt frustra Lutherus ad aliũ sensum ea torquere nitatur.

Foras mitti.

Matt. 25.

Mat. 13.

Luth. ¶Nihil ergo posse liberum arbitrium, non est, vt illi fingunt, non meritorium operari, sed & foras mitti & arescere. Palmes excisus non sese parat ad vitem, neque enim potest, sed longius fit à vite, & magis ac magis perit, ita & liberum arbitrium seu impius homo.

Episc. ¶Naturalis profecto palmes, quum excisus fuerit, non potest ad vitem se parare denuo. Hoc rectè dicis, quia libero caret arbitrio. Verum id mystico palmiti non negatur, quin per libertatẽ arbitrij separare possit. Quis vsqueadeo truncatus est, vt non cernat hominem quantumuis peccatorem posse (modo velit) precari veniam, tundere pectus, atque cum publicano dicere: Deus propitius esto mihi peccatori.

Naturalis palmes.

Et hac nimirum via, Christus affirmat hunc publicanum ad iustificationis gratiam accessisse. Falsum est igitur quòd mysticus palmes semel excisus, necessario peior efficitur, aut quòd non posset ad gratiam denuo parare sese. Nec vrget similitudo producta, nimirum quia naturalis palmes nec sensum habet nec arbitrij libertatem. At mysticus vtrũque possidet. Quò fit vt potest de periculis imminentibus audire commonitorem, simul & quum audierit, remedia conquirere.

Mysticus palmes.

¶Gen.6.&.8.Sensus & cũcta cogitatio cordis humani ad malum prona omni tẽpore, obsecro, qui cũctam cogitationem cordis malam facit, idque omni tempore, quam relinquit bonã, quæ præparet ad gratiam? An malum disponit ad bonum?

Luth.

¶Quanquam & multum sycophanticè recenseas hanc scripturam, non tuo tamen inseruire potest instituto. Nam esto fuerit omnis humani cordis cogitatio prona semper ad malum, quod tamẽ scriptura nõ asserit, vti mox dicemus, non inde consequitur, quòd mala sit, hoc est, per peccati malitiam inquinata, quẽ admodũ tu colligere studes. Pronitatẽ enim hanc frenare potest aliquousq; libertas arbitrij ne mala fiat, hoc est, ne peccatum ipsa, vel pariat, vel cõcipiat. Neque enim concupiscentia ista, quando primum stimulat peccatum est, sed postea per consensum mentis peccatum ex ea concipitur. Quod & diuus Iacobus confitetur, inquiens: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus, deinde concupiscentia (quum conceperit) parit peccatum, peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem. Ista nimirum concupiscentia, de qua loquitur, ipsa cordis humani cogitatio intelligi potest, quam scriptura Geneseos tibi videtur asserere pronam ad malum semper. Cæterum id neutiquam asseritur Genesis sexto, sed malitia duntaxat illius temporis memoratur, quo generatim vniuersum hominum genus, spurca libidine fuerat inquinatum. Nam paulo inferius dicitur: Omnis quippe caro corruperat viã suã. Propter hanc igitur carnis immunditiam, hoc ipso tẽpore tam latè diffusam, scriptura illic prodidit, vidisse Deum, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Sic enim ad verbum Gen.6.scribitur: Et hoc nimirum ad illa solum tẽpora spectabat. Rursum.8.sic habetur: Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malũ prona sunt ab adolescentia sua. Quibus verbis nihil amplius asseritur, quàm pronitas ad malum in sensu & cogitatione cordis humani. Sed hanc pronitatem (vt diximus) moderari potest arbitrij libertas, ne semper prorũpat in malum. Tu tamẽ vtrunque locum callidè permisces in vnum, nimirũ vt tuam sententiam statuas, quum neutro loco sic habeatur vt tu recenses. Neque enim aut hic aut ibi sic legitur: Sensus & cũcta cogitatio cordis humani prona sunt ad malum omni tempore.

Tacob.1.

Episc.

¶Nec est quod hãc authoritatem eludat quisquã quasi cogitationem suam malam posit homo cohibere aliquando. Quæ enim cogitatio hoc facit aut patitur, vtraq; bona est, sed inter eas, quæ cũctæ dicuntur, non numerabitur. Si vna bona in eo esse potest, mentitur Moses, qui cunctas malas esse affirmat.

Luth.

¶Nimis quàm sophistè stringis ista, vel si adesset vox ipsa distribuens, nempe cunctæ, quæ nequaquã hic adest. Nam si Moses hoc 2.Gen.loco, qui sane generatim ad omnes pertinet, dixisset: Sensus est, cuncta cogitatio humani cordis prona sunt ad malum omni tempore, quod neutiquam dixit, non deberes tamen ita stringere, vt nullam omnino cogitationem, in quouis homine bonam esse colligas. Nam certum est, Noe saltem & suos multa bene cogitasse, quum scriptura tradat, eum virum fuisse perfectum. Quãobrem non de singulis humani cordis cogitationibus id accipiendum est, sed de iis duntaxat quæ per fomitis ministerium ebulliebant. Nam erat Noe, vt cap.6.scriptum est, vir iustus atque perfectus, & cum

Episc.

Gene.8.

Gene.6.

Deo ambulasse legitur. Sed nec in cæteris vsqueadeo sepulta fuit ratio, quin potuissent interdum quædã bona cogitasse. Verum vtcunque fuerit, nec singula quæque cordis humani cogitatio mala fuit. Neque Moses mentitus est, qui nec istud de cunctis affirmauit cogitationibus vti lectori compertissimum esse potest.

Luth. ¶ Insuper textum Hebræũ sic referre licet. Quoniam quicquid cupit & cogitat cor hominis solũmodo malum est, omni die, additur enim particula exclusiua, ad malum, quam nostra translatio nõ reddidit. Nec verbum cupit, reddidit, nec plane verbum cogitat seu cogitationem vertit.

Episc. ¶ Hoc est quod superius dixi te sycophanticè moliri, quatenus complices, & conuoluas in vnum hos duos locos, nimirum vt ita tuus articulus comprobetur. Atqui nihil agis Luthere. Neuter enim locus ita reddendus est. Sed Genes. 6. sic habetur ad verbum: Et vidit Deus quòd multa malitia hominum in terra (supple fuit) & omnis machinatio cogitationum cordis eorum mala duntaxat omni die. Nam יצר non solum cupiditatem, & desiderium, verumetiam figmentum seu plasmationem significat. Sic enim Hieronymus Psal. 103. traduxit, vbi vox eadem habetur. Et ipse cognouit plasmationem nostram, יצר enim fingere, seu formare dicitur. Et inde יצר, fictio seu machinatio dici potest. Nomen enim est יצר, non verbum, vt cuiq; vel mediocriter in Hebraicis erudito, dilucidum est. Nam si verbum esset præsentis temporis (vt tibi visum est) esset יצר, non יצר, Alterum vero, nempe מחשב nomen verbale est, ab חשב, id est cogitauit dicedens. Cæterum si recta foret traductio tua, quis adhuc non prospicit istud pro illius ætatis hominibus fuisse dictum, quando omnis caro præter Noe & suos, corrumperat viam suam, vt nihil cuperent, aut cogitarent præter voluptates carnis. At quod Gen. 8. traditur, sic ad verbum reddi potest: Et dixit Deus in corde suo. Non addam ad maledicendum amplius

Ietzer. *Iatzar.* *Ietzer.* *Ietzer.* *Iotzer non* *Ietzer.* *Machusne.* *Chasnab.*

terræ, propter hominem. Quoniam machinatio seu desiderium humani cordis malum à iuuentute sua. Et hoc nimirum generatim ad omnes pertinet. Quũ nemo sit qui fomite careat, à quo parua concupiscentia suggeritur indesinenter. At ex his verbis, Lutherus argutiam suam stabilire nequit, quum hic vniuersitatis nota defuerit. Neque enim dicitur, Omne desiderium cordis humani malum. Quandoquidem multa sunt humani cordis bona desideria. Cuiusmodi & Dauid se habuisse testatur, quum dixit: In toto corde meo exquisiui te. *Psal. 118.*

Luth. ¶ Vult enim Moses, non modo otiosas & spontaneas, sed etiam ingeniosas & eas, quibus homo de industria cogitat aliquid facere, atque has etiam non nisi malas dicit, vt nihil faciant Pelagiani isti, qui libero arbitrio tribuunt, si studiose laboret, ad bonum aliquid valere.

Episc. ¶ Neutro sane loco Moses dicit, vt lectori palàm esse potest. Sed illic vbi particulam adiicit exclusiuã de seculo tum præsenti loquutus fuit, quòd nec ad potestatem trahi, torquerive debet. Alterovero loco, qui cunctos respicit, exclusiua particula non adiicitur, quemadmodum supra docuimus. Fruſtra igitur Lutherus ex his colligere molitur, voluisse Mosen omnes cogitationes hominum non solum otiosas, & spontaneas, verumetiam ingeniosas, & eas quibus homo de industria cogitat aliquid facere, non nisi malas esse. Moses enim de solis illis cogitationibus, quas caro suggerit, loquutus est, non quas spiritus humanus administrat. Habent enim hæc duo perpetuũ in homine bellũ, nisi forte Paulũ etiã mentiri dixerim?, qui spiritũ aduersus carnem cõcupiscere, quod & de spiritu humano accipiendum est. Quamobrem vt caro prauas, ita spiritus contra, bonas humano cordi cogitationes immittere putandus est. Neque Pelagianorũ hæresim hic habere locũ vlla formido est, quãdo non dicimus hominẽ absque gratia gratum faciẽte cogitationem habere meritoriè bonã, id quod illi *Gen. 6.* *Gene. 8.*

posse fieri pertinaciter asseuerũt. Nam hoc præcipuẽ damnat in eos Aug. ꝓ in bono proposito meritũ posuerint, cui merito iam merces secundum debitum, non secundum gratiam redderetur.

Luth. ¶ Iterum Gen. 6. Nõ permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Si homo caro est, quid potest in bonum? An ignoramus opera carnis propria Gal. 5. quæ sunt fornicatio, immũdicia, lascitia, iræ, inuidiẽ, homicidia, &c. hæc ergo sunt, quæ lib. ar. facit, dum facit quod in se est. Hæc autem omnia sunt mortalia. Nam Ro. 8. Prudẽtia carnis mors est, & inimica Deo. Quomodo mors ad vitam, quomodo inimicitia ad gratiam se disponet?

Episc. ¶ Et hic rursum sycophantia tua cunctis innotescere potest. Satis enim nosti non sic Hebraicè scriptum esse. Sed quum tibi placet, nunc Hebraico siue Græco, nunc Latino veteris codice. Nihil apud te refert, quocunque modo possis hæresim fucare tuam. Negat certe Hiero. hic haberi verbum, permanebit, sed in Hebræo sic scriptũ esse testatur. Nõ iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quia caro sunt. Quam sententiam & hac illustrat periphrasi. Hæc est, inquit, quia fragilis est in homine conditio, nõ eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituã quod merentur. In quibus verbis & hoc aduertendũ est, ꝓ de illius seculi hominibus Hiero. Mosen loqui censuit. Non iudicabit, inquit, spiritus meus homines istos in sempiternũ. Tum enim fuerãt vsque adeò brutales effecti, vt nihil præter carnis desideria sectarentur. Rabbi Samuel tamen apud Lyrã ait hãc esse literæ veritatem: Non disceptabit spiritus meus in homine in æternum, perinde ac si dixisset Deus: Hactenus per modũ disceptationis in suspenso tenuis sententiam, de deletione generis humani per diluuium. At nũc sentẽtia feretur, quia caro est, hoc est peccatis carnalibus supra modũ implicatus. Hæc Samuel ille. Breuiter quotquot Hebraicè sapiunt, negant hic haberi verbum permanebis, sed & concorditer asse-

runt id intelligi debere non de toto genere humano, sed de illis duntaxat, qui seculo vixerunt ipso. Quamobrem si veritatem Hebraicam sequi volumus, nihil hæc scriptura pro te facit. De Latinis vero mox dicemus.

¶ Si enim in hominibus non manet, mortui sunt coram Deo. Mortuus autem non vitæ, sed mortis opera necessario faciet, opus autem mortis ad vitam non disponit. Figmenta ergo sunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrii ad gratiam tot libris tractata sunt. *Luth.*

¶ Qui vero Latinam sequuntur interpretationẽ, spiritum hic nequaquam accipiunt pro spiritu Dei, quemadmodum tu videri vis, sed pro indignatione Dei, & carnem intelligunt, fragilitatem, seu pronitatem ad peccandum, vt sit sensus: Non pergam aduersus hominẽ indignari, quia fragilis est, & pronus ad peccandũ. Sed temporaria mihi potius de illo pœna sumenda est ne pereat in æternum. Tu vero putas his verbis, Dei spiritum hominibus ademptum fuisse, neque passum vt in eis diutius permaneat, ac proinde mortuos cunctos asseris corã Deo. Sed & opera quæ faciunt omnia, necessario mortis opera contendis esse, non vitæ. Qualibus (vt ais) nemo se potest ad vitã disponere. Hæc hauddubie si non mera figmẽta sint nullavnquam à quouis cogitari figmenta potuerunt. Sunt enim meracissima mendacia, & contra omnem veritatem, non modo sacrorum interpretum, verumetiam scripturarum, vt mox ostendemus. *Episc.* *Lutheri figmenta.*

¶ Esaias etiam dicit. 40. cap. Suscepit de manu domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. Quid hic dicent? gratia dicit à domino nõ dari nisi pro peccatis, scilicet pro malis. *Luth.*

¶ Nisi pudorem omnem exuisses, nũquam scripsisses ista. Cedo vbi dixit hoc Esaias, nempe quod gratia nemini datur à Deo nisi pro peccatis. Ito quòd per duplicia, quę Hierusalẽ hic suscepisse dicitur, gratia simul & gloria possunt intelligi. Nam ob id tibi *Episc.* *Lut. insania, gratiam non dari nisi pro peccatis*

videtur, hæc iusta consequutio? Donatur huic populo gratia pro malefactis. Ergo nemini nisi pro malefactis donatur gratia. An quia Matthæus quum nihil egisset boni, neque vllam ante fecerat præparationē vocatus fuit ad gratiā? Cornelius qui precationibus & eleemosynis se præparauit, vocari non potuit ad gratiam? Nihil oportet. Quid enim hac dialectica fingi potest insulsius? De Cornelio certum est, quod ante gratiam gratum facientē, eius orationes & eleemosynæ fuerunt acceptæ Deo: Dixit enim angelus: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Cæterum Hieronymus hunc locum ad literam sic docet accipiendum. Superius equidem Esaias præmisit: Consolamini, consolamini populo meus, dicit dominus Deus vester. Caussa consolationis (inquit Hieronymus) remissio peccatorum est, & caussa remissionis, quia suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Qui enim scit voluntatem domini, & non facit, plagis vapulabit multis. Et paulo inferius: Iuxta historiam, inquit, recepit Hierusalem de manu domini duplicia peccata sua, semel à Babyloniis, secundo à Romanis. Iuxta historiam igitur vltio magis quàm gratia debet intelligi. Duplicem enim vltionem acceperunt peccata Hierusalem, alteram à Babyloniis, alteram à Romanis. Propter quod & superius dixit Esaias: Completa est malitia eius. Quod non de malitia culpę potest intelligi. Quia nondum Christum occiderūt, sed de malitia pœnæ. Perinde ac si dixisset, finita est malitia, hoc est, afflictio ipsius & demissa est iniquitas ei. Quod si literalis is sensus huius scripturæ fuerit, frustra tu ex mystico sensu colligis argumētum vel si cōsequutio validissima foret. At multo magis id frustrare facis, quum neruis omnibus careat collectio tua. Cæterum Orig. hom. 5. super Matthæum, locum hunc in Esaia prorsus interpretatur pro duplici punitione, non pro gratia duplici.

Matt. 5
Luc. 5.
Act. 10.
Hieron.
Esa. 40.
Duplicem vltionem nō duplicē gratiā recepit Hierusalē de manu domini
Luth.

¶ Atque id quod dicit, omnib°, id significat, quod

nihil nisi peccata fecerit ante gratiam, seu omnia opera eius peccata fuerint.

¶ Et simili prorsus dialectica colligis istud, nempe quoniā dixit Esaias, Hierusalem suscepisse de manu domini duplicia pro peccatis suis omnibus, ideo subinfers, omnia opera Hierusalem ante gratiam peccata fuerunt. Si per gratiam intelligas eam, quæ gratis dari, non gratū facere dicitur, facilè recipio quod infers, quanq̄ ipsa consequutio nullius omnino momenti sit. Sin per gratiam intelligi velis gratum facientem, nihil absurdius est, quàm quod ante istam gratiam, nemo quicquam boni fuit operat°. Nam cui nō credibile est in tanto populo fuisse, multos Cornelii Centurionis similes: hoc est, qui nōdum accepta hac gratia plurima fecissent opera bona. Talem enim opinor fuisse Tobiam, qui non propter peccata sua, sed propter orationes & eleemosynas suas, acceptus fuisse Deo legitur, Angelumque Raphaelem accepisse consolatorem. Talem & Iudith vidua arbitror fuisse, per quam non quia peccatrix fuerat, sed quia sanctè & castè vixerat, atque in precationib° & ieiuniis, ac cæteris suæ carnis castigationib° erat assidua, De° Bethuliam, & proinde totam Iudæam, ab Holofernis tyrannide liberauit. Et Hester reginam, quæ nō propter admissa, sed propter summā humilitatem, & corporis afflictionem, ac precationes ardentissimas obtinuit, vt à maximis calamitatibus per Dei gratiam eriperetur. Sed ne multis morer, Zacharias & Elizabeth, quos Euangelista iustos fuisse memorat, & in omnibus Dei mandatis, ac iustificationibus incessisse sine querela, non propter peccata sua, sed propter vitæ sanctimoniam, filium, quum essent ætate prouecti & steriles acceperūt, & talem quidem quo maior inter natos mulierum non surrexit.

¶ Si autem de manu domini contingit suscipere gratiam, pro operibus congruis quæ peccata nō sint, falsum hic Esaias dixit, & gratia Dei vilescit, vt quam non penitus indignis dedit, sicut Pelagiani docue-

Epist.
Tob. 5.
Iudith. 13.
Hester. 8.
Lucæ. 1.
Luth.

runt, à quorum sensu, nisi solis verbis distamus. Siquidem & nos mereri gratiam, licet non de condigno, prædicamus, quod & ipsi concessissent, neque enim gratiam Dei tam vilem habuissent, vt ea digno merito donari dicerent.

Episc. Pelagianorum hæresis. Lut. hæresis Orthodoxi, neminem à gratia repudiabunt, qui totis viribus eã quærit. Act. 10.

¶ Nec Pelagianos recte docuisse putamus, qui sine meritis nemini donari gratiam existimant. Sed neque Lutheranos, qui nemini nisi pro peccatis conferri gratiam opinantur. Sed cum orthodoxis medium iter incedimus. Nos enim aduersus Pelagianos asserimus neminem posse mereri gratiam. Et contra Lutheranos affirmamus, neminem à gratia repudiãdum esse, qui totis viribus eam quærit. Scimus enim dixisse Petrum: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Quisquis ergo pro virili sua conatur, & timere Deum, & iustitiam operari, Deo certe futurus est acceptior, & gratiam suam tanta & tam immensa benignitas illi negare non potest. Verum haud ita, quòd quisquam suis operibus se dignum efficere posset, cui gratia conferatur vti Pelagianorum dogma fuit, sed ꝓ pronior sit Deus ad miserendum iis, qui spe clementiæ suæ prouocati, suam pro viribus adhibent diligentiam, & nullum (vt aiunt) non mouent lapidem, quo possent ab eo veniam cõsequi. Quid enim indignius de clementia Dei cogitari posset, quàm quòd supplicum & veniam postulantium lachrymis nolit flecti? Sed quòd his grauius offendatur, & inde reddatur implacabilior atque indignabundus magis.

Luth.

¶ Idem Esaias ibidem: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni. Exiccatum est fœnum, & flos cecidit, quia spiritus domini sufflauit in illud. Verbum autem domini manet in æternũ. Da fœnum & florem eius. Nónne caro, homo, seu liberum arbitriũ, & quicquid est hominis? flos eius & gloria, nónne est virtus, sapientia, iustitia, liberum arbitrium vnde possit gloriari, aliquid esse & posse?

¶ Haud recte florem hic intelligis Luthere. Neq; enim flos graminis id dici potest, quod non ex gramine suppullulat. Donemus vt caro fœnum, dicatur, aut gramẽ. Et esto flos carnis, quicquid ex carne pulchrum exoritur. Est enim species, & decor, ac pulchritudo carnis, flos eius. Sit insuper cogitatio carnalis, & omnis eius prudentia, atque (vt vno verbo dicam) quicquid ex homine (quaten' imaginem terreni refert) germinat, sit inquam vti flos fœni. Sed hæc nostræ sententiæ, nihil officient. Nos enim de operibus loquimur, quæ non caro suggerit, aut prudentia carnis, sed quæ spiritus, nempe superior animi portio, quæ carni perpetuò reluctatur. Hic enim spiritus, audito verbo Dei, per fidem citra gratiam, potest peccata sua detestari, & veniam implorare, seduloque gratiam quærere. Potest insuper & pẽsata iactura, quam intulit sibi caro, non solum amissi temporis, verumetiam ingentis cumuli meritorum de carne pœnas sumere. Et quis ita dicet ex carne nasci? Aut quis de seipsa carnem vlcisci velle sibi persuadebit vnquam? Rectius igitur hoc loco Hieronymus. Florem carnis, pro specie carnis accipit, non pro virtute animi. Si quis (inquit) fragilitatem carnis aspiciat, & quòd per horarum momenta crescimus, atq; decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsumque quod loquimur dictamus, & scribimus, de vitæ nostræ parte præteruolat, non dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni, siue prata camporum. Qui dudum infans, subito puer, qui puer repente iuuenis, & vsque ad senectutem, per spacia mutatur incerta, & ante se senem intelligit, quàm iuuenem non esse se miretur. Pulchra mulier, quę adolescentulorũ post se trahebat greges, arata fronte contrahitur, & quæ prius amori, postea fastidio est. Quod & egregius apud Græcos scribit orator. Speciem corporis, aut tempore deficere, aut languore cõsumi. Ecce Hieronymus hic per floré carnis, speciem corporis intelligit, non fidem, non spiritum, néve quicquam aliud

Episc.

quod ex his proficiscitur.

Luth. ¶ Qua ergo ratione fit, vt flante spiritu, exiccetur & cadat, & manente verbo pereat? Nonne spiritus est gratia, qua tu dixisti librum arbitrium iuuari, & eius præparationem consummari.

Episc. ¶ Neque minus erras in interpretatione huius vocabuli spiritus. Nam hic per spiritum interpretes intelligunt, spiritum diuinæ sententiæ & indignationis. Exiccata est (inquit Hieronymus) caro, & cecidit pulchritudo. Quia furoris spiritus Dei atque sententiæ flauit in ea. Leuis flatus vltionis Dei, mox disparere facit omnem carnis florem, & pulchritudinem. Neque enim semper deperit species carnis, ad afflatum diuini spiritus. Nam erant complures forma corporis eximia præditi, qui spiritus gratiam nihilominus acceperunt. Quocirca non potest de hoc spiritu accipi, quum dicitur: Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Dei flauit in eo, sed de spiritu furoris & vltionis diuinæ.

Luth. ¶ Cur ergo hic exiccatum & cecidisse dicit quicquid est etiam optimum carnis? Nondum vides spiritum & liberum arbitrium esse contraria. Siquidem illo flante, hoc cadit, & nõ manet cum verbo. Non autem caderet & periret, si afflatum spiritus & verbi apertum & præparatum esset.

Episc. ¶ Ex hoc dilucidum est, quàm nihil nõ rapere studeas, & ad sensum tuum non torquere, cum huic scripturæ tantam vim inferas, vt liberum arbitrium carnem facias, & spiritum vindictæ, spiritum sanctum & gratiam. Nam ex eo quod propheta dixit: Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Dei flauit in eo, tu colligis liberum arbitrium cecidisse ad flatum gratiæ. Ais enim: Nondum vides spiritum, & liberum arbitrium esse contraria? Siquidem illo flante hoc cadit. Sed multum aberras Luthere. Neque enim ad flatum gratiæ, quod tu fieri contendis, liberum arbitriũ cadit, imò tunc erigitur magis, dicente Paulo: Vbi spiritus domini, ibi libertas: iuuatur enim arbitrii liber-

2.Cor.3.

tas per gratiam spiritus, nõ opprimitur, erigitur, non obruitur, & demum à seruitute peccati (quo sub diaboli tyrannide premebatur) exempta, diuini iuris euasit compos.

¶ Hiere. quoque. 10. ca. sic dicit: Scio domine, quoniam non est hominis via eius, nec viri est, vt dirigat gressus suos. Quid potuit apertius dici? *Luth.*

¶ Duplicem hæc verba sensum habent, quum possent, vel de Babyloniis intelligi, vel de Iudæis. Superius enim de Babyloniorum accessu, ad vlciscenda Iudæorum peccata dixit Hieremias. Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis, vt ponat ciuitates Iuda in solitudinẽ. Propter quod iam subiicit: Scio domine, quia nõ es hominis via eius: hoc est, non propriouenit instinctu, sed per te, cuius benignitatẽ offendimus, excitatus est contra nos, & hoc quod à Babyloniis sustinemus (vt Hieron. verbis vtar) non est eorum fortitudinis, sed nostri meriti, & indignationis tuæ. Et is sensus apertissime quadrat prioribus. Cæterum, si quod proxime sequitur aduertamus, nempe, ꝓ in persona populi Iudaici, propheta corripi postulat, vt vel sic emendetur. Corripe me domine, veruntamen in iudicio, & non in furore, ne forte ad nihilum redigas me, sic vtique sensum alium habere potest, nimirum hũc: Scio domine, ꝓ nõ est hominis (si suo dictui relinquatur) suos gressus in iustitiæ via dirigere, sed opus est auxilio tuo, & stimulo correptionis tuę, quoties à via cœperit deflecti, vt sic denuo redire compellatur. Secundum vero neutrum sensum, homini liberum arbitrium aufertur. Nam siue de Babyloniis dictum intellexerimus, nempe, quòd diuino instinctu cõtra Iudæos accessissent, nihil tamen ipsi fecerunt, nisi sponte sua, siue de Iudæis, ꝓ hi iustitię viam incedere nequeant, nisi castigati. Ex hoc quoq; palam est, ꝓ castigatio potuit eos, quum extraviam essent, ad reditum impellere. Quod certe non contigisset eis, nisi liberum fuisset in eis arbitrium. Frustra enim flagellum quoduis adhibetur *Episc.* *Hiere.10.*

vbi necessitas est, non arbitrii libertas.

Luth. ¶Si via sua & gressus sui non sunt in potestate hominis, quomodo via Dei & gressus Dei erunt in potestate eius?

Episc. ¶Edissere (quæso) nobis, quid Euangelista sibi velit, asserens datam hominibus potestatem filios Dei fieri? Aut enim illis datur ea potestas, qui iam habent gratiam, & sunt reipsa filii Dei? Aut aliis qui nondum habent, neque adhuc eam dignitatem adepti sunt? Non illis (opinor) dicturus es, quum illi per gratiam, quam possident, filii Dei iam facti sint. Neque enim solum ita nominantur, sed reuera sunt: quemadmodum & idem Euangelista alibi testatur dicens: Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filii Dei nominemur, & simus. Quod si cunctis, qui nondum acceperunt gratiam, data sit hæc potestas, vt filii Dei fieri valeant, quum non sint, cur non identidem & gratiæ comparandæ facta sit potestas, quandoquidem sine gratia nemo potest filius esse Dei. Non sic tamen, quod suis viribus aut gratiam aut filii nomenclaturam, quis assequi valeat, sed, ꝓ si (quantum in se fuerit) conetur, & obnoxius paret ad hanc gratiam sese, Deus optimus & benignissimus non sinet eum expectatione sua frustrari. Non est igitur, vt quisquam dubitet ad hunc sensum, in hominis potestate sitam esse viam, & gressum ad Deum, quandoquidem præsto sit Deus cuique volenti fidem & gratiam elargiri suam, iam huius incomparabilis thesauri cunctis facta potestate.

Ioan. 1.

Via ad gratiã, & gressꝰ ad Deum, quo in potestate hominis sunt.

Luth. ¶Via enim hominis est ea, quam ipsi vocant, naturalem virtutem faciendi, quod est in se. Ecce hęc nõ est in arbitrio hominis, seu liberi arbitrii, quid ergo liberum arbitrium est, nisi res de solo titulo?

Episc. ¶Triplex intelligi potest hominis via. Vna qua sectatur carnis cõcupiscentias aduersus commotionem spiritus, id quod nõ facit absque generali, quam vocant, influentia Dei. Altera, qua sequi nititur ea, quæ suggerit spiritus & reclamãte carne, ꝓ non agit

Triplex hominis via.

Triplex dei gratia.

absque speciali auxilio Dei. Tertia est, qua meritorie graditur in via iustitiæ mandatorum Dei, ꝓ sine gratia gratum faciẽte, nec fit nec fieri potest à quopiam. Est & harum vnaquæque modo quodam in hominis potestate, arbitrioq; posita, quanq̃ de tertia maxime dubium sit, quam tamen iam ostendimus in hominis esse potestate, non ꝓ suis viribus id posset quisquam sequi, sed per Dei gratiã, quę nemini deest (vt inquit August.) nisi qui sibi defuerit. Paratus enim est Deus hanc impartire cuiq; gratiam, modo quis eam cõgrue petierit, quæsierit, & ꝓ ea deniq; pulsauerit. Alioqui Ioannes (vt diximus) haudquaquam affirmasset, dedisse Deum hominibus potestatem filios Dei fieri.

Gratia Dei nemini deest nisi qui sibi defuerit.

Luth.

¶Quomodo potest sese ad bonum præparare, quum nec in potestate sua sit, suas vias malas facere? Nam & mala opera in impiis Deus operatur.

Episc. ¶Neutrum sane potest sine Deo, nec ad bonum se parare, neq; malum opꝰ facere. Neq; enim adulter absq; generali fluxu Dei, potest adulterandi facinus committere, sed neque postquam ipsum admisit sine speciali auxilio Dei conari valebit, vt resurgat. Et ratio est, quoniam vtrobique præsens est, tam generalis influxus ille, quàm istud auxilium speciale, nec deest aut hoc, aut ille cuiquam peccatori, nisi vel indurato, qualis Pharao fuerat vel in sensum reprobũ tradito, de cuiusmodi Paulus loquitur ad Rom. primo. De quibus vtrisque certũ est, ꝓ auxilio Dei speciali fuerunt destituti. At non opinor quosque peccatores ita cõmuniter à Deo deseri, sed quanq̃ in peccato mortali fuerint & extra gratiã, nihilominꝰ hoc auxilium speciale pręsens esse, quo Deus ad eorũ corda pulsat vt intret. Hoc dixi propter patres, quorũ sententiam sequi malui, q̃ scholasticorũ, cũ in hac re mutuo sibi pugnẽt. Patres enim asserũt neminẽ posse quicquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contra, scholastici sic contendunt hunc sufficere, vt quis absque illo auxilio bene moraliter agere, & bonũ facere posset,

Exod. 7.

Qui sunt speciali Dei auxilio destituti.

Neminem posse quicqs bonivelle sino speciali Dei auxilio

Nec suffice re generalē illum fluxū.

non solum ex genere, verumetiam quòd debitis vndique circunstātiis ornatum sit. At si scholasticorum argutiam aduersus patres admittem⁹, sequetur etiam vt absque hoc auxilio Pharao, quantumuis indurati cordis fuisset, etiam hi qui traditi fuerunt in reprobum sensum potuissent bene moraliter agere. Quod mihi sane credibile non est, quum non solum, quantum ad gratiam gratum faciētem attinet, verumetiam auxilio Dei speciali reor eos fuisse destitutos. Palam equidem est istos hoc auxilio magis destitui, quàm cęteros peccatores. Quamobrem, quum cæteri peccatores interna præsentia gratiæ destituātur, hos oportet etiam externo quouis auxilio carere. Sic vt communibus inquinati peccatis, medii sint inter iustos, qui sunt in gratia, & illos à Deo derelictos, qui traditi fuerant in reprobum sensum. Nam iustus præter influxum, quem vocant generalem, habet auxilium Dei speciale, simul & gratiam in eius anima præsentem. Communes vero peccatores gratia carent interna, sed præter generalem influxum, non deest eis auxilium speciale, quo miris modis stimulatur ad reditum. Reprobi & indurati ita generalem duntaxat habent influxum vt cæteris careant. Sed iam ad Lutherum reuertamur. Non potest, inquit, ad bonum peccator se præparare, cum nec sit in eius potestate suas malas vias facere. Si secludas & influxum Dei generalem, & auxilium speciale, certe neutrū erit in peccatoris potestate: hoc est, neque bonas neque malas facere suas vias potest. Quoniam nisi Deus eidem operanti concurrat, neutrum opus agere potest. Nam, quantum ad substantiam actus, etiam operibus malis cooperatur Deus. Neque tamen recte quisquam Deo peccatum imputabit. Quia tametsi cooperetur Deus ad substantiam actus, non tamen ipsam deficientiam operatur, sed hoc agit solavoluntas. Ac propterea sola ipsa peccat, non Deus.

Iusti.

Medij.

Derelicti.

Luth. ¶ Vt Prouerb. 16. dicit: Omnia ꝓpter semetipsum operatus est dominus, etiam impiū ad diem malum.

¶ Nihil magis vnquam execrati sunt orthodo i patres, quàm vt peccatorum author existimet Deus. Nam quia summe bonus est, solius boni confitentur authorem, non peccati, quod malum est. Neq; patres solum, sed & scripturæ penitus eidem astipulantur. Nemo cum tentatur, ait Iacobus, dicat, quoniā à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, & nemi nem tentat, multo minus peccatum ipse facit. Et Ioānes ait: Deus lux est, & in eo tenebræ non sunt vllæ. At essent in eo tenebræ, si peccatum operari posset. Et Christus in euāgelio dicit: Solus Deus bonus est, nimirum ꝓ ab eo nullum malum procedit. Et Sapientia testatur, Deum non fecisse mortem, nec in perditione viuorum lætari. Sed & Manichæi tātum abhorrent, Deo bono peccatum tribuere, vt præter ipsum, alium constituant, qui sit malorum & peccati caussa. Sed nec scripturæ (quas Luth. producit) istud efficiunt. Primam enim ita Hiero. edisserit. Nulla domino caussa fuit creaturam visibilem vel inuisibilem faciendi, ni voluntas sua, vt suam videlicet bonitatem rationabili creaturæ (quam perpetuo beatam faceret) ostenderet. Eum quoque qui bonum cōditionis propria sponte deseruit, id est diabolum cum suis sequacibus iusta seueritate damnauit. Ecce diabolus, qui ad diem malum seruatus est, nequaquam à Deo, si Hieron. credimus, factus est impius, sed ipse bonum, quo fuerat conditus, propria sponte deserens, seipsum impium fecit, & damnationem promeruit. Per impium igitur hoc loco Hiero. diabolum intelligit, quem negat impium à Deo conditum fuisse, sed talem euasisse sponte sua, ꝓ bonum vltro deserens, in quo conditus fuerat, sua voluntate malus & impius est factus.

Episc.

Iacob. 1.

1. Ioan. 1.

Manichæi abhorrēt asserere Deum bonū esse authorē peccati, quod Luth. nō pudet.

¶ Et Ro. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.

Luth.

¶ Sæpe diximus animam, inter spiritum & carnem, quasi loco medio constitutam, sic vt in eius libertate fuerit, vel cōmonitorio spirit⁹ obtemperare, vel carnis acquiescere concupiscentiis. Si spiritum

Episc. Aīa media inter spiritū & carnem.

audiat,habet cum primis fautorem Deum,& angelos ac virtutum vniuersum chorum.Sin carni inclinetur habet diabolum impulsorem,& dæmones,ac demum vitiorum agmen vniuersum.In eius arbitrio situm est vtri parti sevelit addicere.Si carni cohæreat,tota carnalis efficitur, & talis homo sæpius in scripturis caro vocatur.Sin spiritum sequuta fuerit,spiritalis euadit. Propter quod &Paulus ad spiritales loquens ait:Vos non estis in carne, sed in spiritu . Anima igitur,quæ spiritus instinctum deserit, carnis concupiscentias sequuta, si sic pergat, nec vllis velit admonitionibus redire,merito tandem à Deo deseritur. Et sic deserta, tradi dicitur in reprobum sensum, vt faciat, quæ non conueniunt, quemadmodum omnes orthodoxi patres ad vnum interpretãtur. Neque quisquam eorum ausus fuit hoc malum in Deum refundere . Neque enim authore Deo , sed propria nequitia prolapsi sunt ii,de quibus hoc scripserat Paulus.Nam proxime superius dixerat, illis Deum inuisibilia sua patefecisse,vt sint inexcusabiles.Cur enim inexcusabiles dixisset eos Paulus,si non vltro & propria voluntate tales euaserint ? Propter ingratitudinem itaque suam,desertus à Deo fuisse palam est, nimirum,ꝙ sua spõte delegerint impietatem,nempe,ꝙ Deum(quem vtique nouerant) non vt Deum glorificauerint, sed contempserint ingratissimi.Nihil ergo pro te facit illud testimonium.

Rom.7. Quanto aĩa est à Deo derelicta.

Nõ authore Deo,sed ꝙ propria nequitia ꝙ lapsi sunt reprobi.

¶ Et.11.Quem vult indurat,cuius vult miseretur.

Luth. Episc.

¶ Quoties instituto tuo poterint inseruire, nemo tropos & loquẽdi figuras,diligẽtius obseruat, q̃ ipse facis Luthere. Quãobrẽ & cum idẽ hic nõ facias,palam est id ingenio prauo fieri.Cur hic(te quæso)sermonis figurã non agnoscis, quã & satis indicat cõsuetudo communis?Nam vt Orig.ait: Benigniores domini frequenter ad ministros eos qui per multam patientiam & benignitatem,insolentiores, improbioréfque facti sint,dicere solent:Ego te talem feci. Ego te perdidi.Mea patiẽtia te pessimum reddidit. Ego in-

quam(qui de tuis admissis non ilico pœnas sumpserim)huius tantæ insolentiæ tuæ caussa fui. Sic nimirum vulgo dici solet, & figura loquendi communis hæc est.Nec tamen herus seruum,sed seruum ipse seipsum sua sponte facit improbum . Hoc quum non ignores Luthere,sed & compertissimum habeas,huiusmodi tropos in sacris literis, passim occurrere quid calumniam infers verbo, quum satis explorate sensum teneas?Profecto res hæc palam indicat parũ candidi spiritus esse te.Nam cur non simili modo,quum audis scripturam dicentem?Quem vult indurat,&cuius vult miseretur.Cur inquam similem figuram,hoc loco non agnoscis, vt Deum intelligas nihilo magis alicuius indurare cor quàm herus aliquis, cuius nimia indulgentia seruus euadit contumax, aut pater quispiam,qui non assiduo flagello,filii sui duritiam, & insolentiam fugat?

¶ Sicut &Exod.9.de Pharaone dicit,in hoc ipsum excitaui te,vt ostendam virtutem meam in te,ideo enim est terribilis Deus in iudiciis & operibus suis. *Luth.*

¶ Hebræorum codex habet : Propterea feci stare te,vt ostenderem in te fortitudinẽ meam,& vt narretur nomen meum in vniuersa terra . Cui vetus litera epistolæ ad Romanos, in hunc modum respondet:In hoc ipsum seruaui te : ad quem sensum intelligi debet,quod iam dicitur, Excitaui te . Nam vt medicus plerũque damnato reo, vitam à præside prolixiorem impetrat,quatenus ex illius corpore,morborum caussas inquirẽdo multis aliis procurer sanitatem. Et iudex sæpenumero (quum posset criminosum statim punire) procrastinant tamen eius necem aliquot dies,nimirum vt ex diuersis cruciatibus (quibus illum afficiat)erudiantur cæteri,atq; per eum modum cunctis malefaciendi timor incutiatur.Ita nec dissimili fine Deus Pharaonem vel seruauit, vel excitauit, cum eum alioqui potuisset merito mulctasse . Excesserat enim Pharao peccandi modum , propter quod & iuste plecti potuit , verum non id protinus facere voluit Deus , sed illius prorogauit vitam , quatenus ex *Episc. Exod.9.*

flagellis eius erudirentur cæteri, diuinaque potestas cunctis innotesceret, & nomen Dei per vniuersum orbem prædicaretur.

Luth. ¶Sic rursus Prouerb. 16. Hominis est præparare cor, domini autem est gubernare linguam.

Episc. ¶Non tam huius prouerbii particula posterior tuam sententiam iuuat, quàm prior nostram. Nam si fuerit in hominis potestate præparare cor, quis dubitare potest, quin hoc ipso liberum habeat arbitrium? Si potest homo præparare cor, potest & bonis ac sanctis seipsum exercere cogitationibus, potest & prauas (modo velit) repudiare. Et hoc nimirum ingens est animi libertas. Neque enim loqui semper homini liberum est. Nam lingua, teneri morbo vel arceri vinculo potest. Neque semper aut stare, aut sedere, progredíve, seu quicquam forisoperari liberum est, cum ab iis agendis multifariam impediri posset homo, & per vim cohiberi.

Luth. ¶Hoc est, homo multa solet proponere, quum tamen adeo non sint in manu eius, vt nec verba in hoc ipsum habeat in potestate sua, coactus mirabili Dei prouidentia, & loqui, & facere aliter, quàm cogitauit, sicut in Balaam mõstratum est. Num. 24. Et Psal. 124. Non est sermo in lingua mea.

Episc. ¶Hoc est quod diximus, vim inferri posse membris quibuslibet humani corporis, vt non pro suo regantur arbitrio. Voluntati tamen inferri vis nulla potest. Duci quidem potest voluntas, cogi vero non potest. Quæ res item in Balaam satis constitit. Nam & si linguam eius ad benedicendum adegit spiritus, manet tamen ei voluntas libera. Studuit et modis omnibus maledixisse potius. Quare palam est in ipso Balaam volendi, nolendíve liberum arbitrium fuisse, tametsi lingua libera non fuerat.

Duci potest voluntas, cogi vero non potest.

Luth. ¶Et clarius infra, Prouerb. 16. Cor hominis cogitat viam suam, & dominus dirigit gressus suos. Ecce non sicut homo cogitat, via eius procedit, sed sicut dominus ordinat.

¶Quod dominus gubernet linguam, aut dirigat gressus, neutrum horum aufert homini liberum arbitrium. Dauid enim dicit: Nisi dominus ædificauerit domum, inuanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilat qui custodit eam. Et quanquam hæc vera sint nihilominus & artifices, & vigiles, suas operas impẽdunt. Neque enim ita vel structuram, vel custodiam ciuitatis à Deo fieri speramus, vt omnis illic humana, vel opera, vel industria cesset. Deo nimirum est tribuendum, si quid bene succedat, quin etiam laborantes iuuat, vt eorum labores dignum exitum sortiantur. Et ad eundem item modum, in gubernanda lingua, gressibúsque dirigendis facere credendus est, vtrobique manente nihilominus arbitrii libertate. *Episc.* *Psal. 126.*

¶Ideo &. 21. dicit: Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu domini quocunque voluerit, inclinabit illud. Vbi ergo est liberum arbitrium? figmentum est penitus. *Luth.*

¶Esto quocunque voluerit Deus cor inclinet regium, num propter hoc inuitũ cogisse creditur? Haud quaquam. Neque enim per vim, sed sua sponte magis vnusquisque tractum Dei sequitur. Quemadmodum si quisquam à consiliis regi sic se gereret, vt rex haberet persuasissimum illum nolle, nisi quæ fuerint optima sibi consulere, quippe cuius prudentiam & fidem sæpius ante fuisset expertus. An non auditis huius viri rationibus, rex facillime, si quid vel aliter faciendum constituisset, esset mutaturus? Esset hauddubie. Et quo melior atque prudentior ipse rex foret, tanto libentius esset id facturus. Sed & cum idipsum fecisset rex, quis dubitaret eum sua sponte, nullaque vi coactum id fecisse? Sic pari modo, quum Deus aut reges, aut hominis cuiusuis animum, inclinet ad hoc, vel illud faciendum, nulla prorsus violentia voluntatem adigit, sed potiore monstrata ratione, potius allicit, vt aliud faciat, quàm ipse pridẽ, secum facere constituerat. Quòd si non per vim adactus, sed sua sponte *Episc.*

mutata, voluntas aliud agit, quàm decreuerat, nihil est, cur debeat figmentum dici, & non magis res vera liberum arbitrium. Non enim vi res agitur, vt ait Origenes, neque necessitate in alteram partem anima declinatur. Alioqui nec ei culpa, nec virtus posset ascribi, nec boni electio, nec declinatio mali supplicium meretur, sed seruatur ei in omnibus libertas arbitrii, vt in quodcunq; voluerit, ipsa declinet, sicut scriptum est: Ecce posui ante faciem tuam, vitam & mortem & ignem & aquam. Et paulo post: Habet ergo in arbitrio sua anima, si velit eligere vitam Christum, aut in mortem ad diabolum declinare. Hæc Orig. in epistolam ad Rom. lib. 1.

Liberũ arb. nõ figmẽtũ, sed verũ res est.

Eccle. 15.

Luth. ¶ Atque si scriptura non doceret hæc, abunde ex omnibus historiis hãc veritatem disceremus, & vnusquisque, ex vita sua propria. Quis enim est, qui omnia quæ voluit effecit? imò quis id cogitauit facere, non sæpius alia statim cogitatione mutauit, nesciens quomodo mutarit.

Episc. ¶ Neque istud aufert à nobis arbitrii libertatem. Fieri quidem potest, non inficior, & fit plerunque, q̃ cogitatione cogitatio variatur, & ea quę nobis ante placuerunt, postea displiceãt, & demum quæ pridem voluimus, iam nolimus. Neq; enim semper in eodem statu permanet homo. Voluntas hauddubie mutari potest, sed quando mutatur, sua sponte mutatur, nulla vi cogitur. Cæterum nemo tam insensibilis est, vt non istud identidem experiatur, se quędam instituta perfecisse, quæ non mutarit. Quis enim vsqueadeo truncus est, vt non intelligat se (quomodo velit) posse leuare stramen, & idẽ iterato deponere? Nemo est cui non sit compertissimum, se multa sua sponte facere, & quæ posset eadem libertate dimittere, modo sibi libuerit. Quod si quorundam instituta mutentur, non id libertatem labefactat, imò statuit magis. Nam ex eo libertas eorum magis innotescit, nempe quòd verti poterit, & mutari. Ignis enim vrit necessario, neque mutari potest, quia non est ei liberum non

vrere. Voluntas contra, quia non solum velle potest, sed sursum nolle, quod pridem voluerat, ideo palam est, in eius esse potestate situm vtrunque, hoc est, tam velle quàm nolle pro suo arbitrio. Petrus enim qui paulo ante pollicitus est, pro Christo se moriturum, subinde mutauit animum. At hoc fecit nulla necessitate coactus, sed sua sponte, vsqueadeo vt nisi sponte sic fecisset, non peccasset. Mori timuit, ob quod & mentiri maluit potius, quàm mori. Negauit CHRISTVM, sed volens negauit, quia nondum paratus fuit pro CHRISTO mori. Si tum æquè paratus fuisset mori pro CHRISTO, atque postea fuerat, non negasset CHRISTVM, sed mortem obiisset potius, id quod postea fecit vltroneus. Voluntas itaque Petri, ipsa se vtrobique mutauit, in altero ex seipso deficiens, in altero per gratiam adiuta. Sed volens vtrunque fecit, ad quod nec necessitate, nec vi quauis adigebatur.

Marc. 14.

Mat. 26.

¶ Quis audet negare, se etiam in malis operibus, sæpius coactum aliud facere quàm cogitauit? An non putas huius Bullæ authores in eo fuisse totis & summis liberi arbitrii viribus, vt pro se contra Lutherum loquerentur? Et ecce, quàm non fuerit in eorum arbitrio, hæc cogitatio & operatio, omnia enim contra se, in caput suum operati sunt, vt nunquam legerim, quæ se fœdius abominabiliusque dedecorauerint, & in omnem turpitudinem errorum, hæresum, malitiarum, apertissime tradiderunt excæcati & ignorantes, adeo non est homo in manu sua, etiam mala operans & cogitans.

Luth.

¶ De coactione iam opinor satis dixim', voluntatem cogi non posse. Porro quantũ Bulla profecerit, alii viderint. Tu vero nisi supra modum esses excæcatus, palam cerneres teipsum multo fœdius, & abominabilius dedecoratum, atq; in omnem turpitudinem errorũ, hęresum, malitiarũ, ac (si quid execrabilius cogitari posset) impietatũ, apertissime traditũ esse, & longe magis q̃ alium quenquam hæreticorum,

Episc.

quos vnquam ipse legisti. Neque enim credibile mihi fuisset, tam post tot & tam apertas expugnationes à patribus ante factas quéquam hæc asserere denuo voluisse, nisi partim fide digna relatione, partim tot libris æditis, res euidentissima foret.

Luth. ¶Et vere Paulus Ephe.1.dixit: Deus operatur omnia in omnibus.

Episc. ¶Haud recte citas Paulum. Neque enim dixit, vt tu ais, Deus operatur omnia in omnib°, sed quód operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Quodvtique verum est, modo sane intelligas. Neque nostram libertatem, istud aufert. Nam Paulus his verbis non hoc egit, quod Deus in adulteris adulterium operatur, aut in sacrilegis sacrilegium. Alioqui foret apud Deum iniquitas, quod Paulus vehementer execratur. Hoc forte fefellit te, quod in fine capitis illi° de Christo scripsit, quod omnia in omnibus adimpletur. At hoc nihil ad hanc rem attinet, quum impleri pati sit, non agere. Et plane Hieronymus sic legendũ asserit, passiue, non actiue. Neque enim dixisse Paulum ait, Qui omnia in omnibus adimplet, seu qui omnia in omnibus adimpletur.

Luth. ¶Perit itaque hic etiam generalis illa influentia, qua garriunt, esse in potestate nostra, naturales operationes operari, secus rem habere, monstrat experientia omnium.

Episc. ¶Quę (te precor) experientia monstrat, naturales operationes in nostra nó esse potestate? Hoc præter te, reor experiri neminem. Et mirum esset, si tu solus ita sis conditus, vt tam acute cernas quod mortalium alius nemo facere potest. Ego certe vsqueadeo necessariam cunctis rebus generalem illam influentiam opinor, vt sine hac, nec motus agere suos, nec esse omnino posse, confitear. Per hanc etenim viuimus, mouemur, & sumus. Quam si vel ad momentum subduceret Deus, cuncta protinus interirent. Nam vt exempli caussa quiddam proferamus. Stella quæ ducatum ipsis Magis exhibuit, mox vt ei Deus hanc

Generalis influentia cunctis rebus necessaria.
Act.17.

subtraxisset influentiam, rediit in nihilum. Non operatio solũ eius, verum & esse, & essentia, deperiit funditus. At in fornace Babylonis, vbi vera mansit ignis essentia, nullam tamen læsionem corporibus Danielis sociorumque suorum; intulit eius vis, quia non astitit huic operationi Deus, per influentiam illam. Cooperatur itaque Deus cuique creaturę, per huiusmodi influxum, non adesse solum, verumetiam ad operationes singulas. Et per eundem exercere voluntas actum suum potest, aut volendi, aut nolendi, quoties libuerit. Neque id solum, verumetiam operationes naturales agere, si non impediatur, vt ambulare, stare, sedere, loqui, & id genus alia. Quæ nemo non experitur in sua potestate esse. Quis enim non compertissimum habet, se posse per influentiam illam generalem, quum voluerit stare, vel sedere, silere, vel loqui?

¶Et vide nos insensatos, ipsam radicem operum, nempe vitam ipsam, quæ caput est omnium operum, scimus omnes nullo momento esse in manu nostra, & audemus dicere aliquam cogitationem esse in manu nostra? Quid absurdius dici potest? Qui ergo vitam nostram in manu sua retinuit, motus nostros & opera, in manu nostra posuit? Absit. Vnde non dubium, Satana magistro, in ecclesiam venisse, hoc nomen liberum arbitrium, ad seducendos homines à via Dei, in vias proprias. *Luth.*

¶Ineptissime colligis. Propterea neminem suorũ operum authorem esse, quia nec vitæ fuit, quæ radix est operũ. Nam satis experimur lapidem sursum proiectum, suapte natura deorsum ferri, ignem contra, perpetua quadam agitatione conari sursum. Et horũ sane motuum caussam quandam internam habet vterque, quæ sic horum motuum est autrix quomodo suæ non fuerat essentiæ. Nihil enim est essentiæ suæ caussa. Sed præter hæc ea (quæ viuunt solum) & non sentiunt, etiam quiddam intra se, suorum motuum effectiuum habere dinoscuntur, quod vtique seipsum *Episc.* *Ineptissima Lut. collectio.* *Mat.5.*

non effecit. Porro quæ sentiunt, identidem internũ quoddam principiũ obtinét, quo se crebrius ab vno loco in alterum queant transferre, nec tamen istud principium, aut illis, aut sibi præstitit vitam. Quum igitur ita videmus in iis creaturis, quæ rationis & voluntatis expertes sunt, solosque motus naturales habent non liberos, hominem (qui longe pręcellentioris conditionis est) negabimus intra seipsum suorum motuum habere principium, quia nec in eius potestate suam vitam habeat? Quis enim non experitur in seipso, vim quandam rationis, tam de suis quàm de cęterarum creaturarum naturalibus motibus iudicare posse, & quosdã ita probare, vt admittat, quosdã sic reprobare, vt reiiciat? Aut quis non sæpius periculũ fecit in seipso, quũ esset ex præsentia cuiuspiam fœminæ vehementer in libidinem concitatus, hunc motũ nihilominus, ne longius progrederetur, cohibuisse? Quod certe non potuit, ni fuisset ei liberũ. Quisquis profecto secum caste, pureque viuere cõstituit, quanquam aliquando consenserit in libidinem, se tamen potuisse motum illum, ne perageretur, cohibere, scio non negabit. Alioqui Christus in Euangelio non tanta seueritate, cordis mœchiam condemnasset. Sed & si necessitatis, non libertatis esset hos motus sequi, cur in foro, cæterisque locis publicis, vbi fœminæ viris, & viri fœminis corã pręsentes sunt abstinetur, vt non more canum, se publicitus cognoscant, & ea quæ sunt necessitatis pergant? Quod si dixeris humanum pudorem id prohibere, palàm ex eo fit, & voluntatem seipsam cohibere posse, ne res tam omnino pudendas faciat. Dilucidum igitur est, quod quãquam in nostra manu vita (quæ radix est operũ) nequaquam sit in nostra tamen potestate situm est, quo motus istiusmodi coercere possimus, ne progrediantur ad opera modo nostram adhibuerimus diligentiã. Nec est dubium, quin is (qui contra senserit) magistrum & præceptorem habeat satanã, satanæq; discipulus sit, non Christi Iesu seruatoris nostri.

¶Fratres Ioseph, omnes cogitauerunt eum occidere, & ecce ipsa cogitatio à Deo non erat in eorum arbitrio, vt etiam in contrarium mox omnia cogitarẽt, sicut dixit: Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. *Luth.*

¶Cogitarunt hauddubie fratres Ioseph eum occidere, quam etiam cogitationem mutauerunt, nulla vi coacti. Refert enim scriptura Iudam dixisse fratribus suis: Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum & celauerimus sanguinem ipsius? Melius est, vt venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluãtur, frater enim & caro nostra est. Hac sanè ratione permoti, sententiam suam ilico mutarunt, & vt Moses illic scribit, acquieuerunt sermonibus Iudæ. Parentes itaque vitæ Ioseph, eum de cisterna leuatum, Ismaelitis tum forte prætereuntibus vendiderunt. Palàm est igitur eos sponte sua fecisse, quod fecerãt. Et quanquam Deus in bonum verterat hanc venditionem, quam illi seu malum quiddam & dispendium fore cogitabant, quid hoc arbitrij libertatem impedit? Nam arbitrii libertas, nequaquam in opere complendo reposita est, sed in assensu, vel dissensu voluntatis. Et quid si Deus in hoc opere nõ sinebat priorem illorum cogitationem adimpleri, nũ propterea neminem alium patitur, vt quæ cogitat, opere perficiat? Stultum est asserere, nedum impium, & auribus Christianorum execrabile. *Episc.*

¶Habes miserande papa, quid hic oggannias. Vnde & hunc articulũ necesse est reuocare. Male enim dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua, quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia (vt VVicleſi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eueniunt. *Luth.*

¶Si cuncta quæ fiunt, necessitate quadam absoluta proueniant, & si præsentia Dei, rebus euenturis *Episc.* *Nõ omnia*

de necessitate absoluta euenient.

necessitatem imponat, tum profecto liberum (vt dicis) arbitriũ nihil aliud esse potest, quàm titulus absque re. Verum hoc apertissimè falsum esse conuincitur non solum ex constanti patrum omnium orthodoxorum sententia, verumetiam ratione quæ palàm docet, nihil humanæ conuersationi pernitiosius posse cogitari. Nam ad hunc modum industria penitus omnis humana periret. Quid enim aut ægris medici peritia conferret, aut agris colendis agricolæ studiũ, aut demum vrbibus administrandis prudentium consilia? Nam vbi semel ægro persuaseris omnia ex mera necessitate prouenire, Deique prouidentiam rebus cunctis euẽturis ineuitabilem inferre necessitatem, mox ille subiiciet, se frustra medicamen aliquod suscepturum. Aut enim, inquiet, Deus ex hoc morbo me conualiturum præscit, aut emoriturum. Si conualiturum tum frustra medici consilium aut medicamẽ quæsiero, quum certum sit ex hac prænotione, me necessario salutem consequuturum. Sin emoriturum præscierit, nihil prodesse medicamen poterit aduersus præscientiam Dei. Pariter & ægricola respondebit, & prefectus cuiusque ciuitatis, atque ita peritia quæuis, & industria, consiliũque, protinus omne cessabit humanum.

Luth. ¶Quod & poeta voluit, quando dixit: Certa stant omnia lege.

Episc. Præstantia philosophiæ Lutheranæ

¶Quasi poetis in hac re maior adhibenda sit fides, quàm aut philosophis, aut theologis, & perinde ac non illis fuisset semperæqua libertas cum pictoribus, fingendi quicquid libuisset. Mirum sane est, poetas te velle citare quum philosophos exploseris. Sed huc adegit te necessitas, non tua libertas, quæ tibi nulla prorsus est.

Luth. ¶Et Christus Matthæi sexto: Folium arboris non cadit in terram sine voluntate patris vestri qui in cælis est, & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.

Episc. ¶Et hic etiam vt mentiaris, te forte necessitas im-

pulit. Neque enim in toto Matthæo reperitur, quòd folium arboris non cadit in terram sine voluntate patris vestri qui in cælis est. De passeribus vtique scriptum est, quòd vnus eorum non cadit in terram sine patre vestro. Sed donemus ita scripsisse Matthæum, non tamen protinus ex eo consequitur, euenire cuncta de necessitate, cum diuina prouidentia (quemadmodum supra pluribus ostendimus) non auferat rerum contingentiam, neque necessitatem absolutam rebus euenturis inferat.

¶Et Esaias. 41. eis insultat, dicens: Bene quoq; aut male, si potestis, facite. *Luth.*

¶Oculatius inspicias Esaiam, & inuenies non ad homines, sed ad idola magis hoc fuisse dictum. Nam proxime ante prædixit Esaias ad idola loquens: Annuntiate quæ futura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. Et continuo sequitur: Bene quoque aut male, si potestis facite. At hęc Luthere, tibi nequaquã imputanda sunt, sed necessitati, siquidem omnia de necessitate proueniant. *Episc.*

¶Vnde & ego hos liberi arbitrij seu Baal prophetas exhortor cum Helia. Agite, estote viri, facite quod in vobis est, tentate saltem aliquando, id quod docetis, præparate vos ad gratiam, & obtinete quæ vultis, quandoquidem dicitis, Deum non negare quicquã, si feceritis quod liberum arbitrium potest, vehementer turpe est, vt vestræ doctrinæ nullum exemplum adducere, nullum opus vosipsi præstare queatis, & solis verbis sapientes sitis. *Luth.*

¶An non tenes, quæ Iacobus ait? Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Si non potest conuerti peccator, frustra Iacobus ista tradidit. Frustra monuit impendendam operam conuertẽdo fratri. Et frustra quoque tot cõciones quotidie fiunt, ob conuertendos peccatores. Sin potest conuerti peccator, profecto non deest ei libertas arbitrij, quo conuertatur. Nam si necessitate peccator quisquam est, non voluntate, frustra cona- *Episc. Iac. 5.*

bitur,quisquis ipsum conuertere studebit. Nec desunt exempla plurima, quæ proferamus, eorum qui per conciones ad viam rectam, à turpi luxu, ad vitæ sanctitatem,& à maximis demum sceleribus ad virtutem capescendam sunt conuersi. Verum tu,quoscunque producemus,confestim clamabis, & hos per gratiam,emendationé hanc inchoasse. Neque istud nos negamus ad sanum sensum,nempe,quòd non sine auxilio gratiæ,verũ quòd tunc omnes accepissent gratiam gratificantem reclamamus omnino. Præparantur enim fide, & bonis operibus,quemadmodum de cathecuminis Augustinus tradit. Quæ nimirum præparatio,non semper habita gratia gratũ faciente fit, tametsi non fiat absque omni prorsus auxilio gratiæ. Neque enim assensus in articulos fidei fit absque gratiæ auxilio, quanquam fieri posset ab eo, qui non adhuc per gratiam fuerit actu iustificatus, sicut & in malis Christianis quotidie fit,in quibus non est ipsa gratia quæ Deo facit ipsos gratos.

Luth. ¶Verum Pelagium sub iis studiis alunt. Quid enim refert si neges gratiam ex operibus nostris, & doceas tum per opera nostra dari? idem manet impietatis sensus,quò gratia non gratis, sed ob nostra donari creditur. Neque enim Pelagiani alia opera docuerunt & fecerunt, propter quæ gratiam dari voluerunt,quam vos docetis & facitis. Eiusdem sunt liberi arbitrij opera eorundemque membrorum, sed alia vos eis nomina & alia illi dederunt,ieiunium,oratio,eleemosynæ eadem erant,sed vos congrua illi condigna ad gratiam vocauerunt vbique tum idem Pelagius triumphator perseuerauit.

Episc. Plurimum inter orthodoxos & pelagianos interest. ¶Plurimum (vt ante diximus) inter orthodoxos ac Pelagianos interest. Nam hi nec gratiam necessariam esse putant qua cælum consequamur. sed posse vnumquenque suis viribus promereri beatitudinem. Orthodoxi contra, negant id fieri posse sine gratia. Quod vtique discrimen satis est, vt orthodoxus à Pelagiano dinoscatur. Porro quòd opera bona

extra charitatem facta, nihil omnino præparent ad gratiam,falcissimum esse superius cõstitit tam ex scripturis,quàm ex patrum vnanimi concordique sententia. Sed & inaniter iis,qui grauioribus noxis pressi resipiscere moliuntur,aut orare suademus,aut eleemosynas dare,siue ieiunare, seu quicquam aliud operis boni facere,si necessitate sic peccent,vt nequeant vllis modis,aut studiis,Deum sibi facere propitium. Cæterum quæ fuerit ipsa Pelagianorũ opinio,siue quãtum ab orthodoxis discrepet,hi(qui Pelagio contemporanei fuerunt,& qui confutarunt eius hæresim) multo certius nouerunt, quàm Lutherus iam potest nosse, vt nihil nobis metuendum sit præparationes animorum ad gratiam,per orationes,ieiunia,eleemosynas, atq; peccatorum detestationem & lachrymas, ac ad genus alia fieri posse,quum idem ipsi patres,qui Pelagium vnà cum sectatoribus eius condemnarunt, ista doceant à peccatoribus oportet fieri, quatenus ipsi gratiam facilius impetrent.

Luth. ¶Fallit hos miseros homines rerum humanarum inconstantia seu (vt vocant) contingentia, oculos enim suos stultos mergunt in res ipsas,operaque rerũ, nec aliquando eleuant in conspectum Dei,vt res supra res in Deo cognoscerent. Nobis enim ad inferna spectantibus,res apparent arbitrariæ & fortuitæ,sed ad superna spectãtibus,omnia sunt necessaria. Quia non sicut nos,sed sicut ille vult,ita viuimus,facimus, patimur omnes & omnia.

Episc. Sacrosãcta. Lut. doctrina Deũ omnium flagitiorũ autorem facit. ¶Nemo sane teipso miserior est,quia tanta Deum insectaris blasphemia, vt illum facias authorem omnium flagitiorum. Nam quid magis execrandum cogitari potest,quàm quòd Deus optim⁹ maximus, quẽ Paulus velle testatur omnes homines saluos fieri,cogat eosdem adulteros esse,& sacrilegos,ac si quid esse flagitiosius potest? Quodque tales non sua sponte fiunt,sed mera necessitate,nempe, quia Deus vult eos tales esse. Quid potest insanius dici? An oblitus es dixisse Paulũ: Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra? *1.Tim.2.*

Universidad de Deusto Biblioteca

1.Thes.4. Et id quidem Thessalonicensibus dixit, inter quos & tamen hos affirmat Paulus Deum voluisse castè sanctéque viuere. Sed & Dauit: Mane, inquit, astabo tibi & videbo, quontam non Deus volens iniquitatem tu es. Quod si nolit iniquitatem Deus, non est putãdus iniquitatis author. Anathemate igitur merito feriandus est, quisquis Deum asserit iniquitatem velle, aut peccati alicuius authorem esse. Nam hoc planè falsissimum esse docet Aug. quum in aliis passim locis, tũ in libro de casibus, falsò sibi per Pelagianos imputatis, sic inquiens: Non casus ruentium nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit, sed planè prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem iudiciũ manifestissimè, & omnis homo, quem discretio diuinæ scientiæ, in sinistra constituerit parte, damnabitur, ꝙ non Dei, sed suam exequutus est voluntatem. Ecce nec Dei voluntate peccant homines, neque quod voluit Deus, sed quod peccator ipse voluit, operat⁹ est, propter quod & in sinistra parte constituetur, iustè meritoque damnandus, nec præsentia Dei quenquã adigit ad peccandum. In quod apertissimè monstrat in prædestinatione & gratia. Respõdetur, inquit, Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit, quale præsciuit Deus, sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quanuis eum non sic fecit Deus. Hæc August. Et Ambr. lib. 2. de vocatione omnium gentium, posteaquam de Dei præscientia multa disseruit, tandem subinfert. Contra hanc inuictæ veritatis splendidissimam lucem, solent quidam non sobrie dicere, superfluo ad acquirenda bonorum & operum merita laborari. Frustra etiam orationibus quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito eius Christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest quàm omnipotentis volũtate dispositum est. Sed qui se ingeniose hoc arbitrantur opponere, & intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita & præsentia, & futura complectitur tempore non teneri. Et tam in conspectu eius astare ea quæ gerenda sunt, quàm illa quę aut geruntur aut gesta sunt. Quod quum verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus, quæ perpetuo veroque contuitu creata, & creanda, simul aspicit, & quicquid in vniuersitate rerum per secula prę-finita euoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipsius summa illo perfectoque iudicio mundi huius finis accipiet. Hactenus Ambrosius. Subscribit & his Hieron. super Hieremiam, libro quinto: Verbum ambiguum, forsitan maiestati Domini non potest cõuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium, ne ex præsentia eius, quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Nõ enim ex eo ꝙ Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus nouit, quasi prę scius futurorum. Et rursum super Ezech. lib. 3. Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis monstret arbitrium, ne præscientia futurorum mali vel boni immutabile faciat, quòd Deus futurum nouerit. Non enim, quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quòd ille præsciuit, sed ꝙ nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurum quasi Deus. Hæc Hiero. Et Leo papa quoque suffragatur sermone de passione domini. 16. Nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei ora consilio? & illud facinus quod omni maius est crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de summa iustitia sentiendum est, quia multum diuersum, multumque contrarium est id quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi, nec de vno extitit spiritu atrocitas sceleris & tolerantia redemptoris.

Psal.5. Nõ casus ruentium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit, sed plane prædestinauit iudiciũ suũ Deus.

Non Dei voluntate peccant homines.

Dei præsciẽtiã nõ cogere hominẽ vt talis sit quale præsciuit Deus.

Sed præscire talẽ futurũ qualis futurus est.

Nõ ex eo ꝙ Deus scit futurũ aliquid, idcirco futurũ est, sed quia futurum est, Deus nouit quasi præscius futurorum.

Non enim impias furentium manus immisit in se dominus, sed admisit. Non præsciendo quod faciẽdum esset, coegit vt fieret. Hæc ille. Accedit his Origen. in in epistolam ad Ro. lib. 7. Neque in præscientia Dei, vel salutis, vel perditionis nostræ caussa consistit, neque iustificatio ex sola vocatione pendebit, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatum est. Nam & si communi intellectu de præscientia sentiamus, non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est scitur à Deo antequam fiat. Nam & si (verbi gratia) fingimus Deum non prenoscere aliquid, futurum sine dubio erat, quod ita, vtputa Iudas proditor factus est, & hoc ita futurum prophetæ prædixerũt. Non ergo quia prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Iudas, sed quia futurus esset proditor, ea quæ ille ex propositi sui nequitia gesturus erat, prædixerunt prophetæ. Hæc Orig. Cõsentit Chrys. hom. 60. super. Mat. 10. Quid autẽ necessitatem sic dicat, nõ quia voluntatis libertatẽ, potestatemque liberi arbitrii tollat, nec quia necessitati rerum, humanam subiiciat, hoc dicit, sed quod omnino venturũ est prænunciat. Quod Lucas aliis verbis expressit, non esse susceptibile dicens, quod non veniãt scandala. Quæ porro sunt scandala? Rectæ ac probæ vitæ confusio atque peruersio. Sic etiam qui versantur in scena, eos qui corpora peruertunt, scandala vocant. Non ergo prædictio ipsius scãdala inducere putanda est. Non enim quia futura scandala prædixit, idcirco veniunt, sed quoniã omnino ventura erãt, idcirco prædixit. Nõ enim fierent si nollẽt ea excogitare nequam homines atque pestiferi, ꝙ si vẽtura nõ fuissent, nec ipse futura prædixisset. Ventura vero erãt, quia multi erant grauiter ægrotantes, quæ noluerunt non agere maligne, & ipse quod futurum erat prædixit. Sed si illi curati fuissent, quispiã dicet, ac nemo esset, qui scandala faceret, nonne hic sermo falsitatis crimine teneretur? Certè si curari sanarique omnes voluissent, nõ dixisset, necesse est scandala ve-

Non quia prophetæ dixerunt idcirco prodidit Iudas, sed quia futurũ esset proditor prædixerunt prophetæ.

Luc. 17.

Non quia futura scãdala prædixit, idcirco veniunt, sed quoniã omnino futura erãt idcirco prædixit.

nire. Sed quia sua sponte incurabiles futuros perspiciebat, ideo ventura omnino prædixit. Hæc Chryso. His assentitur & Damasc. lib. 2. cap. 30. Operæpretiũ est agnoscere, omnia præstare Deum, non autem omnia prædiffinire atque prædestinare. Præscit enim & ea quæ in nobis, non prædiffinit autem hæc, nam non prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti. Hæc ille.

Luth.

¶ Cessat liberum arbitrium erga Deũ, quod apparet erga nos, & tẽporalia, illic enim, vt Iacobus ait, nõ est transmutatio, nec vicisitudinis obumbratio. Hic vero omnia mutantur & variantur.

Episc.

¶ Vtrumque sane verissimum est, & Deum præscire cuncta priusquam fiant, & multa quoque contingẽter fieri. Videtur equidem hæc sibi repugnare, sed minime repugnant. Neque enim aut rerum contingẽtia, diuinæ prænotioni quicquam præiudicat, aut diuina rursum prænotio rerũ contingẽtiæ. Si Deus nõ prænoscet omnia priusquã fierent, profecto non esset Deus. Quũ Deum oportet summè sapientem esse, nec vllo posset ipse carere sapiẽtiæ gradu. Et rursum si rerũ contingentia nulla fuerit, omnis humana cessaret industria, nec agris colendis vllã necesse foret operã dare, nec pecoribus alendis vllum studiũ, aut pueris demũ recte educãdis solertia quæuis adhiberi deberet. Fateri igitur oportet vtrũque, nimirũ & in Deo rerũ omniũ futurarum esse prænotionẽ, & earũdem nihilominus in seipsis esse cõtingentiã. Quod & diuus Petrus testatur, inquiẽs: Quapropter fratres magis satagite vt per bona opera certã vocationẽ vestram, & electionem faciatis. Quid enim hortaretur nos Petrus ad opera bona, si non voluntate, sed necessario, si non contingenter, sed necessitate quadam ea fierent à nobis? An non præscientiæ necessitas, ea fieri cogeret, vel Petro non hortante? Et cur per hæc affirmat Dei vocationem & electionem in nobis posse fieri certam, si Dei præscientia necessitatem illis imponat? Sed vtinam ij, qui sic rerum contingentiam

Cum præsciẽtia Dei stat contingentia in rebus.

2. Pet. 1.

negant,& cuncta fieri contendunt absoluta prorsus necessitate tandtu cruciatibus exponerentur,vt quidam rectè consuluit, donec agnoscerent,se cõtingẽter,& non necessario sic cruciati. Neque aliter certè ab hac insania liberari facile queunt.

Luth. ¶Et nos stulti, diuina æstimamus secundum hæc temporalia? vt libero arbitrio præsumamus Deum præuenire, & gratiam extorquere velut dormienti, quoties libitum fuerit, quasi ille mutari nobiscum posit,& velit quod aliquando noluit, idque nostro libero arbitrio operante & volente. O furor furorũ omninm nouissimus.

Episc. ¶Vtrunque, sicut diximus, compertissimum est, & Deum cuncta præscire priusquam fiant, & nos nihilominus nostra sponte,multa contingenter operari. Quod & August.lib.5.de ciuitate Dei palàm confitetur,inquiens: Nullo modo cogimur aut retenta præscientia Dei tollere volũtatis arbitrium, aut retẽto volũtatis arbitrio,Deum(quod nephas est)negare præscium futurorum,sed vtrunque amplectimur, vtrunque fideliter & veraciter confitemur. Hactenus Augustinus.Vtrunque igitur verum sit oportet, hoc est,prænouit Deus quæcunque sunt futura,& tamen liberam sinit hominibus agendi libertatem. Nam vt idem paulò inferius dixit:Multa facimus quæ si nollemus,nõ vtique faceremus. Neque prorsus deserit operantes Deus,vt auxilio speciali destituit eos, qui nituntur & se præparant ad rectè operandum.De talibus enim propheta dixit: Præparationẽ cordis eorum audiuit auris tua. Nemini deest auxilium istud speciale, nisi prorsus induratis & traditis in reprobũ sensum,à quibus nec iniuria propter summam ipsorum ingratitudinem, id subtractum est.Et quoniam hoc auxilium nunquã non adest cuiq; peccatori,potest(quum velit)ad bene operandum se conuertere. Quod si fecerit,scripturis innumeris pollicetur Deus peccatorum veniam. Si pœnitentiam, inquit, egerit impius de peccato suo,omnium iniquitatum eius nõ

Psal.9.

Ezech.11.

recordabor.Et in euang. Christus dicit: Hierusalem quoties volui congregare filios tuos,quemadmodum gallina cõgregat pullos sub alis,& noluisti.Ecce voluit Christus,& ipsi noluerunt.Quamobrem & spontanea voluntate nõ absoluta necessitate, Christo restiterunt.Quis ergo non videt liberum esse peccatori,præsertim quum non absit auxilium Dei, quod & præsto semper est,se parare posse ad veniam? Quod quum sua sponte,non coactus faciat, contingẽter vtique facit.Nec tamẽ per hoc aut præuenitur Deus, aut mutatur,aut de nouo quicquam vult, quod ante noluerat.Quæ res tanto & tam vnanimi patrum omnium orthodoxorum assensu traditur & docetur, vt horum sententiis repugnare, non potest non furorũ omnium furor amentissimus esse.

Mat.23.

Liberum est se peccatori se parare posse ad gratiam.

¶Et Paulus Ephes.2.dicit: Eramus & nos natura filij iræ sicut & cæteri. Si omnes extra gratiam sunt filij iræ ex ipsa natura, ergo & liberum arbitrium est filius iræ ex natura sua, multo magis ex omnibus operibus suis.Quid autẽ esse potest, natura filius iræ, nisi quòd omnia quæ facit sunt mala, non ad gratiã, sed ad iram præparantia, imò iram merentia?Ite nũc Pelagiani & operibus vestris præparate vos ad gratiam,quum hic Paulus non nisi iram illis mereri omnes dicat. Mitius erat si solum dixisset: Eramus filii iræ,sed addens, natura certè totum quod sumus & facimus ex natura, non nisi meritum iræ, nequaquam gratiæ intelligi voluit.Vix breuiorem & apertiorem potentioremque in scripturis inuenias sententiam aduersus liberum arbitrium.

Luth.

Epist. ¶Profecto nec ista scriptura quicquã tuæ peruersitati suffragatur.Eramus vtique per naturã filij iræ. Tales enim nati fuimus, sed per immensam Dei bonignitatem,filij gratiæ facti sumus.Nam sequitur continenter in eodem Paulo:Deus autem(qui diues est in misericordia)propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos,quum essemus mortui in peccatis,conuiuificauit nos in Christo,cuius gratia estis saluati. Nõ

Ephe.2.

opinor te dicturum, nos simul & mortuos, & viuificatos esse, neque simul, & iræ filios, & gratiæ factos, sed alterum post alterum vicissim. Neque rursum ab hoc coacti sumus, vt gratiam reciperemus, sed nostro assensu, & nostra sponte gratiam hanc accepimus, Deo liberaliter eam nobis offerente, & nos ad tantam inuitante dignitatem, qua fuimus alioqui indignissimi. Per mortem enim filij sui Iesu, cunctis credituris potestas hæc donata est, nimirum vt filij Dei fierent, modo velint in ipsum credere. Neque dubium cuiquam esse potest, quin hæc potestas ante sit eis facta, quàm crederent, nempe quum essent in peccatis mortui, & adhuc inimici Dei. Quamobrem quum nemo potest inuitus hac affici gratia, sed opus est, vt vltro & sua sponte quis in eam assentiat, & quum his offertur qui nondum amici sunt, palàm est, quòd amicitiam Dei quærentibus, ipse propensius erit ad misserandum, quàm iis qui contemnunt. Neque enim credibile est, Deum, iis qui quærũt eius amicitiam & modis omnibus possunt, conantur ipsius amici fieri difficiliorem & duriorem exhibiturum sese, quàm contemptoribus maiestatis suæ, præsertim si nihil illi de suis operibus presumant, sed de clementia Dei, simul & pollicitationibus in scriptura sacra per eius filium apertissimè traditis. Verum hoc te fallit quòd etiam hanc præparationem existimas natura sola fieri, ac proinde nihil præter iram promereri. Nam peccator quiuis non prorsus derelictus à Deo, potest ad eiusmodi præparationem faciendam, per fidem excitari, citra gratiam. Quod autem per fidem citra gratiã fit, non sola natura fit, quum fides omnino sit supra naturam, Dei enim donum est fides, vt inquit Paulus, & nõ ex hominibus. Quamobrem & apertissimè falsum est, quod colligere moliris, nempe quòd (omnia quæ facit liberum arbitrium extra gratiam,) sunt mala, & non ad gratiam, sed ad iram præparantia, imo iram merentia. Nam, vt ostendimus, multa fiunt à libero arbitrio per se, supra naturam, & tamen extra gratiam, quibus non iram promeretur peccator, sed magis ad gratiam præparatur.

¶ Et quid multis modis agimus? Ex supradictis abundè cognouimus etiã iustos magno certamine cõtra suam carnem laborare, vt faciant bonũ, resistitq; eis liberum eorum arbitriũ & prudentia carnis summis viribus concupiscens contra spiritum, odiens ea quæ sunt spiritus & legis Dei. *Luth.*

¶ Si liberum arbitrium (vt tu ais) in iustis illis, qui magno certamine contra carnem suam laborarunt, vt facerent bonum, restitisset eis id conantibus, ergo non volentes, sed inuiti bonum, agere conati sunt. Quod si verum sit, nec iusti possunt dici. Quis enim mereri potest, ob id, quod inuitus facit? Quum dicat Paulus: Non ex tristitia, aut ex necessitate, hylarem enim datorem diligit Deus. Non est ergo iustus dicẽdus, qui quantumuis boni faciat, non sua sponte, nec libero facit hoc ipsum arbitrio. An non legis Paulũ, qui de iustorum numero fuit, quos magno certamine compertum est aduersus carnem laborasse, quid dixerit? Non quod volo bonum, inquit, hoc facio, sed quod nolo, malum hoc ago. Ecce Paulus cum spiritu contra carnem, vult bonum quod non facit, & non vult malum quod facit. At satis constat, velle & nolle nõ alterius esse potestatis quàm liberi arbitrij. Quãobrem & arbitrio Paulum aduersus carnem cum spiritu laborasse, certissimum est. Nequeunt igitur ista, tuis institutis conquadrare, nempe, qui liberum arbitrium, & prudentiam carnis, vnam rem videris asserere, quam & facis ita contra spiritum concupiscere, vt ea quæ sunt spiritus ac legis Dei non odire non posset. Cui sententiæ, cuncti quos legerim orthodoxi patres reclamant penitus. Nam hi mediam inter spiritum, & carnem, animam constituunt, atque in eius arbitrio situm esse dicunt, cui potius velit adhærere, spiritui ne, an carni magis. Potest enim, si velit prudentiã spiritus sequi, potest & identidem prudentiam carnis. Tibi vero non hæ tres hominis partes, spiritus, *Episc.* *1. Cor. 9.* *Rom. 7.* *Caro.* *Anima.* *Spiritus.*

inquam, & anima atque caro. Quæ res potissimum erroris tui caussa est?

Luth. ¶Et quomodo possibile est, vt sine spiritu ex natura sua possit pro spiritu concupiscere, seu ad spiritum se præparare, faciendo quod in se est?

Episc. ¶Quid hic asserit liberum arbitrium sine spiritu esse, si de sancto spiritu velit intelligi, quantum ad malos verum est, sed quantum ad bonos omnino falsum. Cæterum & in malis, quanquam absit Dei spiritus, potest nihilominus liberum arbitrium, non dico per naturam, sed per fidem (quæ supra naturam est) ad ipsum spiritum se præparare, & pro spiritu concupiscere, modo non defuerit auxiliũ Dei, quod & peccatoribus deesse nunquam solet. Falsum igitur est, si pro Dei spiritu, quod dixit intelligit. Nec sane minus est falsum, si pro spiritu humano velit accipi: Nunquã enim hæc Trinitas in homine separatur, animæ spiritus, & carnis. Sed caro semper (vt Paulus ait) aduersatur spiritui, & spiritus identidem carni. Anima vero media, nunc cum carne contra spiritum in malis pugnat, nunc ediuerso cum spiritu contra carnem in bonis. Alioqui nõ dixisset Paulus: Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi Dei, quoniam bona est. Et quomodo Paule consentis legi Dei? Num quia libere volens bonum, & quod humanus tibi suggerit spiritus, id perficere nequeas? & libere nolens malũ (quod caro suggerit) hoc tamẽ in te fomes operatur? Sic vtique legi Dei libero consentis arbitrio, quia bona est. Nimirum quia vetat malum, & bonum contra præcipit.

Gal. 5.

Rom. 7.

Luth. ¶In gratia dum fuerit, natura eius talis est, vt contra gratiam indomitam pugnet, & extra gratiam talis est, poterit natura eius, vt spiritum iuuet. Quid insanius fingi potest?

Episc. ¶Nemo certẽ præter Manichæum hoc dixerit, qui & naturam animæ vsqueadeo malum arbitratur, vt neque possit non peccare. Nam ad hũc modum liberum arbitrium tibi peccabit semper. Ais enim ipsum

peccare, quicquid ante gratiam agit, sed & quia post acceptam gratiam, aduersus ipsam gratiam idem pugnare contendis, similiter & peccare cõfiteris. Quoniam qui contra gratiam reluctatur, à peccato nõ est immunis, atque ita iuxta te nunquam non peccabit. Sed & si liberum arbitrium gratiæ reluctatur, quomodo gratiam retinere posset? Quum gratia nõ diutius in anima cuiusuis maneat, quam spõte retineatur ab eadem. Cæterum non est eiusmodi naturæ liberum arbitrium, quemadmodum ipse fingis, vt solum ad ea quæ mala sunt, addictum sit. Sed est naturæ vertibilis ad bonum, aut ad malum, & nunc carni quidẽ ad malum, nunc vero spiritui consentit ad bonum. Quamobrem & nos retrorsum, hanc tuam in te collectionem verius retorquebimus, ad hũc modum: Liberum arbitrium extra gratiã, potest auxilio Dei (quod nulli peccatori deest) se sua vertibilitate ad spiritũ præparare. Ergo non est eius natura talis, vt sub gratia constitutum, gratiæ semper aduersetur.

Liberũ arb. quid sit.

Luth. ¶Esset enim hoc monstrum nouum simile huic. Si quis indomitam feram vinculis custoditam, domare non possit, & tamen insanus iactet eam ante vincula, & sine vinculis esse tam cicurem & mansuetam, vt sponte se domet, seu vt dometur, laboret?

Episc. ¶Nihil enim monstri est, quod nos hic dicimus. Nam hoc ipsum priores patres vnanimiter affirmarunt. Neq; patres modo, verumetiam scripturę prorsus attestantur. Sic enim ad Hieremiam Deus ait cap. 26. Sta in atrio domus domini, & loquaris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo domini, vniuersos sermones quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos. Noli subtrahere verbum, si fortẽ audiant, & conuertatur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter malitias studiorum eorum. Ecce mali fuerũt isti, ad quos Hieremias missus erat, & nisi liberum fuisset eis reuerti, non dixisset Deus in hac scriptura, si fortẽ audiant, & conuertatur vnusquisque à via sua ma-

Ia,&pœniteat me mali,quod cogito facere eis.Sed tu mihi videris hic liberum arbitrium pro concupiscentia carnis accipere. Hæc enim talis indomita fera est qualem tu fingis. Neq; enim domari vnquam potest ipsa concupiscentia,spiritui semper aduersatur,semperq; aduersus gratiã pugnat. At liberum arbitrium longe ab illa diuersæ naturæ est. Nã ipsum adiutum gratia,contra carnis concupiscentiam strennue dimicat,& patres agit spiritus,factaque carnis,iuxta Pauli monita,modis omnibus mortificare studet.

Luth. ¶Desistite queso, ab hac insania miserrimi Pelagiani.Si liberum arbitrium in gratia peccat,&insanit aduersus gratiã,sicut cogimur omnes sentire,& quæruntur Apostolus & omnes sancti,certè contra omnẽ sensum est, vt extra gratiam probum sit & ad absentem separet,quam præsentem odit & prosequitur.

Episc. ¶Tu potius ab insania tua desistas Luthere.Nihil enim nobis commertii est cum Pelagianis.Sed tu plane qui liberum arbitrium vsqueadeo naturæ depraua-

Lutherus Manichæ°. tæ statuis, vt non posset non peccare, Manichæorum errore seductus es. Insuper & incompossibilia quædam simul & in eo coadunas, nempe gratiam & odium gratiæ.Nam affirmas liberum arbitrium præsentem gratiam odire semper & persequi.Et rursum: Liberum arbitrium in gratia peccare,simul & aduersus gratiam insanire. De qua re quum alios sanctos, tum apostolum conqueri facis.Sed quo(te quæso)loco quæritur apostol° de libero arbitrio?De carne sæpe

Rom.7. quæritur,& de carnis fomite.Nimirum quum clamat: Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?Sed & hoc ipsum an non optauit liberè Paulus?& an nõ libero prorsus appetiit arbitrio? Nã supra dixit: Non quod volo bonum hoc ago. Voluit ergo bonum,& libero certe voluit arbitrio,cęterum, fomite carnis irretitus, explicare se non valuit, & ad effectum perducere,quod volebat.

Luth. ¶Necesse est ergo mera figmenta & hypocrises esse, quæcunque & docent & fiunt ante gratiam, pro

gratia impetranda, præuenire enim nos necesse est misericordia Dei,vt velimus.

¶Hic hallucinaris(nisi fallor)q̃ putas omnes ac- *Episc.*
cepisse gratiam, qui quouis modo stimulãtur, & prę-
ueniũtur misericordia Dei. At hoc certe falsissimum
est. Pulsat enim Dei misericordia multorum corda,
quę nõdum gratiam amiserunt,sed spreuerunt ablatam.An non Christus,Luc.10.Corozain & Bethsaidæ
præclaris oppidis exprobrat non admissam gratiam,
quę vltro fuerat eis oblata?Vę tibi Corozain,inquit,
vę tibi Bethsaida:quia si in Tyro & Sydone factę fuis-
sent virtutes,quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio
& cinere sedentes pœniterent.An non igitur præsto
fuit illis auxilium Dei, modo pœnitere voluissent?
Fuit hauddubie. Et profecto si nõ idipsum in eorum
arbitrio situm fuisset,nunquam istud eis Christus ex-
probrasset. Fuit igitur præsentissimum eis auxilium
Dei, quo pœnitere potuissent, & ad gratiam parare
sese. Quod si fecissent, gratiam accepissent hauddu-
bie.Sed & in Apocalypsi dicitur ad eum qui primam *Apoc.2.*
suam charitatem reliquisset: Memor esto vnde exci-
deris,& age pœnitentiam,& prima opera fac. Sin au-
tem,venio tibi,& mouebo candelabrum tuum de lo-
co suo, nisi pœnitentiam egeris. Rursum alteri quo-
que qui spiritu mortuus erat, illic consultum fuit,vt
pœnitentiam ageret. An non his locis palam indica-
tur,in arbitrio peccatoris(vt pœniteat) situm esse,si-
mul & diuinam opem minime defuturam ei,qui pœ-
nitere velit, quique modis omnibus, quantum in se
fuerit,id facere conetur? Ordo igitur, quo peccator *Ordo quo*
ad gratiã redit, eiusmodi statui potest.Stimulatur pri *peccator ad*
mum auxilio diuinæ gratię peccatoris animus,vt pec *gratiã redit.*
cata detestetur.Subinde pœnitet illum eadem admi-
sisse. Verum quoniam hæc pœnitentia non semper
ilico formata est, sed potest adhuc informis manere,
ideo tandem, aut continuato pœnitentiæ motu, aut
sacramentorum virtute, Deus gratiam infundit pœ-
nitenti,quo pœnitentia quæ prius informis erat,iam

Universidad de Deusto Biblioteca

euadat formata. Non sunt itaq; mera figmenta & hypocrises, quæ fiunt ante susceptionem gratiæ. Quia tametsi peccator nequeat absque Dei auxilio, se preparare ad gratiam, potest tamen priusquam eandem admiserit, ad eam suscipiendam se præparare. Qua præparatione quis cogitare potest inimicitiorem illi Deum fieri, & non magis ad largiendum (quod postulat) propensiorem? Nam vt Augustinus ait, Deus ex se bonus est, sed idem rogatus magis.

Luth. ¶ Sicut & Augustinus contra epistolas Pelagiani dicit: Quod nolentes Deus conuertit & reluctantes. Sicut in exemplo Pauli monstrauit, quem tunc conuertit, quãdo erat summo ardore persequutionis insanus & contrarius gratiæ.

Episc. ¶ Nihil aduersus ea quę diximus, illic affirmat August. Neque enim nos asserimus, q̃ sine misericordia præueniente quisquã potest benefacere. Nec tamen opinamur illa misericordia quẽquam inuitum cogi. Quod & August. eodem libro (quem tu citas) hoc est cõtra epistolas Pelagianorum testatur, vbi & de Pauli vocatione facit mentionem, cap. 19. libri primi. Quis (inquit) trahitur, si iam volebat. Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit ab illo, q̃ nouit intus in ipsis hominum cordibus operari. Non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credat, sed vt volentes ex nolentibus fiant. De quo tractatu fusius agit super Ioannem, tractatu. 26. vbi (& si non trahimur) orare monet vt trahamur. Quod vtiq; non moneret, nisi per orationem peccatoris, Deum crederet adveniam flecti posse. Sed & ouium ac puerorum exemplo docet qualis fuerit is tractus, non violẽtus, vtique, sed placidus. Neque enim vim inferri voluntati, sed amore potius eam duci putat. Talis (inquit) est, acsi quum ramum viridem ostendis oui, & illa trahitur, & quum nuces puero demonstrantur, & trahitur ipse. Duplex itaq; tractus est, alter per timorem, per amorem alter. Sed prior ille sic posteriori inseruit, velut amori timor. Præcedit enim timor, & post timorem amor subsequitur. Sic & Paulus vehemẽti primum timore concussus, subinde tractus amore fuit. Quemadmodum & de correctione Donatistarum ad Bonifacium lib. 1. cap. 15. scribit idem August. Quem maior timor compulit ad charitatem, perfecta charitas ab eo misit timorem. Quando sic timore concussus fuit Paulus, nondum fuit in gratia, & tamen Dei misericordia sic prẽuenit eum, vt postea consentiret in gratiam, & ad eandẽ se pararet. Atq; hoc est quod nos diximus, tria momenta distinguentes. Primum, quo peccator horrore quodã sui pcutiatur id quod extra gratiam fit, quanquam non desit auxilium gratiæ. Secundum, quo peccator se conuertit, & parat ad gratiam. Tertium, ipsius gratiæ infusio.

Exempla Augustini

Duplex tractus.

Tria momẽta in reditu peccatoris ad gratiam distinguipossunt.

Luth. ¶ Et Petrus non respexit dominum, vt recordaretur verbi quod dixerat ei Iesus, sed dominus respexit Petrum in media & maxima illa negatione, & sic recordatus verbi, fleuit amarè.

Episc. ¶ Et hoc exemplum idem confirmat. Nam per negationem suam, Petrum satis constat à gratia decidisse. Sed postea quum respexisset eum Christus, recordatus est verbi quod prius ad eum dixerat. Cui⁹ verbi recordatione vehementer animo concussus, exiẽs foras, fleuit amarè. Atq; ita tertio loco gratiam accepit. Neque enim priusquam verbi recordatus fuisset, accepit gratiam. Nam adhuc fuit in peccato: nec tum recordatus verbi fuisset, nisi respexisset illum Christus. Christ⁹ enim ante verbi recordationem Petrum respexit, & ad hanc recordationẽ misericorditer eundem excitauit. Sic vtiq; misericordia Christi Petrum præuenit, vt verbi prius ad se dicti recordaretur, & vt sic recordantem, ingratæ negationis pœniteret, atque ita per gratiam tandem assequeretur veniam. Nemini sine proprio consensu prestatur venia. Nam vt Chrysost. ait homil. 5. de laudib⁹ Pauli: Sponte nos vult Deus effici bonos, non necessitate atque violentia. Et paulo post: Si traheret inuitus, eriperet ipse quod contulit: id est, arbitrii potestatem. Hæc Chrys.

Sponte nos vult efficibonos, non necessitatis violentia.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cæterum, vt donemus vtrunque, hoc est, tam Petrum quàm Paulum absq; omni penitus præparatione gratiam accepisse. Num ex eo consequitur, ꝙ nullus omnino posset ad gratiam se præparare? Nihil oportet. Nam hos peculiari quadam præ cæteris benignitate Christus ad suam attraxit misericordiam. Sed nostra quęstio, de singulo quouis agit peccatore. An scilicet extra gratiam cõstitutus peccator, per Dei tamen auxilium, quod neutiquam illi deest, posset ad gratiam consequendam se prępparare? Cęterum & extra caussam iam fuimus. Nihil enim ad hũc articulum (quem tractamus) attinet. Quid enim, si nõ in mea potestate situm sit, vt fiam summus põtifex, quod ex electione dominorum cardinalium pendet? Nũ propterea non sum arbitrii liberi? Non cõsequitur. Atq; ita pari modo, quanq̃ non fuerit meę potestatis accipere gratiã, quę pendet ex dono Dei, num propterea meum arbitrium non erit liberum? Satis constat peccatorem orare posse, eleemosynas dari posse, ieiunare posse, cũ velit, & ab eisdem abstinere posse, modo velit. Quid si non fuerint hæc extra gratiam bene moraliter facta? nihil istud auferet arbitrii libertatem. Sed quia peccatori liberum est hęc facere, satis abunde potest ex hoc apparere libertas arbitrii.

Luth. ¶ Videmus itaq; in huius articuli sententia, quàm fallax fuerit operatio erroris, magistro satana.

Episc. ¶ Certe, quantum ad libertatem arbitrii spectat, aut cuncti qui retro fuerant ecclesiæ proceres operante magistro erroris satana, seducti sunt, quod nemo sanus dixerit, aut tu qui liberum negas arbitrium illis omnibus reclamantibus, satanam erroris hui⁹ magistrum habuisti. Nam si cũcta (quę fiunt) prorsus eueniant necessitate, sic vt nulla sit arbitrii libertas, cur Paulus toties hortatus est fideles, vt pro se Deum precarentur? Sic enim ad Romanos decimoquinto scribit: Obsecro vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem spiritus, vt adiuuetis in orationibus vestris pro me ad dominum, vt liberer

ab infidelibus. Si cuncta necessitate prorsus euenĩãt, cedo, cur sic obsecrauit eos Paulus? Nam tua sententia quod futurum erat, necessario futurum erat, non necessitate consequentiæ, sed absoluta necessitate, sic vt Deus nequiuit auertere, nedum aliquorũ precibus flecti potuit, vt auerteret. Adde, cur Christ⁹ hortatus est suos, aut petere quicq̃, aut quęrere, quum etiam non petituris, nec quęsituris euenturum esset, si necessitate cuncta fiãt? Aut cur timere iubet eum, qui potest & corpus, & animam mittere in gehennam, quum nec quisquam Deum timere poterit, si necessario non timeat, neque talis vllus, qui non timet, poterit in gehennam nõ mitti? Sed & cur ait Lucæ. 2. Viri Niniuitę surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prędicatione Ionę. Cur inquam (si non fuisset eis liberum pœnitentiam egisse) condemnandi sunt? Aut cur dicturus est iis qui à sinistris statuendi sunt? Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & nõ dedistis mihi bibere. Cur, inquam, hęc illis exprobraturus est, & tandem eosdem in ignẽ missurus, si nõ suæ potestatis fuisset ista facere, sed necessitate prorsus absoluta fecerunt, cuncta quę fecerunt? His accedit quod in euãgelio Lucæ dixit ad omnes nõ modo bonos, verumetiã peccatores. Dicebat (inquit Lucas) ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsũ, & tollat crucem suã, & sequatur me. Sane quod ad omnes dixit, omnibus liberum fuit facere voluissent nécne. Alioqui Christus eos non fuisset hortatus, vt hoc ipsum facerent. Ad hæc quum in eodem euangelio Iacobus, & Ioannes Christo dixerunt, Domine, vis dicamus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos, quemadmodum & Helias fecit, nũquid liberum fuit eis, hoc petiisse? Verum tamen ab hoc per Christum admoniti, destiterunt. Et rursum quando Christus apostolis dixit: Qui vult inter vos maior fieri, fiat sicut minor. An non ita facti sunt minores, vt in ambitione sua (modo sic voluissent) potuissent perseuerare?

Matth. 10. *Lucæ. 12.* *Matth. 25.* *Luc. 9.* *Luc. 9.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Quambrem libera voluntate, non absoluta necessitate, facti sunt minores. Cæterum cum his scripturis cuncti consentiant interpretes orthodoxi, perspicuũ fit, vt nemo (nisi docente satana) in tantum potuisset errorem præcipitare sese. Recte igitur ais, ꝙ in huius articuli sententia (quantum ad necessitatem operum voluntatis attinet) fallax error introiit satana magistro. Sed huius erroris solus Luth. cum paucis aliis hęreticis se discipulum præbuit.

Luth. ¶ Quum enim negare non possent, nos per gratiam Dei saluos fieri oportere, nec eludere possent hanc veritatem, alia via ingressa est impietas ad eludendum, fingens & si nostrum non sit saluare nosipsos, nostrum tamen esse, parari ad hoc, vt saluemur gratia Dei.

Episc. ¶ Quanquã ex disputatoribus nonnulli, quorum iudiciis ipse non subscribo, sentiant eum, qui mortali peccato grauatus sit absque speciali auxilio gratiæ posse bene moraliter agere, ac proinde se præparare possent, non quidem vt ex merito, sed vt ex congruo Deus ei sit daturus gratiam, iis tamen eorum error, si quis fuerit, tuum lapsum excusare non potest. Nam esto, sine auxilio Dei qui foris pulsat, nemo posset ad gratiam parare sese. Nó ob id protinus consequitur, vt si quid pro gratia consequenda conetur peccator ante gratiam, id sit mortale peccatum. At hæc fuit altera sectio præsentis articuli, nempe, ꝙ dum facit liberum arbitrium (quod in se est) non peccat mortaliter. Hoc opinor, intelligi vis ante susceptam gratiã. Peccauit ergo mortaliter Publicanus, cum orationis causa templum conscendit, cum sua peccata detestabatur, cum percusso pectore precatus fuit: Deus propitius esto mihi peccatori. Peccauit & Zachæus mortaliter, quum non valens præ turba cõspicere Iesum, ascendit in arborem sycomorum. Peccauit & filius, male frugi qui suæ miseriæ contemplatione reditum parabat ad patrem. Sed quid istos memoro? Peccauit Paulus mortaliter, qui Corinthium nondum accepta

Luc. 19. *Matth. 3.* *Luc. 13.*

gratia, compulit ad mortale peccatũ, nimirum ad opus pœnitentiæ, quod tibi ante gratiam est mortale. Peccauit & Baptista mortaliter, qui plebi nondum accepta gratia, suasit vt agerent pœnitentiam, quæ tibi tum ante gratiam fuerat culpa mortalis. Peccauit demum Christus ipse, qui suis auditoribus (quorum plerique, gratiam haud dum acceperãt) suggessit pœnitentiam, vel vt tuvis, resipiscentiam, quæ tametsi fieri nequeat absque Dei auxilio, fieri tamen potest citra gratiam. Nam & illos (qui sub Ioanne resipuerũt) non omnes accepisse gratiam opinor, quum neque baptismus eis gratiam conferebat. Liquet igitur ex his, atque aliis compluribus conatum peccatoris ad gratiam (qua iam caret) non esse mortale peccatum, quum fiat auxilio Dei peccatorem ad hũc conatum excitantis. Cæterum conatꝰ iste, quia sine Dei auxilio frustra fit à nobis, nõ ita noster dicendus est, vt nostris viribꝰ penitus asscribatur, sed eius laus humiliter Deo tribuenda est, quum dicat Paulus: Quid habes quod non accepisti? Dei igitur est, vel ꝙ saluamur, vel ꝙ præparamur. Quia neutrum sine Deo fit à nobis. Nostrum etiam vtrunque esse, non vereor asserere. Quia sine nobis, hoc est absque nostro consensu neutrum fit. Propter quod & Paulus proxime quàm ad Philippẽses dixisset: Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, præmisit: Cum metu & tremore vestram salutem operemini. Quæ verba diuus Augustinus de Gratia & libero arbitrio capite nono, sic ait: Non enim quia dixit, Deus est, operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quòd si ita esset, non superius dixisset, Cum timore & tremore, vestram ipsorum salutem operemini. Quando enim iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium. Hæc August.

Conatũ peccatoris ad gratiam nõ esse mortale peccatum.

Philip. 2.

¶ Quæ (rogo) manet gloria Deo, si nos tãtum possumus, vt saluemur per gratiam eius. *Luth.*

¶ Nihil omnino derogat eius gloriæ, quòd tan- *Episc.*

tum possumus per eius gratiam. Neque enim hoc possumus, nisi per opitulationem Dei. Et hoc nimirum immensæ largitatis eius est, quod ita paratus sit, cunctis eam imploraturis hanc suam opem præstare. Nemini enim deest hæc opitulatio Dei specialis, qui non defuerit sibi. Et præsertim nunc sub hoc tempo re gratiæ. Alioqui non dixisset Christus: A diebus Io annis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiũt illud. Nihil ergo diuinæ gloriæ subductum est, si iam per inenarrabilem eius clementiam, & misericordiæ largitatem, peccatores valeant gloriam sibi rapere. Nõ quòd istud possent inuito Deo, sed quòd per nimiam suam charitatem, qua vel inimicos dilexit Deus, hanc iam cunctis offert potestatem, nimirum vt cum humilitate confessionis, & verę pœnitentiæ, gratiam consequi possent, qua peruenianant ad cælestem gloriam. Propter quod & Augustinus sermone. 37. de sanctis non veretur asserere, nostra in potestate repositam esse cælestem illam gloriam. Reposita est, inquit, in potestate faciẽtis. Quia regnum cælorum vim patitur. Res ista ô homo, id est regnum cæleste aliud non quærit pretium, quàm te ipsum. Tantivalet quantum tu es. Te da, & habebis il lud. Et rursum sermone. 20. explicans eadem Christi verba, dicit: A diebus Ioannis, regnum cælorum vim patitur. Et paulo post: Non, inquam, sine violentia fieri potest, vt vnusquisque iracundiam patientia, superbiam humilitate commutet, amore paupertatis, diuitiarum ac sufficientiæ affluentiam superet, violentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet, & homo subito in virum transformetur perfectum, & quodam modo alter reddatur ex altero, ac sic à talibus per violentiam regnum cæleste diripiatur. Hæc Augustin⁹. Cunctis ergo qui suis affectibus vim inferunt, potestas hæc facta est rapiẽdi cælum. Nam præsentissimum est eis auxilium Dei, módo non id suis viribus se consequi sperent, sed eius auxilio munificentiæq; tribuant quicquid operãtur. Propter quod

Matt. 11.

& Aug. contra Fœlicem Manichæum libro secundo, cap. 8. Iam (inquit) diximus, & probauimus, p scriptu ras esse liberum arbitrium, Deum autem esse liberi arbitrii iustum iudicem, & remuneratorem fidelium eiq̃ue subiicientium, & volentium sanari, damnatorem autem superborum & impiorum. Quia ergo ad peccatores sanandos venit, sanat vtique peccata con fessos, sanat pœnitentes. Et paulo inferius: Qui concipiunt timorem Dei, & per liberum arbitrium subdunt se sanandos optimo medico, & sicut bono curatori, ita & misericordi creatori per humilitatem cõfessionis & pœnitentiæ sanantur. Hęc Aug. Sed quid vnum aut alterum ex Aug. locum produco, quum vbique testetur hoc ipsum, nempe cunctis factam sanitatis & gratiæ potestatem, modo velint per confessionis & pœnitentię humilitatem, misericordię Christi, & eius medicationi se subdere.

¶ An parum esse videtur hoc posse, si gratiam non habens, tamen tantum virtutis habet, vt gratiam habere, quando voluerit posit? *Luth.*

¶ Nemo parum id esse fatetur, sed maximum Dei beneficium, & ex maxima Dei libertate nobis donatum agnoscimus, nimirum vt cum eius auxilio possimus admissa pœnitere, & pœnitentes ab eo gratiam obtinere. Quod & futurũ audet mater ecclesia cunctis ad eius gremium confugientibus polliceri. An non infidelibus haud dum baptizatis, apostoli cælo- ste regnum pollicebantur modo credere voluerint, & baptizari? An non fuit istud, inquis, in eorum pote state sine Dei auxilio. Non refragor. Sed nullis deest auxilium Dei, qui suę voluntatis assensum exhibuerint. Auxilium Dei paratũ est omnibus, tantũ hoc ab vnoquoq; requiritur, ꝓ sibi non desit, & ꝓ ęque prę- sto sit huic auxilio cor suum aperire, atque Deus hoc ipsum prestare paratus est. Vtinã (inquit Aug.) tã cito peccator homo resurgat ad pœnitẽtiam, q̃ cito etiam Deus diffinitam vult mutare sententiam. Audi ipsum dominum per Prophetam, spem maximam humano *Episc.*

Auxilium Dei paratũ omnibus.

Hiere.18. generi promittentem. Repente (inquit) loquor ad gentem, vt pro peccatis suis faciam eis malum, & si pro iniquitatibus suis egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiam agam super malo, quod cogitaui vt facerem eis, & non faciam. Videte fratres, quanta sit circa nos pietas Dei nostri, & agnoscite, vtrum velit negare misericordiam, qui de conuersione nostra suam dixerat mutare sententiam. Hæc Augustinus inter sermones de tempore, sermone centesimo secundo. Quem authorē ob id toties produco, quòd eum tuæ sententiæ suffragatorem facis. Sed & idem plerisque locis, securitatem audet promittere cunctis, qui (dum sani sunt) pœnitentiam agunt, & per ecclesiæ sacramenta Deo reconciliantur. Nostrum igitur est, si velimus gratia potiri, non tamen ita, quòd solis nostris viribus id fieri queat, sed per auxilium Dei, quod cunctis ad manum est, qui non sunt ab eo penitus derelicti.

Luth. ¶ Quid refert si dicas, sine gratia nos saluari cum Pelagianis, quum gratiam Dei iam ponas in arbitrio hominum.

Episc. ¶ Dixi sæpius, Quoniam Dei auxilium cunctis hoc tempore gratiæ paratum est, & itidem liberum habent arbitrium, idcirco per confessionis & pœnitentiæ humilitatem, ecclesiæ se subdere possunt, & amissam gratiam recuperare. Non quòd solis humanis id fieri queat viribus, sed clementia, benignitateque Dei, qui per scripturas suas id futurū spopōdit. Hoc vt orthodoxi patres cuncti, & constantissime protestantur, atque vno ore prædicant, ita damnant Pelagianos, qui sine gratia nos asserūt saluari posse. Quare plurimum refert, an cum Pelagiano quis dixerit, sine gratia nos posse saluari, an gratiam in hominis arbitrio sic posuerit, vt cū auxilio Dei, quod nulli non paratum est, eam posse comparari cōfidat. Neminem enim nisi prorsus derelictum, nō adiuuat Deus, quatenus posset pœnitere, peccataque detestari sua, veniam quoque pro commissis implorare, modo velit

ad eius clementiam se conuertere. Quamobrē, cum Dei non desit adiutorium, vt hauddubie non deest, potest vnusquisque peccator, per fidem, & liberū arbitrium prædictis insistere. Quòd si fecerit, veniam proculdubio reportabit. Nos igitur iuxta consilium Augustini, tractat. 54. super Ioan. nec sic liberum defendim' arbitrium, vt orationem, qua dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, auferamus. Neque rursum sic negamus arbitrii libertatem, vt nostri peccati Deum constituamus authorē. Sed Deo credimus tam præcipienti, quàm opitulanti, tam iubenti quid facere debeamus, quàm adiuuanti vt possimus implere. *Augustini consilium.*

¶ Videris mihi peior esse Pelagio, dum gratiam Dei necessariam in potestatem hominis ponis, quam ille penitus negauit necessariam. *Luth.*

¶ Quicquid is tibi visus fuerit, tu mihi profecto videris Manichæo deterior. Nam is reuerritus, Deum bonum authorem mali facere, duo rerum principia constituit, alterum bonum, alterum malum, hoc malorum omnium scaturiginem faciens, illud cōtra bonorum. Tu verē nihil vereris Deum optimum maximum peccatorum nostrorum authorem asserere. Id quod hactenus omnes orthodoxæ religionis patres, ceu blasphemiam quandam refugierunt. Et vbi Manichæus duas in homine facit naturas, alterā bonam, alteram malam, & eam, quę bona est, affirmat nō posse malefacere, & quæ mala est, non posse nō peccare. Tu naturam liberi arbitrii cum prudētia carnis eandem facis, & illam asseris reluctari spiritui Dei semp, etiam in sanctissimis viris. Cuius itidem naturam ceu feram quandam indomitam, ais gratię nunquam non repugnatricem esse, semperque peccare mortiliter, vel sub gratia positam, etiam tum, quum optime conatur operari. Sed & cuncta nihilominus, quæ fiunt ab eo, contendis, necessitate prorsus absoluta fieri. Hęc si Manichæum non exprimant, aut quidā omni Manichæo pestilentius, ego certe nihil intelligo. Quòd vero tibi visum est absurdius gratiam Dei necessa- *Episc. Luth. Manichæo deterior.*

Sacramenta rite suscipiẽtibus præstatur gratia.

riam in hominis potestate reponi, quàm eam negari prorsus necessariam, in hoc haud tui dissimilis es, qui negas alibi sacramẽtis conferri gratiam. At reclamat tibi totius ecclesiæ consuetudo, vel ab ipsis apostolorum temporibus hactenus obseruata, quæ credit Deum ita sacramentis infallibiliter assistere, vt quoties rite suscipiuntur, præstetur hauddubie susceptoribus gratia. Cæterum si non sit in hominibus potestate gratia, cum eam Paulus asserit manibus hominum tradi? Sic enim. 1. ad Timotheum quarto, Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Et rursum. 2. ad Tim. 1. Resuscites gratiã Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Et Petrus in Act. apost ca. 7. Quomodo fuisset ausus Iudęis polliceri, quod si pœnitere vellent & baptizari, spiritus sancti donum essent accepturi? nisi certo nosset Deũ his assistere sacramentis. Aut qua temeritate suas manus ipse & Ioannes Samaritis præsumerent imponere daturi spiritum sanctum, nisi compertissimum haberent, quod ad hanc manuum impositionem diuini numinis auxilium haudquaquam esset defuturũ. Nec Samaritæ solum hoc modo spiritum acceperunt, verumetiam cæteri quibuscunque suas apostoli manus imposuerunt. Vt & Simon magus istud fieri cernens, ingenti pecunia voluit hanc sibi potestatem coemisse. Nemini igitur dubium esse potest, quando nõ pro solis illis Christus mortuus est, verumetiam pro nobis, quòd ecclesia Dei sic hodie regitur, quod per sacerdotum manus, & sacramentorum administrationem, spiritus sancti gratia, cũctis rite sacraméta suscipientibus communicatur.

Deũ sacramentis assistere.

Act. 7.

Luth.

¶ Minus, inquam, videtur impium, gratiam in totum negare, quam eam nostro studio & opere parari, ac velut in manu nostra reponere.

Episc.

¶ At non ita summis illis ecclesiæ proceribus visum fuit. Nam hi passim cunctis pœnitere volentibus, gratiam auoent polliceri. Cyprianus in primis,

vbique peccatores ad pœnitẽtiam hortatur, quibus, si grauiter eam exerceant, audacter spondet veniam. Et rursum vbi dominicam orationem tractat, sic ait: Qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam misericordiam promisit, & veniam sequuturam. Subscribit huic & Basilius: Magnum (inquit) Christi humilitatis pelagus, vbi misericordia est, non exigitur ratio. Vbi (inquam) misericordia, iudicium vacat, salus promissa denique salutaria omnia. Itaque quanuis extra gratiam sis, clama. Dic, miserere mei, non labra mouendo, sed mente vocem emittẽs. Nam & silentes audit Deus. Nec locus, sed propositi initium requiritur. Hæc Basilius in exhortatione ad baptismum. Ecce Basilius hic peccatoré, licet extra gratiam constitutum, hortatur tamen ad Deum pro venia clamare, nec veretur sic clamanti, salutem polliceri. Chrysost. insuper de reparatione lapsi. Talis, inquit, mihi crede, est erga homines pietas Dei, q̃ nunquam spernit pœnitentiam, si ei syncere & pie offeratur, etiam si ad summum peruenìat quis malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter & complectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem reuocet statum. Hęc ille. Et Aug. ser. 66. de tempore. Deus, inquit, natura misericors, paratus est saluare per misericordiam, quos non inuenit saluare per iustitiam, qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem perire, quiq; per Prophetã ait: In quacũq; die conuersus fuerit peccator, vita viuet & non morietur. Quanuis quisquam sit peccator, & impius, si ad pœnitentiam conuertitur, consequi per misericordiam veniam non dubitet. Et rursum. 57. sic ait: Ergo vos dilectissimi fratres hortor, atq; commoneo, vt si quis ex vobis conscius criminum suorum indignũ se cõmunione ecclesiastica putat, dignũ sese esse faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignũ se facere posset? quomodo? Nisi vt errores pristinos relinquat, & pœnitentiam petat, vt qui criminũ suorum sorde pollut° fuerit, exomologesis satisfactione mundetur. Hæc Aug.

Ezech. 33.

Quibus opinor perspicuum est, ꝙ omnibus pœnitere volentibus, & quantum in se fuerit, agere conantibus, diuina gratia sit ad manum paratissima. Alioqui nõ dixisset Aug. peccatorem se posse facere dignum ecclesiastica communione. Nouit enim auxiliũ Dei paratissimum esse, nouit & voluntatem peccatoris ita liberam esse, vt cum hoc auxilio se cõuertere possit, nouit demum & sacramentis diuinam vsqueadeo virtutem assistere, vt qui rite forent ea suscepturi, veniam & gratiam inde consequerentur. Hæc nimirum omnia patribus erant persuasissima, propter quod & ausi sunt tanta confidentia redeuntibus salutem polliceri.

Peccatorem se posse facere dignũ ecclesiastica cõmunione.

Luth. ¶ Et tamen præualuit hæc operatio erroris, quia speciosa & placens naturæ, liberoque arbitrio, vt difficile sit eam confutare, præsertim apud rudes & crassos animos.

Episc. ¶ Si fuisset hæc operatio erroris, hauddubie non permisisset eam spiritus veritatis, in ecclesia præualuisse tam diu, præsertim in re tanti discriminis. Nec miror, si tibi difficile sit eam confutare, cum tanto robore testium communita sit. Asserunt eam scripturæ, comprobant apostoli, sacri quoque interpretes confitentur, sed & totius ecclesiæ perpetuus confirmauit vsus. Quanta igitur est vesania tua Luthere, quum videas te non posse iustis rationibus hanc sententiam euertere, neque ignores tot, & tam insignia testimonia, prorsus tuo dogmati reluctari, ꝙ nihilominus in eo pergis, quasi vel solus ipse saperes, & solus spiritu potireris veritate.

Lutheri vesania.

Luth. ¶ In ceteris autẽ articulis, de papatu, de conciliis, indulgẽtiis, aliisq; non necessariis nugis ferenda est leuitas, & stultitia papę & suorum, sed in hoc arti. qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire.

Episc. ¶ Profecto nisi iam esses insanissimus ipse, nunquam ista diceres. Tu multo magis deflendus es, qui bonarum literarum copia sic abuteris, vt neq; te pudeat vsqueadeo palàm insanire, vt miseros appellites eos, qui scripturis assentiuntur, apostolorũ doctrinã approbant, sacris subscribunt interpretibus, & denique totius ecclesiæ consuetudinẽ, tanto tempore cõprobatam nõ aspernantur. Putas orbem vniuersum vsqueadeo stupidum esse, vt tam illustri, tamq; multiplici testimonio repudiato, Lutherum sequi velit? Quid amentius à quouis cogitari potest?

¶ Tantum abest enim, vt papa & sui discipuli mysterium hoc gratiæ Dei vel vno iota intelligant, aut aliquando agnoscãt, vt ante casurum cælum credam. *Luth.*

¶ Verissimè dicis, quanquam non ex animo. Nam suum verbum Christus adhuc mẽsurum asseuerauit, postquam cælum trãsierit, ac terra. Ruat cælum, permisceantur omnia sursum deorsumque, stabit nihilominus Christi verbum, nempe, quod Petro dictũ fuit: Non deficiet fides tua Petre. Et alibi: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Per portas inferi quidam hæreses intelligunt, quippe quæ fidentes eis præcipitant ad inferos. Rectissime igitur dicis, te credere cælum ante casurum, quàm papa, cæteriqúe fideles agnoscere velint iniquitatis huius mysterium, quod ipse non pro gratia, sed cõtra Dei gratiam prædicas, & quo crudelem, & immitem aduersus pœnitentes Deũ facis, atque totius iniquitatis authorẽ. An non cõtra gratiã prædicas, qui negas pœnitentibus gratiam esse paratam? Et Deum nonne crudelẽ & immitem facis, qui conantem redire peccatorem tua sententia magis auersatur? Et demum iniquitatis authorem, nũquid Deum constituis, quum omnia ab eo dicis absoluta necessitate fieri? *Episc. Matt. 24. Luc. 22. Matt. 16. Lutheri dogmata perniciosissima.*

¶ Non stabit huius articuli veritas, cum ecclesia papæ, non magis quàm cum Christo Belial, & cum luce tenebræ. *Luth.*

¶ Et istud quoque verissimũ est. Nam cum articulus ille tuus omni veritate careat, & à patribus, ac scripturis apertissimè dissentiat, quomodo cum ecclesia *Episc.*

(quæ veritatis Christi spiritum obtinet) stare potest? Non vtique magis id fiet, quod & tu confiteris, quàm cum Christo Belial, & cum luce tenebræ.

Luth. ¶ Papæ enim ecclesia, nisi opera bona doceret ac venderet, aut sola gratia nos iustificari syncere doceret, neque in hanc pompam creuisset, neque ad horam, si quo casu creuisset, stetisset.

Episc. ¶ Ecclesiam vnam esse (satis opinor) superius ostẽdimus, eiusque caput esse summum pontificem, quem tu papam per contemptum appellitas. Extra hanc ecclesiam nemini salus est, & quisquis cum hac non colligit, dispergit. De moribus in ea præsidentium ipse videris, quos, si parum probi fuerint, ego non defendo. Porro fidei doctrinam (quam ipse docet) nihil dubito, quin omnis qui suæ salutis curam habet, eam profiteri teneatur. Quanquam enim improbis fuissent moribus illi, qui Moseos cathedram occuparũt, *Mat. 23.* iussit nihilominus Christus, vt quæ docuerint, faciamus. Neque minus quicquam authoritatis horum doctrinæ deferendum est qui Petri tenent cathedram, tametsi moribus fuerint improbissimis. Cæterum si peruersis dogmatibus, credis eam tam latè fuisse propagatam, nec absque his vel ad horam potuisse stare, in hoc longe abs te dissentio. De qua re, quia satis superque dictum à nobis est, art. 25. confutatione, nihil hic adiicere studebimus.

Luth. ¶ Crucis enim est hæc theologia, quæ dẽnat, quicquid papa probat & martyres facit.

Episc. ¶ Satis cuique notum est, summum pontificem, Romanamque ecclesiam vtrunque testamentum recipere, simul & apostolorum traditiones, atque sacrorum interpretum commentarios, sed & cætera quæque, quæ ad fidem spectant illos comprobare, cunctis apertissimum est. Quamobrem si theologia Lut. damnet quicquid summus pont. probat, & recipit, nõ immerito crucis theologia dici potest, hoc est, cruce, & damnatione dignissima.

Luth. ¶ Vnde & ecclesia, finito martyrum tempore, opti-

ma, ac pene tota sui parte effloruit. Mox pro cruce successit voluptas, pro penuria opulentia, pro ignominia gloria, donec ea quæ nunc ecclesia vocatur ipso mundo, vt sic dicam, mundanior, & ipsa carne carnalior facta sit.

Episc. ¶ Qualis vita moresque fuerint, aut põtificis, aut curiæ, non est huius instituti disserere, sed de doctrina potius. Si voluptates, si diuitias, si gloriam, hoc est, si mundum & carnem sequantur, tibi forsitan exploratius est, quàm mihi, quippe qui nunquam Romæ fuerim. Et si vel ipso mundo mundaniores sint, vel ipsa carne carnaliores, neminem ista minus exprobrare deceret quàm te, qui non modo cuncta necessitati tribuis, verumetiam Deum malorum omnium facis authorem. Quid enim illi delinquunt, si non sua spõte, sed necessitate cuncta faciant? Et quid illi peccãt, si Dei præscientia, vel inuitos adigat ad ea, quæcunque operantur? Mihi vero sat est, nõ quæ faciunt, sed quæ docent obseruare, quum Christus de Moseos cathedram insedentibus ita præcipit, omnia quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum opera eorum nolite facere. *Matth. 23.*

Luth. ¶ Et ego non habeo aliud contra papæ regnũ robustius argumentum, quàm quòd sine cruce regnat. Prorsus nihil pati, omnibus autem abũdare & excellere studet, & nõ est fraudatum desiderio suo. Habet quod voluit, factaque est meretrix ciuitas fidelis, vereque regnum veri illius Antichristi.

Episc. ¶ Et mihi vicissim huius perpetuationis, nempe quòd in cathedra Petri, successio pontificum hactenus perpetua manserit, nullum aliud robustius videtur argumentum, quàm quòd Christus id futurum est pollicitus, quum dixit: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam. A Petro sanè voluit Christus ecclesiam suam exordium sumere, & ab eodem perpetuari, quemadmodum art. 25. satis aperuimus. Nam Petro, vt illic docuimus, potestas collata fuit, nõ

pascendi modo, verumetiam regendi ecclesiam Christi. Regimen ergo Petri, quod & regimen summi pōt. est, nulla industria humana subsistit, aut hactenꝰ perduraut, sed sola virtute verborum Christi, quæ nequeunt non esse firma, quicquid de cæteris huius mūdi rebus contigerit. Cæterum, quōd summus pontif. nec sit Antichristus, nec quōd is hauddubium aduenerit, pluribus ante monstrauimus.

Luth. ¶ Verbosius in hac parte fui necessitate rei, quæ non modo per hanc Bullam (quod ne pili quidem facio) sed per omnes pene scholasticos doctores oppressa & extincta est, plus trecentis annis.

Episc. ¶ Verbosus vtiq;, & præter caussæ necessitatem, nisi ꝓ fucū facere iam studeas, & in scholasticos tuæ verbositatis culpā reiicere moliaris. Sed finge scholasticos aberrasse, quid hoc ad articuli tui fulcimētū inseruit? Nihil omnino. Nā & si falsum esset, ꝓ liberum arbitrium absque gratiæ adiutorio posset bene moraliter agere, neutrum tamen eorum, quæ tuus articulus asserit in Deo consequitur. Neque enim oportet, si nullum opus moraliter bonum agi posset sine gratia adiutorio, ꝓ liberum arbitrium sit res de solo titulo, quorum arbitrij libertas per gratię adiutoriū neutiquam auferat, quumque præter opera moraliter bona, multa sint alia, quæ, nisi quis omnino lapis fuerit, intelligit in sua libertate sita, vel vt faciat, vel vt non faciat. Quis enim dubitare potest, an liberū sibi fuerit leuare stramen, & an orare posset, & ieiunare, & eleemosynas dare? Nemo sane vsqueadeo stupidus est, vt nesciat ista suæ potestatis esse. Cæterum quum adiutorium gratiæ nemini defuerit, nisi penitus derelictis, quis ambigere potest, quin ante susceptionē gratiæ, peccator agens quantum in se fuerit, per illud adiutorium vitare queat peccatum mortale, simulq; bene moraliter agere? Quæ res perspicua cuiuis esse

Luc. 18. potest, ex parabola, quam de Pharisæo pariter & publicano Christus retulit. Nam vterque quum esset peccator & iniustus, orandi caussa templum ascendere

constituit. Et hoc institutum, quid prohibet, quo minus potuit omni circūstātia morali vestiri? Ascenderunt autem nulla necessitate coacti, sed mera sponte sua, nō tamen absque diuinæ gratiæ stimulo, quō credibile est vtrunque fuisse præuentū. Neque tamē vt eorum animi gratia afficerentur, quum simul in eodē animo, gratia peccatumque mortale cohabitare nequeant, ne quis eodem momento, simul & amicus dicatur, & inimicus Deo. Sed adfuit gratia pulsans & excitans, & (vt aiunt) præueniens, nondum intromissa. Quemadmodū & lux solis, dormientis oculū excitare potest, vt vigilet & aperiat sese, qui postquam aperitur eadem luce, mox vtitur ad videndum. Sic nimirum gratia præuentus vterque fuisse creditur, & Pharisæus & Publicanus, quatenus ad templum oraturus ascenderet. Ad quem modum & Cornelius Cēturio (si Hiero. vel Aug. vel Orige. credimus) fuit per gratiam stimulatus, vt crebriꝰ oraret, & eleemosynas erogaret, nondum accepta gratia. Sed nos ad publicanum redeamus. Is quoniam in templo stans à longe, nolebat oculos in cælum attollere, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, venia gratiaq; donatus est, rediitque iustificatus in domum suā. Quis iam non videt hac parabola palam doceri, peccatorē orando, suaque scelera vindicando, cæteraque faciendo, quantū in se fuerit, non modo non peccare mortaliter, verumetiam diuinæ gratiæ præsentia sic adiuuari, vt posset bene moraliter agere, atque ita tandē promereri veniam. Nam si molitus omnia quæ posset publicanus iste, peccaret adhuc mortaliter, Deus ipsius precibus multo magis ad iracundiā prouocatus fuisset ꝗ flecteretur ad dādam veniam quū falsum esse constet ex euangelio. (Nam is iustificatus in domū suā descendisse legitur) manifestū est, ꝓ huiusmodi conatus eius Deo fuerat acceptꝰ. Liquere potest & idē ex duobus, regibꝰ quos Augustinus ad hunc modū sibi mutuo confert: Vnde, inquit. Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fru-

Comparatio efficax.

Act. 10.

Dan.4. Exod.13.

ctuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, (quod perdiderat) rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium alto sapienti corde diiudicat, cur medicamentũ vnius medici cõfectum, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem? nisi quia Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Quantum ad naturã, ambo homines erant: quãtum ad dignitatem, ambo reges, quãtum ad caussam, ambo captiuum populum Dei posidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quòd vnus manum Dei sentiẽs, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio. Hactenus Aug.

Confutatur hæresis Luth. ex Augustini verbis.

Ex quibus vtique verbis multa colligi possunt, quæ tuum articulum in vtraque parte labefactant. Nam & in Pharaone quanquam fuerat derelictus, manere tamen arbitriũ liberũ Aug. planè cõfitetur. Id quod priorem articuli tui partem euertit. Posteriorem vero partem subruit, quum ait, quòd Nabucho. flagellũ Dei sentiens, & ex recordatione propriæ iniquitatis ingemiscens, fructuosam egerit pœnitentiam, atque id quidem, quum esset adhuc innumeris obrutus impietatibus. Sed & tertium de quo præter articuli negotium disseruimus, palàm ex iam disputatis colligitur, nempe ꝓ citra gratiam, quæ gratum faciat peccatorem, non tamen citra diuinam opem peccator potest opera moraliter bona facere, quibus veniam à Deo promereatur, quemadmodum & Publicanus, ac Cornelius Centurio, simul & Nabuch. sibi gratiam cõparasse leguntur. Nec mireris lector, quòd nos toties gratiam, & auxilium gratiæ toties distinguimus. Nam idem & Aug. plerisque locis facit. Sic enim ad Simplicianum lib. 1. quæst. 2. scribit. In quibusdam est tanta gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum, sicut in cathecumenis, sicut in ipso

Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur ecclesiæ. Hæc Aug. Quibus verbis aperte docet, Corneliũ, & cathecumenos habuisse gratiam fidei, qua iuuarentur ad opera bona sed nõ gratiam eam, quanta sufficit ad obtinendum regnũ cælorum, id quod solum præstat gratiã gratũ faciens, quæ peccatorẽ Christo incorporat, & Dei templũ ex eodẽ constituit, ac dignum efficit æterna vita. Per illã gratiã (vti paulò post illic Aug. asserit) fit inchoatio quædam conceptioni similis, quæ conceptio non sufficit Christiano, sed oportet eum etiam nasci, quod fit per secundam gratiam, qua quis dignus æterna vita redditur. Et quanquam Cornelius hanc secundam gratiam non haberet, auxilio tamen prioris sic orauit, & eleemosynas elargitus est, vt dignum se præberet, cui angelus mitteretur, quemadmodum & illic Aug. asserere non dubitauit, nempe quòd Cornelius quum se dignum præberet, cui angelus mitteretur, quãquã fidei gratiam tum habuerat, non eam tamẽ adhuc accepit gratiã, quanta suffecerat ad obtinendũ regnũ cælorũ. Tanta enim (vt illic tradit) per sacramentorũ participationẽ, & per incorporationem ecclesiæ, corpori cõparatur. Quando igitur Cornelius qui gratia caruit tanta, hoc est, gratum faciente, per orationes tamen & eleemosynas dignũ se præbuit, cui angelus mitteretur, quæ impudentia est asserere, ꝓ conatus quiuis peccatoris, ante gratiã istiusmodi, peccatũ sit mortale? Cõcludit igitur Aug. hoc loco, ꝓ, quanquam bona quædã opera præcedant secundã gratiã, ipsa tamen priorẽ gratiã subsequuntur, quia neque cathecumeni, neq; Cornelius ipse, bona quædã opera, facere potuerunt absque gratia misericordiæ Dei, quam Aug. hic intelligit priorẽ gratiam, tametsi nondũ illi gratiam accepissent posteriorẽ. De cathecumenis insuper idem Aug. lib. de ecclesiast. dog. exactius loquitur, dicẽs: Baptizatis tantũ, iter esse salutis credimus. Nullum cathecumenum, quanuis in bonis operibus defunctum, vitã æternam habere credimus, excepto

Duplex gratia.

martyrio, vbi tota baptismi sacramenta cõplentur. Ecce cathecumeni possunt opera bona facere, tamen licet in eis agendis, mortem obeant, aliter q̃ cum martyrio, vitam æternam non consequuntur. A qua certe nemo vnquã excluditur, qui posteriori gratia fuerit potitus. Fiunt igitur à cathecumenis opera bona citra gratiã posteriorem, quæ nec alia possunt intelligi, quàm bona moraliter. Et rursum in eodem lib. de lib. ar. post peccatũ, ita tradit: Manet ad quærendam salutẽ ar. li. id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, id quod sane per primam gratiam fit. Et mox subdit: Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante habemus, vt autem acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est, vt adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris, vt nõ labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostrę est, & cælestis pariter adiutorij, vt labamur, nostræ potestatis & ignauię est. Ecce quinque per ordinem adnotanda. Primum est initium salutis nostræ, per quod intelligit primã gratiam, qua stimulamur ad bene agendum. Secundũ est assensus nostræ voluntatis, quo sequimur illam stimulationẽ, & hunc asserit nostræ potestatis esse. Tertium est salus gratiæ, qua grati Deo efficimur, quæ solius Dei donantis est. Quartum est eiusdem salutiscustodia, quæ nõ solũ nostra solicitudine fit, sed diuino pariter adiutorio. Quintũ est ab hac salute relapsus, qui sola nostra sponte, & à nobis ipsis fieri potest. Dilucidũ igitur opinor ex iis Augustini testimoniis esse, quòd in peccatore libertas arbitrii maneat, & quum faciat peccator, quod in se est non peccet mortaliter, quodque nondum accepta secũda gratia, multa per adiutorium prioris gratiæ posset opera bona facere, quibus promereri veniam queat. Et quanquã in his inculcandis fuerim prolixior, id mihi potius vitio vertendum patior, quàm vt Lutheri mendaciis lector hallucinetur, persuasus Augustinum sensisse, quæ nunquam senserit.

Opera moraliter bona.

Quinq; ex Aug. verbis adnotanda.

I.

II.

III.

IIII.

V.

In peccatore arbitrij libertas manet.

Quum facit quod in se est nõ peccare mortaliter.

¶ Nemo enim hic non contra gratiam pro gratia scripsit, ita vt non sit res æque necessaria tractatu, quam & sæpius optaui omissis friuolis illis papensibus nugis & negotiis, quæ nihil ad ecclesiam pertinent, nisi vt vastant tractare, sed longitudine temporis & magnitudine vsus operatio satanæ sic insedit, & errore isto sic habitauit animos hominum, vt nullos videam qui idonei sint vt intelligant, nedum vt nobiscum certent. *Luth.*

¶ Si scholasticorum nemo pro gratia cõtra gratiã non scripserit, ipsi viderint. Tueantur ipsi caussam suam, quòd nemo iudicio facilè possunt aduersus te Luthere, quũ nihil hactenus in mediũ attulisti quod & ilico paucis verbis exufflabunt. Rectius mihi videris fecisse, si rationes, quibus innitũtur, apertè diluisses, priusquã eiusmodi probris & conuitiis, in eos ad hunc modũ insultasses. Sed finge istos delirasse, quid habes tamẽ quod orthodoxis patribus obiicias, quos negare non potes, pro gratia contra Pelagianos strenuè dimicasse? Horum libris, tuæ hæreses palam cõdemnantur. Illi sanè te Manichæum esse dicent, quũ asseras liberum arbitrium nõ posse non peccare, sed & Manichæo quouis deteriorem, quum Deum optimum maximum peccati authorem facias, simul & liberum arbitrium non aliud opinaris, quàm prudentiam carnis, quæ spiritui & gratiæ semper reluctatur. Nouatianum item ostendunt esse te, qui pœnitentiã negas peccatori conducibilem esse, priusquã à Deo gratiam gratum facientem acceperit. Nam tu, quum agit peccator quicquid in se fuerit, affirmastamen eũ peccare mortaliter, & deteriorem inde fieri. Quam sententiam nullus patrum non vehementer abhorruit. Sed vnum hic recensere nobis sufficiet Augu. Is enim in lib. de ecclesiast. dog. de venia peccatorum sic loquitur: Pœnitentia aboleri peccata, indubitanter credimus, etiam si in vltimo vitæ spiritu quis admissorum pœniteat. Et paulò post, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem *Episc.*

Lutherus Manichæus. Liberum arbitrium Lutheroprudẽtia carnis. Lutherus Nouatianus.

Universidad de Deusto Biblioteca

peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitẽdo, & saluatus miseratione Dei viuat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, non Christianus, sed Nouatianus est. Ecce quib⁹ verbis Aug. te Nouatianum affirmat, qui pœnitentiam asseris peccatorem facere deteriorem. VViclefistam insuper quis negare te potest, qui cuncta de necessitate prorsus absoluta prouentre reclamantibus omnibus patribus, non vereris asserere? Sed & arrogantia tua plusquam manifestum te facit, quisnam fueris, quum tam superbè cæteros omnes præ teipso contemnis, quique nullos iudicas idoneos vt intelligant, nedum tecum certent. Hoc hæreticorum semper fuit, arroganter de seipsis prædicare, & placere sibi. Sed istud supercilium quis vere Christianus non abominetur?

Lutherus VViclefista.

Luth. ¶ Plena est harum rerum diuina scriptura. Sed sic vastata per nostrũ Nabuchodonosor, vt nec literarũ facies & notitia reliqua sit, opusq; sit nobis quodam Esdras, qui nouas literas inueniat, & denuo nobis Bibliam reparet, quod spero nunc geri efflorescentib⁹ in toto orbe linguis Hebraica & Græca, Amen.

Episc. ¶ Et in hoc nec degeneras à priorib⁹ hæreticis qui sibi scripturarũ notitiam semper arrogarũt. Vtinã saperes modesti⁹, nobis abundè satis est, cũ patribus sapere, cõtra quorũ cõmunè consensum, nulla tui cerebri figmenta, de scripturis intelligendis admittere licet, nisi prorsus insaniamus. Scripturis patres assentiuntur, & scripturæ vicissim patribus cõueniũt. Nullum inter vtrosque dissidium est, sed summa concordia. Quod si nunc tãdem aliquis emergat, qui patres non intellexisse scripturas contendat, nec eas rectè fuisse interpretatas, is merito suspectus haberi debet, ne potius ad Antichristi gregem, quàm Christi spectet. Nec inficior quin singulis quisque patrum alicubi lapsus sit, verũ quod in re quauis aliquanti ponderis, nemo illorum veritatem attigerit, sed omnes pariter errarint, & falsa docuerint credere nõ possum, nec si quisquam Esdras exoriatur, & nouas denuo literas nobis exhibeat. Bonis literis si bene quis vtatur non refragor quin ex eis tam sibi, quàm aliis emolumentum ingẽs parare possit. Sed nihil est vsqueadeò bonum quo quis non queat in aliorum perniciem abuti, Paulo satis fuit, annuntiare testimonium Dei, citra sapientiæ sermonis eminentiam. Nec suam prædicationem in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis fuisse testatur, quin potius eandem asserit apud Deũ stultitiam esse. Sed & alibi scientiam inflare dicit, vniuersosque magis hortatur, vt idem sapiant, & spiritus vnanimitatem atque charitatem sectentur, quàm mutuis istiusmodi contentionibus, inter se conflictari. Neque hæc dico, quòd nolim bonas literas efflorescere. Nam id maximopere cupio, sed ꝓ nolim quenquam eis ad insaniam & multorum perniciem abuti. Sed hactenus ad articuli confutationem.

1. Cor. 2.
1. Cor. 3.
1. Cor. 8.
Philip. 2.

ARTICVLVS XXXVII.

Luth. PVrgatorium non potest probari ex sacra scriptura, quæ sit in canone.

Episc. ¶ Primũ dicimus, ꝓ tametsi non possit ex scripturis probari purgatoriũ, veritas eius nihilominus Christianis cunctis credẽda est, & maxime quũ ex ecclesiæ vetustissima cõsuetudine, pro defunctorũ animabus, quæ in purgatorio esse creduntur, cõmemoratio specialis à sacerdotibus in missa fieri consueuit. Propter quod & Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, postquã ostẽderit ex scriptura, prodesse defunctis ea suffragia, quæ post mortem eorum fiunt, docet nihilominus eius rei sufficientem probationẽ capi posse, ex longa totius ecclesiæ consuetudine. Si nusquam, inquit, in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac consuetudine claret authoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare fundũtur, locum suũ etiam habet cõmendatio mortuorum. Sed & Chrysostomus eandẽ ex Apostoli ea traditione scribit exortam fuisse, vt mox dicemus.

De purgatorio primũ.

Secundum. Secundo videtur is articulus non valde quadrare cũ cæteris assertionibus. Nam ex eo sequitur, quod præter scripturam sacram aliæ nobis quærẽdæ sunt probationes, quod tamen alibi tu pertinaciter negas faciendum. Iubet vtique Petrus vt parati simus ad satisfactionem, omni poscenti rationem, de ea quæ in nobis est spe. Quando igitur nobis creditum est purgatorium, vt tu paulò inferius testaris te credere purgatorium, suadereque & consulere, quatenus ab aliis credatur, oportet, vt parati simus ad satisfactionem, si quis à nobis huius rei rationem exigat. Sed præsens articulus iam asserit fieri non posse, vt res hæc probetur ex scriptura sacra. Quamobrem aliunde nobis huius rei probatio petatur, necessum est. Tertio, quũ à tot patribus tam Græcis, quàm Latinis purgatoriũ affirmetur, non est verisimile, quin eius veritas per idoneas probationes illis claruisset. Gregorius in primis præter multas historias, quas lib. 4. dialogorum ad confirmandam purgatorii certitudinem adducit, etiam scripturas duas memorat, alteram ex euang. Mat. qua dicitur, quòd si quis contra spiritum sanctũ blasphemauerit, neq; in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia, inquit, datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur consequens intellectus patet, quia de quibusdam concedit. Alteram vero ex Paulo. 1. ad Corinth. 3. profert, vbi de ædificante Paulus ait, quòd saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hieronymus item in fine. 18. lib. super Esaiam ait: Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum, atque impiorum & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitamur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis. Hæc Hieronymus. Et Ambro. super Psalm. 118. vnumquenque purificandum esse docet priusquam in domini requiem ingrediatur. Quãdo,

Tertium. Purgatoriũ esse affirmãt patres.

Mat. 12.

1. Cor. 3.

inquit, dominus dicet: Intrate in requiem meã vnusquisque nostrum vstus romphæa illa flammea non exustus purificabitur, vt introgressus in illam paradisi amœnitatem gratias agat domino suo, dicens: Induxisti nos in refrigerium. Hæc ille. Porro quid Augustinus, Origenes, Athanasius, Chrys. & Dionysius hac de re testantur, mox apparebit. Quando igitur tot egregij patres, purgationem fieri post hanc vitã vnanimiter comprobent, haud dissimile vero est, quòd eius rei iustas & efficaces habuerint probationes. Quarto quoque loco dicimus, q̃ nõ sit credibile purgatorium non posse ex scriptura sacra probari, quum sit ea res Christianis omnibus vsqueadeo scitu necessaria. Prodest enim ipsius notitia, nõ solum vt ex charitate subuenire studeamus animabus illorum, qui pœnis illis detinẽtur, verumetiam nobisipsis metum incutit, ne leuiores facile culpas admittamus, quum certo nobis constiterit, nos ob eas, in illis ignibus graues luituros pœnas, nec ante nobis in cælum aditum patere, quàm illis per acerbos purgatorij cruciatus fuerimus purgatissimi: confert enim & spei nostræ, ne protinus, vt morbus aliquis grauis & lœthiferus nos inopinatos oppresserit, desperemus putantes omnia vel leuissima, de quibus hic non satisfecimus, in gehenna debere puniri. Sperare enim possumus admissa leuiora, quæ non satis in hac vita fleuimus, sic in purgatoriis ignibus clementer expiari posse, vt nihil necesse fuerit, eorum vltionem ad gehennam reseruari. Quamobrem apprimè necessaria res est Christianis, nosse purgatorium esse locũ in quo pro minutis delictis animæ corporibus exutæ, velut aurum in fornace purgationem accipiunt, priusquam in cælum admittantur. Et quoniam scriptura sacra, conclaue quoddam est omnium veritatum, quæ Christianis scitu necessariæ sunt, nemini potest ambiguũ esse, quin purgatorii veritas in ipsa contineatur, & quin ex ipsa quoque probari possit. Vale autem hęc argumentatio contra te Luthere, qui purgatorii veri-

Psal. 65.

Quartum.

Necessariũ est Christianis nosse purgatoriũ esse.

tatem haud negas, imò confiteris ingenue purgatorium esse. Nam inferius ais: Credo purgatorium esse, & consulo suadeoque credendum. Vides igitur quãtum conueniat, vt huius veritatis credẽdæ ratio, probatioque non desit in scripturis, quanquam fortassis vnam aliquã scripturam, quæ prouenientem adigat, vti rem velit, nolit, confiteatur, in promptu nõ sit adducere. Sed potest esse nihilominus illic aliqua, tametsi diligentissimos hactenus inquisitores ipsa latuerit. Tentabimus igitur vel ex vna, vel pluribus ostendere purgatorium esse. Principio tamẽ illud firmum sit oportet, vt dissidentibus nobis de vero scripturæ sensu, ille verus habendus, quem iudex ecclesiæ catholicæ constitutus pro genuino sensu potissimum interpretabitur, quemadmodum sub tertia veritate pluribus explicauimus. Nam hæreticus alium sæpenumero de scripturis sensum colligit quam orthodoxus. Arrius enim hui⁹ scripturæ sensum: Pater maior me est, aduersus personarũ æqualitatem interpretatus est. Eluidius etiam hanc, Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum contra beatæ virginis perpetuam integritatem intellexit. Marcion hanc, Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum, sic contorsit vt malum esse Moseos legem, & à malo principio iuxta Manichæum originem sumpsisse, non dubitauerit affirmare. Basilides item hac abusus est, qua dixit Paulus: Ego autem sine lege viuebã aliquando, vt doceret Pauli animam in alio prius vixisse corpore. Eunomius insuper illud Dauidicum, Ego dixi dii estis & filij excelsi omnes, cum verbo Christi committens, quo Iudæis affirmabat se filium esse Dei, credidit haud aliter Christum esse filium Dei, quàm aliquem è diuis, quos in ecclesia veneramur. Manichæi demum illud haud recte interpretati. Quotquot ante me venerũt, fures sunt & latrones, de prophetis omnibus, & lege malè sentiebant. Sed quid lectorem istis morer? quum & reliqui quotquot fuerant hæretici, non paruo sane numero, semper

Arrius.
Ioan.12.
Eluidius.
Mat.1.
Marcion.
Rom.5.
Manichæi.
Basilides.
Rom.7.
Eunomius.
Psal.81.
Manichæi
Ioann.10.

ansam ex perperam intellectis scripturis acceperũt. Quamobrem & dilucidum omnibus esse potest, scripturæ sensum (quẽ credit hæreticus) non esse sequẽdum, sed quem orthodoxus ex ipsa cõcepit. Quoniã igitur secundum orthodoxorum interpretationem, vbi Christus affirmat ex euangelio Matthæi quoddã esse peccatum, quod nec in hoc seculo, nec in futuro remittetur, colligi potest aliquorum fieri peccatorum in futuro seculo remissionem. Quæ remissio certẽ quum purgationem talem exigat (qualis nec in gehenna fit, nec in cælo) purgatorii subinfert omnino necessitatem. Similiter in epistola Ioannis prima, quum dicitur, Est peccatum vsque ad mortem, non dico, vt pro eo roget quis, de peccato finalis desperationis ab orthodoxis intelligitur, perinde ac si dixisset Ioannes: Pro eo, quem constat hinc emigrasse cũ desperatione elementiæ Dei, nullus oret. Quod si pro cæteris profutura sit oratio, iam palam est eos alicubi detineri cruciatos, vnde per orationes eripi valeant. At id nec est in gehenna, quoniam inde nulla prorsus ereptio est, nec in cælo, quoniam illic nihil intrat purgandum. Quamobrem oportet, sit tertius aliquis locus, in quo crucientur, & expurgẽtur à peccatorum impuritatibus. Nec est vt cauillum facias in verbo, viderit, quum paulò antè dixisset: Si quis viderit fratrem suum peccare peccato nõ ad mortem. Nam hic videre non aliter, quàm pro intelligere potest accipi, quum nemo corporeis oculis desperationem cernere valeat, sed solo mentis iudicio percipere. Atqui nec res ista poterit antea deprehẽdi, quàm quisquam hinc emigrauerit, quum & multos à desperatione, qua pridem infestati sunt, resipuisse compertissimum est. At hæc scriptura triplicem ordinem eorum facit, qui cum Deo videntur aliquid posse. Nam apud Paulum Philip. 2. dicitur: In nomine Iesu omne genu flectetur, cælestiũ, terrestriũ, & infernorũ. Et in Apo. traditur, ꝓ nemo inuentus est in cælo, nec in terra, nec subtus terrã, qui dignus esset aperire librum.

Mat.12.
1.Ioan.5.
Apo.5.

Universidad de Deusto Biblioteca

At palam est (quantum ad hos attinet) qui subtus terram in gehenna sunt, quod nec genua flectant nomini Iesu, quin contra potius, ipsum iugiter blasphement. Sed nec de his aliqua probabilitas est aperiendi libri. Quamobrem & de purgandis (qui videlicet in purgatorio subtus terram expiãtur) vtrunque debet intelligi. Ex his itaque scripturis (modo catholice interpretentur) dilucidum erit cuique purgatorium esse. Cæterum an ex pluribus sibi mutuo connexis scripturis, firmari quoque purgatorium posset, iã experiamur. Primum istud ex scripturis constat, dãnatorum animas in gehenna iam interea torqueri, donec veniat iudicii dies, id quod ex parabola diuitis epulonis manifestum est. Constat item ex iisdem scripturis, quorundam animas in cælo iam beatas esse præcipuè sanctorum patrum, quos è lymbo captiuos eduxerat Christus quẽadmodum ex Psalmis & diuo Paulo dilucidum est. Ascendit, inquit, Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quod si per scripturas patet quasdam animas in gehenna cruciari, quasdam vero iam in cælis summa voluptate frui, an non inde perspicuum est, alias quæ nec adhuc beatæ cælo potiuntur, nec detrusæ sint in gehennã non esse penitus otiosas? Nam aut boni quicquam patiantur, aut mali necessum est. De bonis illis & malis loquor, de quibus euangelium ait: Fili mi, recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nec est credibile, quod ij omnes, qui non fuerint in gehennam coniecti, quod euestigio migrauerunt in cælum. Quamobrem & interea pro voluptatibus venialibus, quibus in hac vita plusculum quãm par fuit, indulserunt, molestias aliquas oportet subeant, quibus emaculentur & experientur, dignique reddantur illi cælesti ciuitate, in quã (vt in Apoc. traditur) nihil intrabit coinquinatum. Vide nũc, num istæ scripturæ non apertissimam fidem faciant, oportere purgatorium esse, hoc est locum quendam ad expiationẽ animarum destinatum. Nam quum multæ sint, quæ

Luc. 16.

Psal. 67.

Luc. 16.

Apoc. 21.

nec ab hoc seculo vsqueadeo puræ migrarunt, in cælum protinus recipiantur, nec tam impuræ, vt mereantur ignibus gehennæ tradi, nec demum vnà cũ corporibus extinctæ sint, consequens est, vt suas interea præparationes patiantur, quibus idoneæ fiant, vt cælesti ciuitati donentur aliquando. Sed dices per mortem deleta fuisse quæque venialia. At hoc alia scriptura te non sinit dicere. Christus enim ait Matt. 12. Omne verbum otiosum quodcunque dixerint homines reddent de eo rationem. Vides ꝙ de verbis otiosis reddenda sit ratio, quod haudquaquã fieret, si per mortem essent penitus condonata, vel abolita funditus. Quamobrem & adhuc purganda remanent. Neque de verbis duntaxat otiosis id intelligi debet, verumetiam de cæteris omnibus leuioribus negligentiis, à quibus ante purgari singulas animas oportet, quàm in cælestem gloriam recipiantur. Ex his igitur scripturis inuicem conglutinatis, cuius non omnino contumaci, purgatorii fidem astrui posse nõ dubitamus. Sed iam Lutheri defensionem audiamus.

¶ Satis ridiculè sophistę in hac re nugantur, addu centes illud Psal. 76. Trãsiuimus per ignem & aquã, & eduxisti nos in refrigerium, non enim tantum habent cerebri & solertiæ aut cogitantiæ, vt videant, si hoc de purgatorio dictũ est, omnes martyres totámq; ecclesiam in purgatorium iuisse, cum in persona martyrum & omnium afflictorum hęc dicantur, pquibus ipsemet sciunt iniuriam esse orare. Talibus enim authoribus stupida ista capita solẽt sua probare, solum vt nauseam & abominationem faciant piis spiritibus. *Luth.*

¶ Quod illi nugantur, ego non comprobo. Sed in hac re tu sophista mihi multo nugatior esse videris, qui quum scriptura sacra veritatum omnium pelagus sit, ex eo tamen ꝙ vnum aut alterum locum, quem hi (quos sophistas vocas) introduxerint, confutasse te credideris, colligere molliris, non è scriptura purgatorii veritatem ostendi posse. At cede mihi precor, si quæsitũ in vno aut altero maris gurgite margaritum *Episc.*

inuenire nequiueris, num propterea negares margaritum in toto mari posse reperiri? Tu igitur qui cæteros appellas ridiculos sophistas, vnus omnium es & sophisticissimus, & ridiculus maxime. Cęterum quòd per ignem & aquam purgandæ sint animæ, quæ de prælio vitæ huius exierint, prius quàm cælum ingrediantur, testatur Origenes homi. 25. super Numeros, quem tu (quantum opinor) sophistam non appellabis. Tempus (inquit) belli nobis est in hoc mundo, pugna aduersus Madianitas est, siue aduersum vitia carnis nostræ, siue aduersum contrarias potestates. Spectat nos angelorum chorus, & virtutum cęlestium piaerga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio reuertamur, quid vnusquisq; nostrum manubiarum reportet, & intuentur curiosius, ac solicitius perscrutantur, quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quis ve lapides deferat pretiosos. Requirunt etiam, si quis æs deferat, aut ferrũ, aut plũbum. Sed & vas ligneum si forte aliquis afferat, aut fictile, aut aliud eiusmodi magnæ domus vsibus necessarium. Requiritur ergo diligenter, quum abierimus illuc, quid vnusquisque nostrum deferat, & secundum ea quæ detulerit, secundum quòd labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiam mansionis ei meritum prępa rabitur. Probatur tamen omnia hæc, quæ per ignem, per ignem: quæ per aquam, per aquam. Vniuscuiusq; enim opus quale sit, ignis probabit. Hactenus Origen. Vt intelligas in persona sanctorum omnium hũc versiculum dici posse: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos (postquam his purgati fuerimus) in refrigerium. Sed & paulo post: Vides (inquit) quomodo purificatiõe indiget oĩs q exierit de pręlio vitę huĩ. Ergo purgatoriũ Origeni pbatur, per quod & omnes trãsituros opinatur, q̃ sunt ex hoc seculo migraturi.

Luth. ¶ Tale illud. 1. Corint. 3. Saluus ipse erit, quasi per ignem, quum Apostolus ibi de igne iudicii loquatur. Dicens diem domini in igne reuelandum.

¶ Non habet Græcus codex illã particulam, nempe domini. Sed dies (inquit) declarabit, quod in igne reuelatur, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit. *Episc.*
Quem sanè locum non ex Latinis modo, verumetiam ex Græcis aliquot pro purgatorio volunt intelligi. Ego tantum duos afferam, Orig. & August. Origenem iam audisti nõnihil apud Numeros, alludentem huic loco Pauli. Sed & idem super Exodum homil. 6. sic scribit: Triplex nanque est bene agendi via, quum vel ex opere, vel cogitatione, vel verbo, boni aliquid agitur. Hoc enim significat & Apostolus, quum dicit: Qui autẽ ędificat supra fundamẽtum hoc, aurum, argentũ, lapides pretiosos, triplicem bonorum indicans viam. Subiungit nihilominꝰ triplicẽ etiam malorum, quum dicit: Ligna, fœnum, stipulam. Et paulo post sequitur ex Orig. Idcirco qui saluus fit, per ignẽ saluus fit. Vt si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum. Quia aurum terræ illius bonũ esse dicitur, quam habituri sunt sancti. Et sicut fornax probat aurũ, sic homines iustos tentatio. Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad cõflatorium. Sedet enim dominus & conflat, & purgat filios Iuda. Sed & illuc conuenitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit. Illud parum tãquam plumbum igne resoluitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et sic quis plus illic plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt & si purum aliquid sit auri, purgatum tandem resideat. Quòd si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est: Demergetur in profundum tanquam plumbum, in aqua validissima. Hæc Origenes. Ex quibus verbis apertissimum est, quòd hunc locum Pauli pro igne purgatorio interpretatur. Et Augustinus inter sermones de sanctis sermone. 4. de commemoratione animarum, hũc locum de purgatoriis ignibus intelligit. Multi sunt (inquit) qui lectionem istã male intelligentes, falsa securitate

Triplex bene agẽdi via.
1. Cor. 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

decipiuntur, dum credunt, ꝓ si supra fundamentum Christum capitalia crimina ædificẽt, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iste fratres charissimi corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui taliter sibi blandiuntur. Illo enim trãsitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse enim saluus erit, sic tamen quasi per ignem, nõ capitalia sed minuta peccata purgantur. Subinde memorat, quæ sunt peccata capitalia, & quę minuta, quibusque modis ista redimantur. Et subdit, quantum ad minuta. Quicquid de istis peccatis à nobis redemptum nõ fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, Quia in igne reuelabitur, & cuius opus arserit detrimentum patietur. Hortatur itaque demum Augustinus, vt in hoc seculo peccata nostra sic purgemus, quatenus in futuro ille ignis purgatorius aut non inueniat, aut certe parum inueniat, quod exurat. Asseritque tam diu nos in illo igne moras habituros, quoad supradicta peccata tanquam ligna, fœnum, & stipula consumantur, duriorémque futurum illum ignem affirmat, quàm quicquid in hoc seculo pœnarum, aut videri, aut sentiri, aut cogitari potest. Hæc Augustinus illic, quanquam aliter alibi. Sed iam senex ita populum quem fallere noluit, duxit admonendum.

1.Cor.3.

Luth. ¶ Sicut & Thessalo. 1. dicit Christum de cælo reuelandum cum angelis virtutis suæ in flamma ignis vindictam sumentis, de iis, qui nõ crediderunt euangelio. Si ergo his & similibus locis probatur purgatorium, vere ex scriptura probabitur prorsus nullum esse purgatorium.

Episc. ¶ Apud Thessal. certum est, ꝓ de igne conflagrationis loquitur Paulus, de quo & Dauid est vaticinatus. Ignis (inquit) ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et Petrus item scripsit: Veniet autem dies domini, sicut fur in nocte, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, terra autem, & omnia quæ in ipsa sunt opera exurẽtur. Cæterum nihil oportet, vt prorsus de eodem loquutus fuisset igne, pariter ad Corinthios, & maxime cum illic de die domini non fecerit mentionem, sed absolute dictum sit: Dies enim declarabit. Qui nec iniuria potest de die examinis cuiuslibet hinc migrantis intelligi. Nam hauddubie mox, vt hinc exierimus, examinandi sumus, alioqui cur euestigio quidam ad gehẽnam, alii ad cælum assumuntur? Quòd si locus ille, sensum hunc patiatur, vt & certe patitur, atque sic interpretes quidam illum exposuerint, neque dubitem°, quin animæ mox, vt hinc exierint, iudicium aliquod subiturę sint, vereque credimus locum aliquem esse pro purgandis animabus deputatum, quid hæremus amplius, aut cur licet, vbi nullus omnino nodus est, aliquem diutius in hoc scirpo quærere?

Ignis conflagrationis

Tbess.1.
2.Pet.2.
1.Cor.3.

¶ Vnum locum habent, cap. 2. Machabæorum. 12. vsitatum, quem librum dixi, sicut adhuc dico, non esse in hac re vllius authoritatis, quum nihil simile, neque in nouo, neque in veteri testamento legatur. *Luth.*

¶ Quanquam ipse nonverearis hunc librum asserere, nullius authoritatis esse, parum tamen huic tuæ temeritati credẽdum est, quum authores complures, & iidem quoque grauissimi, longe aliam super hac re sententiam ferant. Nam Aug. hunc librum, ceu canonicum approbat. Sic enim. 18. libro de ciuitate Dei, cap. 36. scribens de principum temporibus, qui post restitutum templum vsq; ad Aristobuli principatum rem Iudaicam administrarunt, loquitur, quorum supputatio temporum, non in scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur, sed in aliis inuenitur, in quibus sunt & Machabæorum libri, quos non Iudæi, sed ecclesia pro canonicis habet. Ecce Machabæorum libros ecclesia pro canonicis habet, quanquam Iudæis non sint de canone. Hieronym° quoq; secundo prologo super libros Machabæorum ait: Machabęorum libri, licet non habeantur in canone Hebræorum, tamen ab ecclesia inter diuinorum voluminum anno- *Episc.*

Machabæorũ libros, ecclesia pro canonicis habet

tantur historias. Sed & Augustinus in libro de cura p mortuis agenda locũ eundem (de quo iam cõtrouersia est) citat inquiens: Poterat inquisitioni tuæ sufficere mea breuis ista responsio, sed quia alia monent, quibus respondendum existimo, parumper attende. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Rursum quoque sermone. 44. ad fratres in heremo. Defunctis (inquit) cum omni diligentia misereri & subuenire studeam⁹, attẽdẽtes & quid Iudas Machabæus fecerit, dixit enim quòd sancta esset cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Ecce quanti fecerit Augustinus hoc testimonium, vnde & non mediocris hæc tua temeritas esse conuincitur, quòd his libris nihil authoritatis censeas deferendum.

Luth. ¶ Et quæ necessitas est, pro purgatorio sic tumultuari? nisi ꝓ papistica ecclesia lucro suo timet, quod inæstimabile trahit ex purgatorio.

Episc. ¶ Vter vestrum magis incusari debeat, an papa, si pro quęstu suo velit ab aliis credi purgatorium, quod ipse quoque credit, an tu (qui solum vt huic occurras quæstui) supprimere studes purgatorii fidẽ, quod tamen extare non dubitas. Si iudicium huius rei mihi permitteretur, tu mihi visus es, quem potius condemnarem. Nam egẽtibus animabus, tuo studio longe plus dispendii, quàm põtificis infertur. Neque enim de purgandis animabus cuiquam cura foret, si tibi crederetur, quæ res multo maioris esset detrimenti, quàm si tota Germanorũ pecunia cederet in pontificis lucrum. Nemini enim ambiguum esse potest, si grauissimos ignis cruciatus animæ purgandæ sustineant, vt hauddubie sustinent, quin is plurimum apud Deum meretur, qui sic earum agit curam, vt pro earum liberatione, vel preces deuotas offerat, vel pias eroget eleemosynas, vel ieiuniis, aliisque molestiis carnem affligat suam, aut alia demum ad piam illorum subuẽtionẽ, opera charitatis exerceat. Ad quod & Augustinus hortatur sermone iam ante citato: Cla

mant (inquit) quotidie, qui iacent in tormentis, clamant, & pauci sunt qui respondeant, vlulant, & non est qui consoletur eos. O quàm grandis crudelitas, fratres mei? O quàm grandis inhumanitas? Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus. O verè magna inhumanitas. Ecce enim infirmus iacet, & clamat, & à medicis consolatur, clamat porcus, & omnes cum eo clamare non cessant, cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas fratres. Eia ergo non sic. Sed mementote fratres, quòd sancta & salubris, pia & felix, & suauis Deo, & angelis est cogitatio pro defunctis exorare, vt à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, soluantur. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis diluci dum est, magnum dispendium purgandis animabus fieri, si non creditum esset purgatorium, nec illis modo, verumetiam nobis qui superstites sumus, qui dum illis prosumus, nobis etiam abunde lucramur. Esto pontifex ex credito purgatorio lucrum ingens assequatur. At qui pro liberandis animabus bona fide cõtribuunt, tam sibi quàm animabus illis, tanto lucrantur cumulatius, quanto spiritales diuitiæ transitoriis præponderant magis.

¶ Suo quisque periculo hic credat vel nõ credat, non est hæreticus, si purgatorium nõ credit, nec ideo Christianus, si credit. *Luth.*

¶ Christianus vtiq; nemo fit ex eo, ꝓ credit purgatorium esse, nisi & cætera quæque crediderit, quę (vt credantur) ecclesia docet catholica. Non enim vnius alicuius articuli credulitas Christianum facit, sed ita cunctis oportet credat, vt à nullo dissentiat obstinate. Nam si dissenserit ab vno quopiam, non articulorum dico fidei, sed quorũlibet indiscriminatim, quos ecclesia credendo recepit, atque id fecerit contumaciter, iã selegit sibi, quod ab ecclesia diuersum credat & hęretic⁹ efficitur. Propter quod & Tertul. aduersus *Episc.*

hæreticos scribens, ait: Si totũ capitulum, nempe Pauli.1.ad Corinth.11. ad vnitatem continendam, & separationes coercendas, aptes, hæreses vero non minus ab vnitate diuellũt, quàm schismata & dissentiones, sine dubio & hæreses in ea conditione reprehensiones constituit, in qua & schismata & dissentiones. At per hoc non eos probabiles facit, qui in hæreses diuerterint, quum maxime diuerti ab eiusmodi obiurgans, & docens vnum omnes loqui, & idipsum sapere, quod & etiam hæreses non sinunt. Hæc Tertul. Et paulo post: Sed & in omni epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ, hæreses dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis, siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, sibi elegit. Hæc Tertul. Ex quib⁹ verbis liquet hæreticum dici posse, qui per dogma suum ab ecclesia diuersum, ecclesiæ scindit vnitatem, nec sinit omnes idem loqui, & sapere, sed per priuati dogmatis electionem hæretici nomen sortitur, in quo & sibi damnatus est. Nec dissimiliter Aug. libro 8. de ciuitate Dei, cap.50. dicit: Qui in ecclesia morbidum aliquid, prauumque sapiũt, si correpti (vt sanum rectumque sapiant) resistunt cõtumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. Hęc Aug. Quando igitur ecclesia purgatorium docet esse credendum, quisquis contrarium dogma contumaciter asserit, is omnino seipsum hæreticum facit.

Hæreses.

Hæreticus.

Luth. Episc.

¶ Greca enim ecclesia nõ credit, manẽs catholica.

¶ Vulgus opinor intelligis, & non ipsos ecclesiæ Græcanicæ patres. Nam hos fauere purgatorio, libri (quos ædidere) testantur. De Orig. quidem duo protulimus testimonia, quibus palam affirmat animas, hinc exeuntes, oportere purgari, priusquã in cælum admittantur. Et Athanasius.34. quęstione de purgandis animabus quærit: Num sentiunt aliqua beneficia

sanctorum animæ, quum super illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum & oblationum? Cui quæstioni respondet, quòd si non aliquo beneficio participarent ex illo, non vtique in cura & exequiis fieret commemoratio. Ecce quòd in ecclesia Græcanica, pro mortuis ex patrum institutione fiebant exequiæ, & orationes ad Deum fundebantur, quibus & defunctorum animas Athanasius asserit participare. Atqui nihil ista prodesse poterunt animabus, vel quę in gehenna sunt, vel quæ in gloria, sed iis duntaxat, qui peccatorũ suorũ aliquã rubiginẽ patiũtur, à qua (priusquam in cęlis eis pateat aditus) eas purgari necessum est. Quid enim ex orationibus & exequiis aliud boni caperent, quàm veniam & expiationem eiusmodi? Quòd si nemo pro illis precaretur, certum est, eas aliis quibusdam rationibus expurgari debere. Dionysius insuper cap.7. ecclesiasticę hierarchię, docet ex apostolica traditione, precationes quasdam animabus (quæ dignæ sunt) postquam hinc exierint, prodesse posse. Nec dissimiliter Chrysostomus homilia.69. Bernardo Brixiano interprete. Nõ temere ab apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis, defunctorum agatur commemoratio. Sciũt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Hæc ille. Ab apostolis igitur hæc institutio manauit, vt inter sacra, defunctorũ ageretur memoria, quatenus aliquid inde lucri consequerentur. Cæterum animabus, quæ vel in cælo beatæ sunt, vel in gehenna damnatæ, nihil accedere lucri potest, quo fit, vt in purgatorio esse locum existimemus, vbi consistentes ad tempus animæ, deuotis interea viuorum precationibus refocillantur, & releuantur eleemosynis. Extat & libellus Græce scriptus, tempore concilii Basiliensis æditus, in quo præter hos, & alii complures Græcorum authores, aduersus hunc errorem citantur, quorum testimoniis aiunt Græcos in concilio Florentino cessisse, & à pertinacia sua resipuisse.

Ab apostolis hæc institutio manauit, vt inter sacra defunctorum ageretur memoria

¶ Nec ei nocet ꝙ à papistica ecclesia, omniũ schis-

maticissima criminatur, & insimulatur schismatis, solum ob hoc, quia sequitur suos nugaces à se repertos articulos fidei.

Episc. ¶ Quantum ecclesiæ Græcæ nocuerit, q̃ ab ecclesia Romana desciuerit, si nihil aliud esset, abunde testatur clades illa Constantinopolitana. Sensit enim tum vniuersa Græcia diuinam vltionem, quam & futuram diua prædixit Brigitta, nisi confestim ad vnitatem ecclesiæ cõspirarent. Quoniam igitur in vnione (quam sunt polliciti) non perstiterunt, sed ad pristinos errores tanquam canis ad vomitum sunt relapsi, credibile est, in eos Deum adeo seueriter animaduertisse. Nihil enim potius Deus quærit, quàm ecclesiæ suæ concordem vnitatem. Nam & vnicam eã esse scripturæ prædicant. Quòd si vnica fuerit, conuenit, vt singula quæque eius membra sibi mutuo concilientur, nec vllum inter ea dissidium sit, aut cõtentionum varietas, sed quod iubet Paulus, velut integrum corpus eadem sunt mente, eademq; sententia. Non potest igitur nõ esse schismatica quæuis ecclesia, quę seipsam in iis (quæ credenda sunt) ab orthodoxa separat ecclesia. Nescio quos intelligis nugaces articulos, iste saltem de purgatorio nugatorius dici nõ potest, quem & tu te credere cõfiteris, aliisq; cõsulis, suadesq; credẽdum, quemadmodum & pxime sequitur.

1. Cor. 1.

Luth. ¶ Ego tamen & credo purgatorium esse, & consulo, suadeoque credendum, sed neminem volo cogi.

Episc. ¶ Cur vis cogi neminem? Nimirum vt tibi licentia fiat, quicquid libuerit, impune docendi. Ideo vis cogi nemine, ne & tibi forte vis inferatur, ad ea docenda quę nolis. Sed qd periculi fuerit, vim inferre cuiquam, modo fiat ad suum commodum? Beneficium enim prestabis ei, quem ita coges. Et sane magnum beneficium est ignoranti, veritatem ostendere, aberrantique rectam commonstrare viam. Sed & compellendi sunt, velint nolint, vt eã ingrediantur. An nõ Christus in euang. Lucæ, parabolam referens cuiusdã hominis qui fecit cœnam magnã, quosdam inuios com-

Luc. 14.

pellendos docuit, quatenus ad viam redirent? Exi, inquit, cito in vias & sepes, & compelle intrare. Num tu videri vis Christo circumspectior? Quando igitur tibi creditum sit purgatorium, & dignum tibi visum fuerit, quod credendum cæteris consulas, quamobrem te quæso neminem cogi vis ad id credendum, cum talis adactio cuique sit vtilis, & Christus eandem in euangelio docet apertissime?

¶ Sicut si non credam, Tho. Aquinatem esse sanctum, licet à papa canonizatum, non sum hæreticus. Luth.

¶ Si sit hęreticus qui dissentit contumaciter ab iis quæ communis ecclesię consensus, ceu credẽda comprobauit, quemadmodum superius ex Aug. Tertullia noque monstrauimus, hæreticus equidem habendus est, qui iam ex contumacia nolit credere Tho. Aquinatem esse sanctum. Nam id, discernente summo pontifice, ecclesię communis assensus iam diu credẽdum admisit. Quamobrem quisquis huic veritati nunc vsqueadeo receptæ, fuerit ex pertinacia reluctatus, nõ potest nõ haberi pro hæretico, quia sibi quiddam ab ecclesiæ sensu diuersum elegit quod credat. Et id nimirum est hęreticũ esse, modo fecerit hoc ipsum contumaciter. Porro quantum ad homines in diuorũ cœtum referendos attinet, opinor nõ consenties, vt quisque sibi (quem velit) diuum constituat, & pro sancto colat, sed eam rem ordinaria quadam authoritate primum censebis approbandam. Neq; enim cunctos indiscriminatim, aut reiicere licet aut recipere venerãdos, sed delectus quidam adhibendus est. Nec potest quisquam designari, cui munus istud aptius cõgruat, quàm ei qui sit totius ecclesiæ põtifex. Quamobrem & huic (audito prius apud se prudẽtum virorum consilio) negotium istud, nempe referendi quosdam in diuos, omnino concredendum est. Episc.

¶ Quãdo & hi nõ sunt hęretici, q̃ Thomã negant, licet à papa approbatum & cõfirmatum in suis libris. Luth.

¶ Hæc tua similitudo nequaquã adamussim quadrat, nempe de doctrinæ, & de sanctitatis compro- Episc.

Universidad de Deusto Biblioteca

batione. Neque enim vniuersam doctrinam Thomę, pontifex ita comprobauit, vt singula (quæ scripsit) vera esse credantur. Imò nec Augustini, nec Hieronymi, nec alterius cuiuslibet authoris doctrinæ sic ecclesia subscripsit, quin aliquot locis ab eis liceat dissentire. Nam in nonnullis ipsi locis se plane monstrarunt homines esse, atque nonnunquam aberrasse. Quod & in vita similiter eos fecisse non negamus. Neque enim vsqueadeo pure vixisse putamus, vt nullus eorum operibus peccatum aliquot inueniri posset. Cæterum quia iã si quid in vita deliquerint, condonatum illis est, itavt nihil præter synceram puritatem in eis remaneat, si quid tamen à veritate, quomodo libet alienum scripserint, id adhuc relictum est in eorum libris, idcirco de doctrina horum, & de sanctitate non vsquequaque simile iudicium fieri debet. Quo fit, vt tametsi propter aliquas humanas hallucinationes, de multis (quæ dicti patres in commẽtariis suis reliquerunt) dubitare liceat, sanctitatem tamen eorum (quæ iam defecatissima est) haud licet in dubium reuocare, nec fas cuiquam est eos negare diuos esse, quanquam adhuc in eorum libris aliqui remanserint errores. Sed hactenus pro responsione Lutheri. Cæterum quale purgatoriũ ipse somniauerit, iam audiamus. Is conclusione. 15. vt ostendat timorem, & horrorem pœnarum esse purgatorium, multas argumentationes in mediũ adducit, quas nimis prolixum esset hic integre commemorare, quippe ꝓ multa quidem & inaniter in eis prodegerit verba, quod & lector facile iudicabit. Prima sic habet: Omnes concedunt easdem esse pœnas purgatorii & inferni, nisi ꝓ differũt æternitate. At scriptura describit pœnas inferni esse turbationem, pauorem, horrorem, fugam. Quare? &c. Ego paucis per eandem rationem respondeo. Quando pœnæ, quod & tu testaris, eædem sint inferni, & purgatorii. Nec est dubium, quin Christus in euangelio passim asserat, inferni supplicium esse, pœnã ignis. Erit & purgatorii pœna suppliciũ ignis.

Quale purgatorium somniauerit Lutherus.

Secunda Lutheri ratio. 2. Thessa. 1. Qui non credunt euangelio, dabunt pœnas in interitu æternas à facie domini, & à gloria virtutis eius. Inde colligit, à facie domini oritur eorum maxima pœna. Respondemus, ꝓ quanquam oriatur eis maxima pœna à conspectu irati vultus Dei, & gloriosæ maiestatis eius, hæc tamẽ haud semper durat, quia non semper illum vultum & gloriam intuebuntur, sed tunc solum dicetur eis: Ite maledicti in ignem ęternum. Quo liquet & pauorem hunc non æternum esse cruciatum. Tertia ratio, ecclesia in persona animarum psallit & gemit: Conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde. Respondemus non esse dubium, quin animæ plurimum turbentur, & grauentur in igne purgatorii. At ex eo non consequitur, vt nihil omnino sit purgatorium præter illam turbationem & pauorem, quin potius ignis ille, qui molestiam infert, dici meretur purgatorius. Quarta ratio. Viuẽtes aliqui eas pœnas gustauerunt, scilicet inferni. Ergo multo magis mortuis credendum est, eas inferri in purgatorio. Respondemus verum esse, ꝓ animæ defunctorum horrorem in igne purgatorii sentiant. At nihil ob id oportet, vt horror ille vel solus dicatur purgatorium. Quinta ratio. Quàm multi sunt, inquit, quivsque hodie has pœnas gustant, quod & probare nititur ex sermonibus cuiusdam Ioannis Tauleri, & ex relatione cuiusdam alterius, quem non nominat, qui sese pœnas has sæpius passum asseruit. Respondemus nos opinari neminem tam insanum esse, vt spretis tot historiis, quas cum alii, tum Gregorius & Beda pro certissimis asserant, istis vsqueadeo nugacibus, & friuolis testimoniis, quæ nec multum à fabulis distare videntur, velit fidem adhibere. Sed nec aduertit Lutherus, quid alibi de timore dixerit, nempe ꝓ multo magis peccatorem constituit, & peccare facit, nec iuuat quicquam ad gratiam comparãdam. Quomodo ergo timor iste potest in purgatorio charitatis argumentum facere, quum in hac vita quemque peccatorem reddiderit

Matth. 25.

Psal. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccantiorem.Sexta ratio. Ad id facit authoritas ecclesiæ,quæ canit:Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus.Item,à porta inferi,&c. Respondemus,hæc propter mutuam vtriusque vicinitatem esse dicta . Nam apud Bedam quidam ad vitam reuersus, relatis his quæ viderit, purgatorium esse docet confine gehennæ.Quod vero tandem subdit Lutherus,se credere,nec vana esse ecclesiæ verba. Vtinam ita vere crederet in cęteris,& fidem firmam haberet ecclesiæ.Sed quoties instituto suo parum quadrant ecclesiæ verba, non solum non credit, sed contemnit penitus.Vides itaque lector,quàm futiles hæ orationes sint,quas pro commentitio purgatorio suo Lutherus produxit,nec aduertit quomodo positio sua seipsam interimat. Nam hunc errorem pœnarum, quem ipse purgatorium facit,paulo post audies peccatum ab eo vocari. Sic enim articulo trigesimonono dicitur: Animæ in purgatorio peccāt sine intermissione,quàm diu quærunt requiem, & horrent pœnas . Ecce horror iste peccatum est . Quando igitur peccatum fœdat & polluit,multo magis is horror pollutorius erit, quàm purgatorius.Neq; enim eiusdem est, sordidare &purgare.Quamobrem nec horror iste solus purgatorium dici potest.

ARTICVLVS XXXVIII.

Luth. ANimæ in purgatorio, non sunt securæ de sua salute, saltem omnes, nec probatum est vllis aut rationibus, aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi,aut agendæ charitatis.

Episc. Duas partes habet is articulus. Prior. ¶Duas partes habet is articulus.Alteram,quòd animæ in purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes . Alteram, quòd nullis aut rationibus, aut scripturis probatum est, eas extra statum merendi,aut augendæ charitatis esse positas . Sed de priore disseremus primum . Probabile quidem est, singulas animas(priusquam in purgatorium conficiantur) de singulis factis,dictis,& cogitatis, reddituras rationē. Nam de dictis hoc plane testatur Christus in Euan.

Matth.quum dicit:Omneverbum otiosum(quodcunque loquuti fuerint homines) reddent de eo rationem in die iudicii . Esset autem ordo præposterus, si prius de illis sumeretur supplicium , ac deinde sumpto supplicio producerentur ad examen. Quamobrem oportet,vt primum examinatę,rationē reddant, & deinde feratur in eas sententia . Quod si fiat,latere non potest(quæ mittuntur ad purgatorium) salutis suæ status . Norunt enim ex sententia in se data, quòd mox vt purgatæ fuerint, in cælestem gloriam admittentur . Adde, quòd cum suæ mentis vsum habeant,non minus quàm damnati,possunt non minus intelligere conditionem suam , quam illis datum est nosse. At istis per iudicii particularis sententiam innotuit, quòd æternos patientur cruciatus . Sed nec pœnarum immēsitas obsistit,quo minus de hac re secum cogitent , quemadmodum de Epulone constat, in quo rationis vsus minime ligatus fuerat. Quando igitur gehennæ cruciatus nihil mitiores sunt quàm purgatorii, quid prohibet, quo minus & hi, qui sunt in purgatorio certiores de statu suo sint,redditi?Huc accedit , quòd angeli quibus conuersione peccatorum,dum viuerēt,gaudium fuit, vti Christus in euangelio testatur : Amen dico vobis , Quia gaudium est angelis Dei,super vno peccatore pœnitentiam agente.Hi,inquā,angeli,qui sic gaudebāt, cum adhuc peccator amittere gratiā potuit,quantū iā gaudent,cum sciāt illū deinceps hāc amittere nō posse.Iā hauddubie cōsolātur & admonētur,quatenus bono sint animo,patienterq; ferāt illos cruciatus,nec est dubium, quin salutis suę certitudinē frequenter eis inculcēt. Prętеr hęc,bonus cuiusq; angelus cui & custodiæ cura mādata fuit à Deo,quid iā nō facit,quem non mouet lapidem, quo nihil cōsolationis desit animæ iam inter purgatorii cruciatus cōstitutæ? Quando igitur inter cætera,non minimam affert consolationem,salutis certo speratę cognitio , nēpe q̄ finita purgatione, tandem ad cælum euolabit anima,quis ambigere

Matth.12.

Lucæ.16.

Luc.15.

Universidad de Deusto Biblioteca

potest, quin amantissimus ipse comes & custos fidelissimus angelus, inquam, eius rei memoriam crebro suggerat? Postremo sacer inhabitator paracletus, qui & vere consolator est, per quem & Dei charitas in illis animabus diffusa est, per quem & cognoscunt se filios esse Dei, & in quo & clamant, Abba pater, quique ceu pignus & arrabo quidam hæreditatis futuræ datus erat illis, num ipse nunc, non certam huius hæreditatis consequendæ spem facit? Nunc, inquam, exutis carne corruptibili, quæ pridem eas ita præmebat onere suo, quo minus dilucide potuerint huius sacri spiritus aduertere monita? Tum vtique, cum erant in compedibus carnis, adiuuabat earum infirmitatē spiritus ipse, nunc in carcere purgatorii nullum solamen feret eis? In corruptibili corpore constitutis, testimonium reddidit, quod essent filii Dei, nunc in tāta calamitate positas omnino desolatas relinquet, denique quum in tabernaculo carnis ingemuissent, grauate paracletus iste pignus & arrabonem illis exhibuit sese, nunc acerbissimas passis ærumnas omni solatio destituet? Perspicuum igitur ex iis cuiuis esse potest, animas in purgatorio cōstitutas, omnes de sua salute securas esse. Porro quantum ad alteram particulam attinet, hoc est, an extra merendi statum, & augendæ charitatis animas defunctorum esse, scripturis aut rationibus probari possit iam agamus. Miranda plurimum hic est hominis hui' improbitas, quod tam impudenter istud asserit, quando tam clarissimis scripturis (quas ipse non ignorat) res hęc tam solide comprobatur, vt vix vllis aliis verbis asseuerari possit. An non Christus ait Ioan. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est? Venit nox, quando nemo potest operari. Quæ verba (nisi quis obstinatissimus fuerit) nō possunt aliter accipi, quàm pro tempore mortem insequenti, postquam non est diutius merendi tempus. Nam quum certum sit ex literis sacris quod nec beatorum nec damnatorum animæ, prorsus otiosæ sint, sed nec dubitare quisquam

Rom. 8.

Pars posterior articuli.

poterit, Christum iis verbis vera dixisse, necessario subinfertur quod de meritorio duntaxat opere, simul & de tempore præsentis vitæ sit loquutus. Dixit enim, Nemo potest operari. Quod & generatim de cunctis, qui iam hinc migrauerint, debet intelligi. Simile quiddam & in Ecclesiastæ scribitur: Quodcunque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quo tu properas. Quid hic dicemus? Num ista non erant apud inferos, quando patres in lymbo fuerunt? Erant hauddubie. Sed tamen ideo dixit quoniam is nemo mereri potest apud inferos. Quod si patres in lymbo nihil meruerint, frustra nobis blandimur in purgatorio merendi tempus esse. His confine est illud Apostoli ad Gal. 6. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, quem locum Apostoli, dum interpretaris in commentariis eiusdē epistolæ, torquere moliris contra purgatorium. Atq; ideo quod dicis te non videre, quomodo satisfactio vel satispassio (quam illic tradunt authores esse) nō sit operatio bona. Verum iuxta hanc rationem, nec cælum erit, cum & ibi suas & vtique bonas operationes animæ beatorum exercent. Cæterum, quia meritoriæ non sunt tametsi bonæ fuerint (neque enim in cælo nec in purgatorio meritoria quæpiam erit operatio) idcirco Paulus dixit: Dum tempus habemus operemur bonum, perinde ac si dixisset: Dum metendi tempus affuerit, ne cessemus bonorum operum accumulare nobis merita. De quo nimirum tempore Paulus loquitur, inquiens: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Sed in Ecclesiastico legitur: Ante obitum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum, nimirum vnde ad meritum refocilleris. Et sane rationi consentaneum est, quum eatenus anima corpori coniugata fuerit, quatenus in hac vita lucrum ingēs bonorū sibi comparare operum, quæ, ceu thesauros quosdam cælo præmitteret. Conuenit, inquam, vt (postquam ab eo

1. Cor. 6.

Eccl. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seiuncta fuerit) nihil deinceps posit promereri, aut quæstum vllum facere cumulatiorem. Propter quod & Paulus. 2. Cor. 5. ait: Oportet enim nos manifestari coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonũ siue malum. Ecce iuxta id quod anima fecit in corpore, vel præmium, vel supplicium reportabit. Quamobrem exuta corpore, nihil amplius mereri potest. His rationibus & scripturis, si quis adiunxerit sacrorum interpretum testimonia, nullum in hac re penitus dubitandi relinquet scrupulum. Aug. primum in Enchiridio, ca. 110. dicit: Hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam releuari quisquam posset vel grauari. Nemo autem speret (quod hic neglexerit) quum obiecerit apud Deum promereri. Hæc ille. Hieronymus in epistolam ad Gal. Tempus seminãtis, tempus est præsens, & vita quam currimus. In hac licet nobis, quòd volumus, seminare. Quum ista vita transierit, operandi tempus aufertur. Hæc Hieronymus. Subscribit his Chrysostomus inquiens: Quid hoc significat? Quam habet consequẽtiam? Sane magnam, hoc est, donec dies est dũ licet hominibus in me credere. Dum hæc durat vita, laborãdum est, venit nox, hoc est, futurum tempus, quando nemo oporari potest. Non dixit quando non potero operari. Sed nemo potest operari. Et paulò inferius Christ°, inquit, noctem futurum tempus appellat, quoniam peccatores nihil operari poterunt. Hæc Chrysost. homil. 55. super Ioannem. Consentit & Origenes in psalmum. 35. scribens: Saluator noster ait, veniet nox, quando nemo potest operari. Et hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc seculum, tempore quod vnusquisque recipiet pœnas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, quum iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positus, operatus est. Hæc Origenes. Ex quibus liquere potest, quid patres hac de re sentiant. Sed tibi nec ratio, nec scriptura, nec patrum authoritas satisfacere potest. Cæterum eas ratiunculas, quibus totis viribus contra niteris, iam diluere non grauabimur. Sub. 17. conclusione tales in medium adducis rationes. Primum animarum hinc decedentium tria ponis genera, vnum earum, quæ fide carent. Secundum earum, quæ sunt fide omnino plenæ atque perfectæ. Tertium earum, quæ fide imperfectæ sunt. Primas ad gehennam mittis. Secundas ad cælum. Tertia ad purgatorium, vbi (vt ais) perficitur earum fides, & charitas augetur. Respondemus, nos non intelligere quid tibi velis per fidem imperfectam. Nam si fidem informem intelligas, qualem & dæmones habent charitatis expertem, certum est animas (quæ talem habent fidem) non ad purgatorium pertinere, quanta vis ea fides fuerit, etiam si tanta sit, vt vel montes loco dimoueri per eam valeant. Sin de fide formata charitate loquaris, nõ video quomodo probes illam imperfectam esse, nisi propterea quia deficit à summo gradu fidei, quem alia posidet anima. Sed hæc imperfectio nunquam perficietur, nisi per claram visionem. Neque enim nobis credibile est, quòd vnaquæuis anima ad tantum gradum in purgatorio conscendat, quantum habuit in hac vita Paulus. Nam sic correspondetur, augetur in ea charitatis gradus, & ad æqualem cum Paulo charitatem concresceret, proinde præmium habitura foret æquale cum Paulo, cũ tua sentẽtia præmium nequaquã pro operibus tribuatur, sed pro fidei charitatisq; magnitudine. Secundo conaris ipsum sic ostendere. Amãti, inquis, pœnas ad mortem, ipsæ dulces sunt quia per amorem & spiritum victæ. Quamobrem si purgatorium affligit animas, & molestus est eis pauor, euidẽs est eis deesse amorem & spiritum libertatis. Ex quo concludere molitur, necessarium esse quatenus augeatur in eis charitas & sanitas. Respondemus, & primum, quòd fieri non potest, vt quæ mera pœna est, dulcescat, quia iam nõ esset pœna, pœna certẽ nemini dulcis esse potetit manens pœna, & sub ea ratione

Respondetur rationibus Lut. quas sub cõclusione 17. adducit.

Prima.

Responsio.

Secunda.

Responsio.

qua pœna est. Sed neque si dulcis fuerit, ipsa pro peccato voluptate contracto, digne satisfacere potest.

Pœnæ crucis Christo erant acerbissimæ, quã quã ex summa charitate pertulisset eas.

Et ad quem alium finem in locum illum pœnarum animæ coniectæ sunt, quàm vt pœnas luant, non vt voluptatibus afficiantur. Deinde dicimus quòd Christo pœnæ crucis & mortis erant acerbissimæ, quanquã ex summa pro nobis charitate pertulisset eas. Quando igitur in altero nemine, fuisset vnquam amor ardentior, & ille tam acerbè tulit cruciatus illos, quis dubitare poterit, quin vbi tantus defuerit amoris cumulus, illic pœna non erit omnino voluptas. Adiicimus tertio, quòd si deesset eis amor & spiritus libertatis, quemadmodum ipse concludere niteris, nequaquam ad Christum pertinerent. Nam Paulus dicit: Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius, & si Christi spiritum habeant (quum idem sit amoris & libertatis spiritus) amorem item habeant, & spiritum libertatis necessum erit. Tertio postulas, vt si quis negauerit, probet ipse contrariam sententiam, quam & constanter asseris te negaturum. Respõdemus, Quãdo nobis astipulantur omnia, nempe tam ecclesiæ vetus consuetudo, quàm apostolica traditio, sed & cæteri quique sacri scriptores cõsentiunt, atque rationes plurimum efficaces pro nostra parte militant, qui velit nouam & aduersam opinionem confingere, hunc oportet afferre probatiões omni luce clariores, quas si non attulerit explodendus est, & exibilandus ab omnibus. Diffisus itaque prioribus quas adduxeras, subinde nouas quasdam suasiones affers, quarum prima est eiusmodi. At quid, inquit, puniri vult Deus perfectos in spiritu? Respondes tibi ad satisfactionẽ. Contra, inquis, super omnem satisfactionem est charitatis satisfactio. Neque enim Deus ipse etiam per pœnas quicquam aliud requirit, quàm vt perficiatur charitas. Charitas enim (nisi apostolus mentitur) operit multitudinem peccatorum. At illos iam esse perfectæ charitatis positum fuit. Respondemus. Non id adhuc pro confesso positum esse, quòd animæ in pur

Tertia.

Responsio.

Respondetur aliis Luthe. ratiunculis.

Prima.

Responsio.

gatorio sint vsqueado perfectę charitatis, quòd summum habeant charitatis gradum, qualem habent & Seraphin, quanquam opinemur, quòd talem habeãt, qui sufficiat eis, quiq; nec deinceps augeri possit. Verũ eiusmodi gradus haud semper operit omnẽ peccatorum multitudinem ne quouis pacto puniantur ã Deo, sed ne in æternum puniantur, & vindicẽtur ab eo id quod miseris peccatoribus haud exiguum operimentum est. Secũda suasio, Deo maximè satisfit per voluntatem, vbi non inuenit facultatem. Respondemus, hoc verum esse, modo peccatoris culpa non fuisset factum, vt facultate caruisset. Sed per eum stetit quò minus adesset ei facultas, si qua defuerit. Cæterum nec deest facultas, qua iam expiationem patiatur, & ea satis est quantum ad hoc negotiũ attinet. Tertia suasio. Perfecti tales, omnia Deo reddũt, quæcunque debent. Respondemus. Neminẽ præter Christum & matrem eius vsqueadeo fuisse perfectum, vt non opus haberet dicere: Dimitte nobis delicta nostra. Quanto minus vulgus Christianorum ad tãtam accessit perfectionem, vt non multis debitis implicetur, multasque contraxerit maculas, quibus tametsi Christus tandem ignoscere velit, vult tamen eas, vel purgatorij pœnas aboleri, vel per ecclesiæ condonari suffragia. Quarta suasio. Finge animam in morte perfectæ fidei & charitatis, quæ adhuc forte debeat septem dies ieiunare, aut aliam canonicam implere pœnam. Hic ergo Deus tam crudelis est, vt animam quæ summa charitate ad eum sitit, cumque super omnia vehementissimè diligit, quæ proximo suo omnia plenissimè ignouit, & sibi omnia ignosci vehementissimè cupiuit, hic, inquis: Deus non remittit septem illos dies, propter summam in eum, & in proximũ charitatem. Respondemus. Aliud esse perfectam fidem & charitatem, aliud esse summam. Perfecta charitas aut fides est, quæ gradus aliquot habet ad salutem sufficiẽtes. At summa dicitur cui nullus omnino gradus defuerit. Multi perfectam in hac vita charitatem

Secunda. Responsio.

Tertia. Responsio.

Quarta.

Responsio. Aliud est perfecta fides & charitas, aliud summa.

adepti sunt. At nullus præter Christũ summã. Illa nõ in singulis æqua est, sed in alio maior, in alio minor, & tamen vtrobique perfecta. Ista non potest, aut maior, aut minor cogitari, quandiu summa fuerit. Quoniam igitur in vna argumentationis tuæ propositione, de perfecta fide & charitate loqueris, in altera vero de summa fide & charitate non recte procedis, neque quicquam ex ea solidum colligere poteris. Quinta suasio. Si purgatorium tantummodo est pœnarum officina, cur non vocatur punitorium potius, quàm purgatorium? Respondemus, Ob id dici purgatoriũ, quòd maculæ peccatorum quas in hac vita contraxerint animæ per pœnarum asperitatem purgantur. Nam quòd illicita voluptate contractum fuit, merito per molestiã pœnæ deleri debet. Sexta suasio. Quoniam authore Gregorio, quòd deletur in purgatorio culpa est, licet venialis. At remissio culpæ non fit sine gratiæ infusione. Respõdemus. Quòd tametsi culpa mortalis non remittatur absque gratiæ infusione, culpa tamẽ venialis, vt ipsa deleatur, nec gratiam nouam exigit, neque gratiæ alicuius augmentum. Et ista sufficere putamus ad ea, quæ Lutherus obiecit sub conclusione. 17. Cæterum quia sub conclusione rursum. 18. producit, & alias argumentationes, quibus ostendere nititur, animabus in purgatorio posse charitatẽ augere, nec illas hoc loco præterire possumus. Principio conatur istud ex verbo Ioannis: Perfecta charitas foras mittit timorem. Cui istud Christi connectit: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. At crux animarum, inquit, est illa pœna. Quæ quum ita sint, & verissima credo, dicat qui potest, quomodo iste amor pœnarũ cum timore mutari potest sine noua gratia infusa. Ego fateor me nescire, nisi dixeris, ꝓ purgatoriũ non habet terrorẽ pœnarũ, ac per hoc nec similẽ inferno, cõtra prædicta. Atq; tunc frustra oramus pro eis, quas audiamus volẽtes & amãtes pœnarũ suarũ absq; timore. Respõdemus. Illud Ioan. non de quouis timore debet intel-

Quinta.

Responsio.

Sexta.

Responsio.

Respondetur rationibus Luth. sub conclusione. 18. productis.

Prima.

Responsio. 1. Ioan. 4.

ligi, sed de seruili tantũ. Nam seruilis timor introducit charitatẽ, quẽadmodum seta linũ, vt inquit, Aug. atque mox discedit post introitum charitatis, sicut & erit seta, simul & intrauit linum. Atque, hoc est, quod Ioã. dicit, nempe perfecta charitas foras mittit timorem. Et is timor est cũ quis non amore Dei, sed metu pœnarũ benefacit. Verum timor pœnarũ absolutus non solum cum perfecta charitate stare potest, verũ etiam cum summa charitate. Nã ipse Christus, vt antẽ diximus in quo fuit summa charitas, nihilominus expauit mortem. Quamobrem & in Christo fuit timor absolutus, sed nõ seruilis. Porro verbum Christi de tollẽda cruce, planè spectat ad ferenda mala, propter amorẽ Christi. Id quod nemo facit absque charitate. Quamobrẽ & istud instituto Lutheri protinus aduersatur, q̃ conferat quicquã, quum ex eo recte sequitur, ꝓ animæ, quæ in purgatorio sunt (quum earũ nulla non perfectam habeat charitatem) patienter cruciatus illos amore Christi tolerent, alioqui parũ essent Christo dignæ. Quum igitur animæ, quæ sunt in purgatorio, timore seruili careant, frustra Lutherus de cõmutatione timoris huius in amorẽ disserit. Cæterum, quum ex similitudine purgatorij & gehennæ colligere moliatur, timorem in illis animabus esse, dicimus non oportere pœnas vtriusque loci, tametsi fuerint similes, omnino similes in animabus incutere passiones. Quia nec blasphemãt animæ, quæ in purgatorio sunt, quanquam id indesinenter faciant illæ quæ sunt in gehenna. Quòd autẽ subiicit, frustra nos orare pro eis, quos audimus volentes & amãtes esse pœnarum suarum sine timore. Respondemus, quòd tametsi patiẽter ferant pœnas illas, non est necesse, quòd eas amẽt. Nã sunt veræ pœnæ, vereq; cruciant ipsas animas. Quo fit, vt eis leuamẽ aliquod ecclesia, precib⁹ ad Deũ assidue fusis, postulet, & imploret. Secundo, diligentius Deum omnia cooperantur in bonum. Hoc autem bonum non potest intelligi, nisi argumentum iam possessi boni. Ergo & purgato-

Timor in Christo absolutus non seruilis fuit. Matth. 26.

Secunda.

rium auget bonum dilectionis Dei, imò maxime omnium auget, dum sicut infernus dura est æmulatio, & in tãtis malis etiam diligit. Sicut fornax aurum probatum facit, ita pœna dilectionem. Respondemus. Sicut aurum, illud boni cõsequitur ex fornace, quòd purgatum fulgeat. Sic & animæ pari modo purgatæ, fulgorem ex fornace purgatorij reportãt, sed nihilo maiorem, aut gratiam, aut charitatẽ, quam secum attulerunt. Tertio, virtus infirmitate perficitur. Omnis enim pœna, si præsens est charitas, est salutaris & proficua. Non enim permittit preciosissima charitas atque fœcundissima, aliquid se cum sterile. At in purgatorio est maxima infirmitas, ergo maxime perficit charitatem. Respondemus. Paulum illic de virtute Christi fuisse loquutum. Nam sequitur in eodem capite, libẽter itaq; gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Sed & Græce pronomen adiicitur mea, virtus, inquit, mea in infirmitate perficitur, hoc est, illustrior euadat. At istud nihil probat, in animabus illi augescere charitatem. Quarto, Impossibile est esse statum in via. Via autẽ Dei est charitas ad Deum tendens. Ergo necesse est animas, vel procedere, vel retrocedere à charitate Dei, quum nondum sint in termino & visione, vt patet. Respondemus. * dum peruenerint animæ, merendi tamen excesserunt limites. Nam per mortem, vt ostẽdimus, exclusum est omne prorsus merẽdi tempus. Nec iam ob id ab ipsa detinentur visione, quod maiori sit eis opus charitate, sed quia nondum satis expiatæ sunt, & ab omnibus prorsus inquinamentis expolitæ. Sed & via Dei, in qua quis mereri poterit, plusculum aliquid importat præter charitatem. Alioqui & beati qui charitatem habent, in via Dei iam adhuc essent & merendi compotes. Sed neque necessum est, vt omnis qui in via merendi constitutus est, omni momento mereatur, quum & aliquoties ab iis, qui in gratia sunt peccetur venialiter, nec inde gradum promoueant. Quinto, Impossibile est vllam esse perseueran-

Responsio.

Tertia.

Responsio.

Quarta.

Responsio.

Status merendi plusculũ aliquid importat præter charitatem.

Quinta.

tiam creaturæ, nisi assiduè accipiat magis ac magis. Inde enim dicunt acuti quidam, quòd conseruatio rei sit eius continuata creatio. Sed creare est semper nouum facere, vt etiam patet in riuulis, radiis, calore, frigore, maximè dum sunt extra suum principium. Quare & spirituali calori, id est, amore Dei in animabus, opus est continuata conseruatio, donec absorbeantur in suum principium diuinum, ac per hoc & augmentum etiam si verum esset, quòd essent perfectæ, licet extra Deum esse, nec peruenisse, & esse perfectum, sint contraria. Respondemus rationem istam instituto Luthero palam obsistere. Nam pone riuulos, & radios, caloremque & frigus (quemadmodum ei placet) indefinenter creari, non tamen oportet vt ob id indefinenter augeantur, quod & omnibus tam apertissimum est, vt nullam aliam omnino probationem postulet. Sic etiam si calor in anima spiritualis singulo quoque momento creatur à Deo, non ideo necessum est, vt nouus aliquis gradus, priori singulis momentis adiiciatur. Quia sic quum in quouis tempore sint innumera momenta, confestim in immensum ipse calor crescceret. Cæterum quod vbi peruenerit ad suum principium, hoc est, ad Deum, anima mea maiorem perfectionem assequuta sit, facile consentio, quum & gloria, qua tunc illustrabitur, multò fuerit quàm gratia præstantior.

Responsio.

ARTICVLVS XXXIX.

ANimæ in purgatorio peccãt sine intermissione, quandiu quærũt requiẽ, & horrẽt pœnas. *Luth.*

¶ Animas in purgatorio nequaquã peccare dilucidũ ex iis, quæ diximus, esse potest. Nã quum de futura salute securæ iam sint (vti collegimus) tanto potiundæ illius gloriæ desiderio flagrant, vt nolint spõte committere, quod ab illa quouis pacto remorari posset eas. Adde, quòd hostes quorũ assiduis impulsibus in peccata collapsæ sunt, iam cũcti seclu- *Episc.*

duntur.Iam enim caro,quæ ſpiritui iugiter aduerſabatur,interiit. Mundus quoque qui præſtigiis ſuis eas fallere conſueuit, nunc ab ipſis omnino relictus eſt.Maligni denique ſpiritus angelorum præſidio iã arcentur.Sed,inquis,Illę adhuc quærunt requiem,& horrent pœnas. Si requiem quærere peccatum ſit, negare non poſſum, quin peccent. Verum illam requiem quærere perſuadere mihi non poſſum peccatum eſſe,niſi Dauid tuum hic peccaſſe dixeris:Quẽ admodum deſiderat ceruus, &c.ita deſiderat anima mea ad te Deus.Et rurſum:Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum,quando veniam & apparebo ante faciem domini.Et alibi:Educ de carcere animam meã, vt confiteatur nomini tuo domine. Et Paulus:Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Nemo ſanæ mentis hos peccaſſe dixerit, tanto ſpiritus feruore cõcitatos.Cæterum ꝙ pœnas horrent,natura quadam id faciũt,non ex animi deliberatione.Et quis eſt qui natura moleſtias non refugit? Chriſtus ipſe (qui tamen omni peccato caruit)mortis erumnas expauit. Cœpit,inquit Marcus,expaueſcere,& angi, dixitq; ad quoſdã ex diſcipulis:Dolore afficitur anima mea vſque ad mortem. Sed & mortis acerbum poculum deprecatus eſt:Pater,inquit,ſi fieri poteſt,tranſfer à me poculum hoc.Nec opinor hunc horrem in Chriſto peccatum fuiſſe,dicturus eſt.Horrẽt vtique ſuapte natura pœnas animæ quæ detinentur in purgatorio,ſed adiutæ gratia,paracletoque ſolamen ſuppeditante,patienter eas tollerent. Quid putas te otioſam in illis eſſe gratiã Dei? Otioſam fidem, ſpem, & charitatem?Otioſum illum Chriſti ſpiritum?Num ipſe non doces in commentariis tuis ad Galat.Si vera eſt fides,& vere filius quis fuerit,non deerit ſpiritus.Si autem adſit ſpiritus, charitatem ipſe diffundet & omnem illum virtutũ conſenſum, Charitas patiẽs eſt,benigna eſt,&c.Agnoſce tua, conſtes aliquando tecum.Quando igitur fidem in eis negare non poteris,ſunt vere filij,idem ſpiritus,charitas in eis diffuſa

Pſal.12.

Pſal.141.
Philip.2.

Mar.14.
1.Cor.13.

eſt.Quomodo abeſſe poteſt patientia?Quod ſi patiẽter ærumnas illas tolerent,nihil eis obeſſe poteſt pœnarum horror,qui nõ ſpõtaneæ,ſed ex natura ſuborintur magis.Adde,ꝙ ſi peccent animæ,quæ ſunt in purgatorio,& (vt tu ais)ſine intermiſsiõe,quomodo ſint vnquã exituræ non video.Nam peccata(quæ iam operantur)longè grauiora ſunt,quàm quæ fiebant ab eis,dum corporibus vnirentur. Infirmitas enim carnis(dum in corporibus eſſent) aliquatenus excuſabat.Nunc igitur exutæ carne,multiſque& variis adiutæ præſidiis,ſi nihilominus peccent, & ſine intermiſsione quoq;,iam propter iſta peccata multo prolixiori purgatione fuerit op°,q̃ pro cæteris,quæ pri° in mundo contraxerunt.Ad hæc,ſi peccetur in purgatorio,quum tibi peccatum omne mortale ſit, mortaliter eas peccare fatearis oportet. Quod ſi mortaliter peccent, & omni momento,quid aliud eſt purgatorium,quàm lateris lauati quãdo multo ſordidius eas animas(quas recepit)polluit quàm expurget, vt iam præter iſtud pnrgatorium mox alio quodam erit opus,vbi ſi denuo peccetur ex horrore pœnarũ,iam nullus erit purgandi finis.Sed inquies, Ipſæ tandem animæ timore depoſito, Dei voluntatem incipient amare,pluſque illam diligent, quàm timebunt pœnas. Sic enim reſpondes in 18.concluſionis tuæ declaratione.At Luthere nimis quàm ſero tũc incipiẽt amare,ſi nõ ante cœpiſſent,ſed neque miſſę fuiſſent ad eum locum,ſi non apud eas amor Dei pœnarum timori præponderaſſet. Nam ſi præualuiſſet apud eas pœnarum timor,gehẽna potius eſſent quàm purgatorio dignæ.Poſtremo.Non deſunt in hac vita,quibus ſeu remediis vtamur ad abolitionem peccati. Extat baptiſmus, extat altari ſacrificium, extat & ſacramentum abſolutionis,ſed & ſacrarum concionum auſcultatio confert non mediocriter.Verũ nihil horum apud inferos eſt.Quãdo igitur Chriſtus hæc atque alia medicamina nobis inſtituit pro peccatis abolẽdis,quæ fiunt ab hominibus in hac vita,cui nõ eſt

perspicuum(cum nulla peccatis eis, quæ in altera fiunt vita,medela superfit)quicquid illic peccatur,nullo medicamine sanari posse? Atqui dices, ꝙ in altera vita,per ecclesiæ suffragia remissiones fiunt peccatorum.Fiunt hauddubie.Sed non aliorum, quàm quæ contra peccata fuerant in hac vita, & quorum hic authores pœnituit,dum in corpore viuerent. Propter qd & Aug.lib.de cura pro mortuis gerēda sic scribit: Genere igitur vitæ(quod gessit quisque per corpus) efficitur,vt prosint, vel non prosint, quæcunque pro illo piè fiunt,quum reliquerit corpus.Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita,frustra quæritur post hanc vitam. Sūt igitur peccata, quæ fiunt post hanc vitam irremediabilia. Quamobrem & palàm est,in purgatorio peccare neminem,cum illic omnes in statu salutis sint, propter quod & Hieron.in eccl.cap.9. dicit: Viuentes metu mortis possunt bona opera perpetrare. Mortui vero nihilvalent ad id adiicere,quod semel secū tulere de vita. Et paulò post:Sed & dilectio eorum, & odium, & emulatio,& omne,quod in hoc seculo habere potuerunt, mortis finitur aduentu. Nec iuste quippe possunt agere nec peccare, nec virtutes adiicere, nec vitia.Hæc Hieronymus. Tu tamen (tanta est impudentia tua) nihil erubescis hos eruditissimos simul & sanctissimos interpretes contemnere,propter mera somnia tua,quæ quàm nugacia fuerint, superiùs ostendimus. Nunc autem annotasse sufficiat,quid hi sanctissimi viri palàm asseruerunt. Negat Augu.meritum aliquod post hanc vitam posse comparari. Negat ecclesiæ suffragia defunctis profutura, nisi prius dum essent in corporibus idipsum meruissent.Negat Hieronymus mortuus adiicere posse quicquam iis, quæ secum tulere de vita. Affirmat eas,nec vitia, nec virtutes augere posse. Quando igitur Lutheri rationes omnes quibus contra nititur, paulò ante satis abunde confutauimus, neminē opinamur vsqueadeo pertinacem esse suæque salutis prodigum, vt tenaciorem fidem vni Luthero velit adhibere non probāti sua,quàm sanctis patribus totiusque ecclesiæ consuetudini,scripturisque & rationibus aliis, quas non inualidas (vt opinamur) ante produximus. Et hæc pro præsenti articulo sufficiant.

In purgatorio neminē peccare.

Mortui nec iuste possunt agere,nec peccare nec, virtutes adiicere, nec vitia.

Nemo post hanc vitam potest mereri.

ARTICVLVS XL.

ANimæ ex purgatorio libertatē suffragiis viuētiū minus habeantur,q̄ si per se satisfecissent. *Luth.*

¶Bifariam is articulus intelligi potest, vel pro satisfactione,quæ fieri potuisset ab eis in hac vita,vel pro satisfactione in ipso purgatorio.Nam inter has satisfactiones id discriminis est, ꝙ prior (si facta fuisset in hac vita & gratia) nonnihil etiam mereri reportat,præter ipsam pœnæ dilectionē. Neq; enim vllū est opus bonū,quod (si fiat in charitate)iusta remuneratione frustrabitur apud Deum, apud quem nec is(qui calicē aquæ frigidæ propter nomen Christi petenti dederit)carebit mercede sua.Secunda vero satisfactio, quæ in purgatorio fit, nihil omnino mercedis lucratur, maculas tamen expiasse contēta. Dicimus igitur, ꝙ si dictus articulus de priore satisfactione debeat intelligi,nullus in eo nobis videtur error.Quoniam si dum essent in corporibus animę, pro seipsis satisfecissent,non modo labeculas, & neuos expurgassent,veruntamen auxissent sibi merita, pro quibus in cælo plusculum sibi beatitudinis acquisiissent.Verum non ita satisfactionem,opinor,acceperint, qui condemnarunt hunc articulum.Sed de satisfactione potius intellexerunt, quæ fit per ipsas animas in purgatorio. Sic enim errare non caret arti. ipse.Videtur enim sic inuenire, quòd per suam quæ fit in purgatorio satisfactionem,animæ charitatis augmentum mereantur, atque proinde beatitudinem acquirant in cælo cumulatiorem. Cæterū ist.d quia satis ante conuulsum est, iam non multis immorabimur,sed quæ Lutherus pro tribus his postremis arti- *Episc.*

culis attulerit, euestigio subiiciemus.

Luth. ¶ Hos tres articulos disputaui, protestatus me esse rerum istarum ignarum.

Episc. ¶ Si rerum harum fueris ignarus, quod iam profiteris, quid cum auditorum periculo super his disceptare publicitus voluisti? Neque enim idipsum alio ex animo, quàm vt purgatorium in dubium reuocares, & vt obsisteres lucro, quod per indulgentias à Germanis tuis aulæ Romanæ singulis annis conquiritur. Maluisti nullam esse purgatorii fidem, quàm vt è Germania tua tam ingens pecuniæ summa, quotãnis exportaretur, in qua re profecto, tam animabus illis (quæ grauissimas in purgatorio perpetiuntur pœnas) q̃ Germanis tuis male consuluisti, quum & illis subsidium, & istis misericordiæ suæ meritum tuis disputationibus abstuleris. Meminisse satius fuisset illius verbi, quo Paulus Timotheũ hortatur: Noli cõtendere verbis. At nihil non vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Vereor certè, ne tantum ex disputationibus tuis auditores tui venenum exhauserint, vt in fide posthac semper nutantiores inueniãtur. Quæstiones eiusmodi, vehementer in scholasticis damnas & magno supercilio doces ipsos, quid essent facturi. Non iniuria igitur in te dici potest illud eiusdem Pauli: Confidis teipsum ducem esse cæcorũ, lumen in tenebris versantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem. Qui igitur doces alium, teipsum non doces.

2. Timot. 2

Rom. 2.

Luth. ¶ Nec adhuc probatum aliquid inuentum, nisi quod illi dictum aut factum ecclesiæ, id est, papæ, & suorum somniatorum mihi pro regula fidei obtruserint quod contemno.

Episc. ¶ Si nihil sit apostolica traditio, cuius & Chrysost. & Dionys. & August. testes sunt. Si nihil tam diutina totius ecclesiæ consuetudo. Si nihil tot eruditissimi simul & sanctissimi patres. Si nihil scripturæ per eos approbatæ, & in hũc sensum expositæ. Si nihil tot ra-

tiones quæ pro totius ecclesiæ fide productæ fuerunt. Si nihil, inquam, hæc omnia sint, tum certè nec probatum adhuc aliquid aut inuentum est, quod tuos expugnat articulos. At si quicquam illa virium habuerint (vt & habere necessum est) tum non rectè per contemptum hæc ascribis pontifici cum ista perspicias aliunde suam authoritatem accepisse, quàm ex papæ (quod tu ais) somniatoribus. Multo sanè cõsultius fuisset de istiusmodi rebus omnino siluisse, & captiuam redegisse cogitationem tuam in obedientiam Christi, quàm verbis vsqueadeo contumeliosis vicarium eius incessere.

¶ Quũ ergo nihil certi possim hic docere, satisq; disputauerim aliàs, merito quiesco, consulens omnibus, vt ea quæ aguntur cum animabus, diuino iudicio commendent. Luth.

¶ Iam cum vniuersum effuderis venenum, quiescere vis, & consulis vt ista, quæ cum animabus aguntur, cæteri diuino cõmendent iudicio. Verum istud iam sero cõsulis, vt in te merito competat illud Diogenicum, Post bellum suppetiæ. Illud fecisses ab initio, & tuæ famæ rectius consuluisses, & cõmodis item animarum quę in purgatorio cruciantur. Nã ita saltem, qui nõ improbi fuerint tutiores sententiã sequerentur, & animabus illis subuenire non prætermitterẽt. Nunc autẽ plerique tuis disputationibus in eam hæsitationẽ adducti sunt, incertũ sit credibile quidẽ est eos multò negligentius, nec tanta solicitudine dictis animabus prospicere, quanta pridem fecerint. Episc.

¶ Sciantque papam cum sua ecclesia multo minus de his rebus nosse, quàm vllus de minimis fidelium Christi, ideo suas bullas in hac revere esse bullas, id minus q̃ bullas, quum nesciat miser quid loquitur, aut de quibus affirmet. Luth.

¶ Si potest AEthiops mutare pellem suam, tum & tu Luthere, calumniandi animum istum permutabis. Hæc certè conuitia religionem tuam minime decent, nedum aliena sunt à bono viro. Si pontificem vnum Episc.

totius ecclesiæ,quæ vna est, esse conuenit, quemadmodum non Cyprian.solum, verumetiam cæteri patres orthodoxi testantur,haud æquum est, vt huiusmodi probris afficiatur à quoquam. Execranda sunt ista Christanorum auribus, vt vel miser appelletur, aut tantæ prædicetur inscitiæ,vt nesciat quid loquatur,aut de quibus affirmet, aut vt eius bullæ sic contemnantur,vt verè bullas quis eas vocet, & minus q̃ bullas,vt interim taceam, de totius ecclesiæ contemptu. Nam & ecclesiam identidem contemnit,qui papam cum ecclesia sua,multo minus de his rebus asserit nosse, quàm vllum de minimis Christi fidelibus. Quis ferre potest ista?nisi fortè quis putauerit,aliam ecclesiam fore præter hanc,quæ pro suo capite, nempe vicarij Christi Iesu summum agnoscit pontificem, aut quod extra hanc alicubi sint in hoc mundo Christi fideles,q̃ sane tam alienum est à veritate,atque radij solis tenebrarum expertes sunt.

ARTICVLVS XLI.& vltim.

Luth. PRælati ecclesiastici,& principes seculares nõ malefacerẽt,si omnes saccos mendacitatis delerẽt.

Episc. ¶Negat Lutherus hunc articulum esse suum. Quare non est, vt in hoc multa prodigamus verba. Ridet autem ineptias metaphoræ,q̃ in eo dictum sit, delere saccos mendicitatis. Quandoquidem tabulis & scripturis & picturis (vt ait) conueniret magis vt delerentur, quàm saccis. Sed parum aduertit quàm frequenter idem verbum sacræ literæ non aliter vsurpãt.Nam Gen.6.dicitur: Delebo,inquit,hominẽ, quẽ creaui.Et.7.Delebo omnẽ substantiam quã feci. Et.19.Delebimus locum istum.Rursum Exod.32.Dominus ad Mosen ait: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos,& deleam eos.Et Num.16. Recedite de medio multitudinis huius,etia nũc delebo eos. Et Deut.13.Moses ad populum loquitur, dicẽs: Percuties habitatores vrbis illius in ore gladij & delebis eam.Sed eius verba subiiciam.

¶Quàm elegantialis,&rethoricalis,& artificialis, & proprialis,vereque papalis conclusio articulorum plane digna, quam sanctissimus vicarius Dei proferat.Saccos mendicitatis delere,dicitur per metaphoram, quia sacci sunt sicut tabulæ, vel scripturæ, quæ deleri possunt. Quid autem si sacci delerentur mendicitatis & mendicitas,& mẽdici manerent?fortè pro saccis inuenirent vasa & plaustra. *Luth.*

¶Nunquam(vbi vel leuis occasio datur)conuitia prætermittit,& semper in põtificem virulenta ledeoria taculatur,vt recte prouerbium in illum competat quod ab Arist.2.Retho.recensetur: Occasione duntaxat opus est malitiæ. Et verè se malitia plenum ostendit, qui nunquam desinit malitiæ virus effundere, vel quum nulla fuerit causa, quemadmodum hoc loco facit apertissime. Nam & ad eũdem sensum eodem verbo spiritus sanctus in locis innumeris vtitur. Quare quum tot probris &maledictis etiam ecclesię totius principem (& vbi nulla caussa fuerit) insectatur,suam euidentissime prodit malitiam. *Episc.*

¶Ego ne iota quidem de prelatis aut principibus memini.Sed dixi me optare, nullos esse ordines mendicantiũ, ad quod plane nulla esset opus opera prælatorum aut principum, sed sola cuiuslibet Christiana intelligentia.Quare hanc veritatem suggessit sanctissimo vicario Dei non nisi paracletus ille papę Eckius,qui tam raro mentitur, q̃ inuitè loquitur. Sed si dixissem tamen principes benefacere, si saccos mendicitatis delerent,in quam scripturam? in quem articulum fidei peccassem?scilicet in ventrem papę,& ecclesiæ papalis,& in regnum satanę & Antichristi. *Luth.*

¶Si id dixisses Luthere,profecto parũ Christiane dixisses,quandoquidem & ex Christo mendicantium vita plurimum confirmatur.Primum ipse vsqueadeo pauper fuit,vt nec habere se dixit vbi caput reclinaret suum,sed neque didrachma (quum petebatur ab exactoribus)haberet quod solueret.Propter quod& Paul? de eo scribit.2.Cor.8.Scitis enim gratiã domini *Episc.* *Matt.8.* *Luc.9.* *Marc.17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Quisquis igitur amore Christi velit eius inopiam imitari, egereque cum ipso, simul & paupertatis ærumnas pati, vt posthac vnà cum eo regnare possit in cęlis, nõ esse ab hoc instituto deturbandus, sed animandus magis. Adde, ꝙ & Apostolus (quũ eos Iudæis prædicaturos misit) hanc indixit Christus inopiam, vt nihil secum ferrẽt, nec aurum, nec argentũ, nec ęs in crumenis suis, atq; id quidẽ, vt expeditiores & liberiores essent eorum mẽtes ab omni cura seculari, suamque fiduciam in Deo totam reponerẽt, qui de rebus corpori necessariis sufficiẽter prouideret. Propter quod in euang. Lucę, suos Christus interrogat: Quãdo, inquit, misi vos sine baculo & pera, num quid defuit vobis? Quod si talem viuẽdi formã Christus prædicaturis apostolis suis instituit, quid prohibet quo minus hi sinantur in ecclesia, qui similem vitæ formam voluerint imitari? Hoc est qui relictis omnibus, soli studerent animarum saluti atque ex aliorum viuerent eleemosynis. Ad hæc nemini minus ꝙ tibi Luthere, licebit istud asserere, non solum quia tu professionem istam es ingressus, verumetiam ꝙ vnicum in Euangeliis consilium approbans, cætera cuncta contendis esse præcepta. Solũ enim illud de continentia consilium esse tibi placet, cætera vis, vim habere præceptorum? Præceptum igitur erit: Vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Præceptum item erit: Ne reponatis vobis thesauros in terra, & ne soliciti sitis vitæ vestræ, quid esuri sitis, aut bibituri, sed more volatilium cæli nec de crastino cogitare. Præceptũ erit: Nisi quis renunciauerit omnibus quę possidet, & nisi quis reliquerit patrem & matrem, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quod si præcepta ista sint, æquum est vt ab aliquibus obseruentur, nec ii damnandi sunt, qui synceriter ista studuerunt obseruare. Huc accedit ꝙ nõ modo Romani pontifices,

Mat.10. Luc.10. & 22.

Matth. 19. Luc.18. Marc.6. Lucæ.14.

viri sanctissimi (licet tu parum eis deseras) verumetiam vniuersa per orbem ecclesia status, ordines mendicantium approbauit, nimirum ꝙ ex illorum conciionibus maximum experta sit emolumentum. Nam Franciscus & Dominicus (quum esset Christus propemodum obliuioni traditus, velut mortuus à corde) solicitudine sua mundum ex altissimo peccati somno stertentem excitauerunt. Nec defuit eorum studiis Deus, cuius instinctu labores tantos, & hanc viuendi regulam susceperunt. Nam & mirificè quidem prosperare fecit eorum conatus, maximamque præstitit vtrique sobolis multitudinem, summisque diuinitus eorum institutum illustrauit miraculis. Quamobrem qui priora cũcta diligenter expenderit, intelliget hanc, quæ iam abs te calumnia mendicantibus impingitur, ex mera malitia processisse.

¶ Quis est enim homo vel gentili, nedũ Christiano sensu præditus, cui mẽdicitas etiam laicorum, nedum sacerdotum non displiceat. *Luth.*

¶ Nescio Luth. quid tibi velis per hęc verba. Nam displicere cuiq̃ quid potest, vel ex odio vel ex misericordia. Displicuit eũ homini regi (vti pabola refert) quẽdã inter discũbentes vidisse nõ vestitũ veste nuptiali. Displicuit Samaritano, cũ cerneret hominẽ sauciũ, & à latronibus semiuiuũ relictũ. Sed illud ex ira, istud vero commiseratione quadam displicuit. Tibi igitur si sic displiceat mẽdicitas, vt optes homines illos non esse, malè quidem displicet. Sin ita vt succurrere studeas eorum inopię, & Dei prouidẽtiam in eis laudes, non potest ista tibi non salutaris esse commiseratio. Sic enim & Paulum erga pauperes (qui Hierosolymis erant) affectum esse non dubito. Neq; enim odio quodam paupertatis eos tolli voluit, cum intellexit non mediocre commodum ex ipsis ecclesiæ toti prouenturum, sed cõmiseratione quadam ductus, collectas pro ipsis apud multas ecclesias fieri solicitauit, quẽadmodũ ex nõnullis epistolis eius apte constat: nec id negotii solũ sibi desũpsit ex capite suo, ve

Episc. Matt.22. Lucæ.10.

2.Cor.8.

Universidad de Deusto Biblioteca

Gal.2. rumetiam à primoribus Apostolis id ei cõmissum fuerat. Sic enim ad Gal. scribit: Cum cognouissent gratiã (quę data est mihi) Iacobus & Cephas & Ioannes (qui videbantur columnæ esse) dexteras dederũt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem tãtum, vt pauperum memores essemus. Quod etiam solicitus fui hoc facere. Tu forte si temporibus istis fuisses, nec Paulo, nec cęteris acquieuisses apostolis, sed magis adiiciẽdos hos pauperes fuisses adhortatus. Neque enim apud te magni momenti sunt ieiunia, vigiliæ, orationes, cæteraq; id genus, in quibus illi dies noctesque ad maximum totius ecclesiæ commodum exercuerunt sese.

Luth. ¶ Sed vale scelerata abominatio, tam stulte simul & impie loqueris, vt digna sis, propter quam verba fiant, atque hoc insigni articulo palam declaras, quo spiritu totam excreueris hanc maledicam bullam, dominus Iesus visitet te propediem illustratione aduentus sui, Amen.

Episc. ¶ Tu stulte potius, & impie loquutus mihi videris, qui contra pauperes mendicantes hũc in modũ oblatras. Neque põtifex his qui praui sunt patrocinatur, sed nolit propter eos vniuersum ordinem eradicari funditus. Et quid impietatis habet quod viri boni & docti, quo cum fructu se totos dedant verbi ministerio, cunctis huius mundi renuncient operibus, præsertim quum & Christus hoc ipsum fecit consuluitq; faciendum, & apostoli testantur, id fecisse sese. Ecce, Matth.9. inquiunt, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Sed iam, inquies, necesse est grauẽt alios, à quibus eleemosynas accipiunt. At hoc grauamen nullum existimari debet. Nam cum spiritualia seminant, si vicissim carnalia petãt, nemo (si Paulum audierimus) censere potest hoc esse grauamen. Sic enim & Christum, & apostolos condemnaremus, ꝓ ex aliorum vixerint 1.Cor.9. eleemosynis. Nam hos opulentę quędam fœminę comitatæ sunt, quę & de suis facultatibus illis ministrabant. At istud forte solum displicet, ꝓ hi fratres, men

dicent, & hostiatim petant. Verum si istud non licet, cur ad prędicandũ suos omni fermè re nudatos, prę- Luc.10. ter vestimenta misit Christus? Fuit enim eis necesse, Matt.10. suam aliis inopiam detegere, & ea (quib⁹ indigebãt) ab aliis mendicare. Istud igitur nisi damnes, haud video cur à quoquam ordines ipsi mẽdicantium damnandi sint. Quamobrem si duxisses aliquot ex eis reformandos, si qui fuerint inter eos, qui non secũdum regulæ veritatem incedunt, nemo tibi non assentiretur. At cum multi sint in illis ordinibus, qui tam exemplo vitę, quàm verbo doctrinę populo Christiano plurimum prosint ad beatè viuendum, tu qui velis vniuersos illos ordines è medio tolli, nec prudenter, nec piè mihi videris loquut⁹. Sed hæc ad articuli confutationem opinor, sufficiunt.

FINIS.

D. CÆCILII CYpriani episcopi Carthaginensis Epistola ad Cornelium Papam, de fidei Christi confessione, congratulantis, & hortantis, vt constanter & firmiter ad omnem patientiam perseueret.

Ognouimus frater charissime, fidei ac virtutis vestrę testimonia gloriosa, & confessionis vestræ honorẽ sic exultãter accepimus, vt in meritis ac laudibus vestris nos quoque participes ac socios computemus. Nam quum nobis & ecclesia vna sit & mens iuncta, & indiuidua concordia, quis non sacerdos in consacerdotis sui laudibus, tanquam in suis propriis *Fideiunitas congratulationis caussa*

Universidad de Deusto Biblioteca

gratuletur? Aut quæ fraternitas in fratrum gaudio non vbique lætetur? Exprimi satis non potest, quanta ista exultatio fuerit, & quanta lætitia, quum de vobis prospera & fortia comperissemus, ducem te illic confessionis fratribus extitisse, sed & confessionem ducis de fratrum confessione creuisse, vt dum præcedis ad gloriam, multos fecerit gloriæ comites, & cõfessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri: vt non inueniamus, quid prius prædicare in vobis debeamus, vtrum ne tuam promptam & stabilem fidem, an inseparabilem fratrum charitatem. Virtus illic episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est, dum apud vos vnus animus & vna vox est, ecclesia omnis Romana confessa est. Claruit fratres charissimi fides, quam de vobis beatus Apostolus prædicauit. Hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem, iam tunc in spiritu præuidebat, & præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios prouocat, dum sic vnanimes, dum sic fortes estis, magna & cæteris fratribus vnanimitatis, & fortitudinis exempla tribuistis. Docuistis granditer Deum timere, Christo firmiter adhærere, plebem sacerdotibus in periculo iungi, in persecutione fratres à fratribus non separari, concordiam simul iunctam vinci omnino nõposse, quicquid simul petitur à cunctis, Deũ pacis pacificis exhibere. Prosilierat aduersarius terrore violento Christi castra turbare, sed quo impetu venerat, eodẽ impetu pulsus est, & quantum formidinis & terroris attulit, tãtum fortitudinis inuenit & roboris: supplantare se iterum crediderat posse Dei seruos, & velut tyrones & rudes quasi minõ paratos, & minus cautos, solito suo more concutere. Vnum primo aggressus, vt lupus ouẽ secernere à grege, vt accipiter columbam ab agmine volantium separare tentauerat. Nam cui non est aduersus omnes satis virium, circunuenire quẽrit solitudinem singulorum. Sed reuersus adunati exercitõ fide pariter & vigore, intellexit milites Christi vigilare iam sobrios, & armatos ad prælium stare, vinci non posse, mori posse, & hoc ipso inuictos esse, quia nec mori timent, nec regnare contra impugnantes, quum occidere innocentibus nec nocentem liceat, sed prompte & animas & sanguinem tradere, vt quum tanta in seculo malitiæ sæuitia grassetur, à malis & sæuis velocius recedatur. Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum? quale in conspectu Christi & eius ecclesiæ gaudium? Ad pugnam quam tentauerat hostis inferre, non singulos milites, sed semel tota castra prodiisse. Omnes enim constat venturos fuisse, si audire potuissent, quum accurrerit properanter, & venerit quisquis audiuit. Quot illi lapsi, gloriosa confessione sunt restituti? Steterunt fortes, & ipso dolore pœnitentiæ facti ad prelium fortiores, vt appareat nuper *subitatos esse, & nouæ atque insuetę rei pauore trepidasse. Redisse ad se postmodum, fidem veram, & vires suas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam cõstanter & firmiter roborasse, nec iam stare ad criminis veniã, sed ad passionis coronã. Quid ad hęc Nouatianõ frater, vtrũ ne iã deponit erroré, an vero (qui dementium mos est) ipsis bonis & prosperis nostris plus adactus est ad furorem? & quo magis ac magis dilectionis ac fidei crescit hic gloria, illic dissensionis & zeli crudescit insania? nec vulnus suum miser curat, sed adhuc grauius & se & suos vulnerat? in perniciem fratrum lingua sua perstrepens, & facundiæ venenatæ iacula contorquens, magis durus secularis philosophiæ prauitate, quàm philosophiæ dominicæ lenitate pacificus: desertor ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, proditor charitatis? Agnoscit ne iam qui sit sacerdos Dei? quæ sit ecclesia & domus Christi? qui sint Dei serui, quos diabolus infestet? qui sint Christiani, quos Antichristus impugnet? Neq; enim quærit illos, quos iã subegit, aut gestit euertere, quos iam suos fecit. Inimicus & hostis ecclesiæ quos

Ducis confessio, subditorum est conuersio.

Episcopi virtus adunatio fraternitatis

Rom. 1.

Concordia inuicta.

Aduersarius singulos aggreditur.

Exercitus vnitus disp-

sio fortior.

Christimilites mortis cõtemptores.

**aliàs dubitasse*

Nouatianõ fidei hostis.

Nouatiani venenata facundia.

alienauit ab ecclesia & foras duxit, vt captiuos & victos cōtēnit,&præteriit:eos pergit lacessere,in q̄bus Christ⁹ cernit habitare. Quanq̄ & si aliquis ex talibus fuerit apprehensus,nō est quod sibi quasi in confessione nominis blandiatur,cum constet, si occisi eiusmodi extra ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse,sed pœnā potius esse perfidiæ, nec in domo Dei intervnanimes habitaturos esse,quos videmus de pacifica &diuina domo furore discordię recessisse.Hortamur planè quātum possumus pro charitate mutua, qua nobis inuicem cohæremus, vt (quoniam prouidentia domini monentis instruimur, & diuinæ misericordiæ consiliis salubribus admonemur, appropinquare iam certaminis & agonis nostri diem)ieiunijs, vigiliis, orationibus insistere cū omni plebe non desinamus.Incumbamus gemitibus assiduis,& depræcationibus crebris.Hæc sunt enim nobis arma cęlestia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt. Hæc sunt muniméta spiritualia & tela diuina, quæ protegunt. Memores nostri inuicem simus, concordes atque vnanimes,vtrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate reuelemus.

Etiādefunctī orāt pro viuis.

Et si quis hinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus apud misericordiā patris nō cesset oratio.Opto te frater charissime semper bene valere.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca